INSTITUTIONES THEOLOGICÆ

AD USUM STUDIOSÆ JUVENTUTIS

AUCTORE

CAJETANO DE FULGURE

AVERSANÆ

CATHEDRALIS ECCLESIÆ CANONICO

OLIM

IN AVERSANO CLERICORUM SEMINARIO
S. THEOLOGIÆ PRÆCEPTORE

Editio quarta auctior, et emendatior.

TOMUS III.

Continens Tractatus:

De Incarnatione.

De gratia

NEAPOLI 1822.

EX TYPOGRAPHIA JANUARII REALE.

Superiorum Facultate.

Quodcumque in hac Ecclesiae agricultura fide Patrum satum est, hoc idem filiorum industria decet excolatur, et observetur, hoc idem floreat, et maturescat, hoc idem proficiat, et perficiatur. Fas est etenim, ut prisca illa coelestis Philosophiae dogmata processu temporis excurentur, limentur, poliantur; sed nefas est, ut commutentur, nefas ut detruncentur, ut mutilentur.

Vincentius Lirinensis *Commonit. I. cap.* 30.

Πιστιν ημεις ουτε παρ' αλλων γραφομενην ημιν νεωτεραν παραδεχομεθα, ουτε αυτοι τα της ημεπερας διανοιας γεννηματα παραδιδοναι τολμωμεν, ινα μη ανθρωπινα λογιζωνται τα της ευσεβειας ρηματα. αλλ' απερ ταρα των αγιων πατερων δεδιδαγμεθα, ταυτα τοις ερωτωσιν ημας διαγγελλομεν.

Basilius *Epist. ad Antioch. Eccles.*

LIBER VI.

SEU TRACTATUS

DE MYSTERIO INCARNATIONIS

Praefatio.

CUM de *primo Adam*, in quo omnes moriuntur, satis Libro diximus superiore, jam de *secundo Adam*, in quo omnes vivificantur, disserendum est (a). *Sic enim Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret: ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam aeternam Joan. III.* 16. Erit igitur Libri hujus argumentum Verbum caro factum, magnum pietatis sacramentum, ac caelestis Jerusalem fundamentum, ac basis; *Fundamentum enim aliud nemo potest ponere, praeter id, quod positum est, quod est Christus Jesus I. Cor. III.* 11. Deum tamen, et Patrem Dom. nostri J. C. vehementer oremus, ut dum fundamentum hoc fidei nostrae a conatibus hostium, qui multiplici illud molimine convellere aggressi sunt, vindicare studemus, super illo aedificari, atque in aeternum manere mereamur lapides vivi.

C A P. I.

Quid sit natura, quid persona; quid sit, naturam subsistere in propria, vel in aliena persona, et quid Ecclesia doceat de Incarnationis mysterio.

QUoniam in varios olim errores inducti sunt haeretici, eo quod naturam a persona non distinxerint, diligenter haec a principio perspecta habere

(a) *In caussa duorum hominum, quorum per unum venumdati sumus peccato; et per alterum redimimur a peccato, proprie fides Christiana consistit.* Augustin. *Lib. II. de peccat. orig. cap.* 14.

bere oportet, quorum aliqua jam *Lib. III. cap.* 2. explicata, hic repetenda sunt. Naturam dicimus ipsam rei *essentiam*, non eo sensu, quo a Metaphisicis rei *essentia* appellatur *in abstracto* attributum illud, quod rem in *specie* sua constituit; sed rem existentem in pluribus singularibus; ac proinde natura est id quod pluribus singularibus commune est, sive illud sit unum *numero*, ut in SS. Trinitate: sive sit unum *specie*, ut in creatis rebus. Sic. natura humana in pluribus est individuis, Socrate, Platone etc.

II. Unumquodque vero individuum naturae communis appellatur *hypostasis*, *suppositum*, si natura illa irrationalis est: si vero natura est rationalis, praeter nomina *hypostatis*, et *suppositi*, appellatur etiam diginiori vocabulo *persona*. Unde a *Boëtio* persona definitur *rationalis naturae individua substantia*. Porro quod in singulari, sive individuo existit, non commune est; sed communicari alteri nequit; unde natura quidem communicari (*a*); persona vero nequaquam communicari potest. Hinc persona, et suppositum est ultimum naturae complementum, ac terminus; illud vero, quod efficit, ut natura in individuo existat, et alteri communicari nequeat, dicitur a Scholasticis *personalitas*, *subsistentia*; licet subsistentiae nomen aliquando pro ipsa persona, et supposito usurpent.

III. Quid vero sit *personalitas*. Scholae disputant. Nonnulli enim volunt, personalitatem esse aliquid a natura distinctum, quod naturae ipsi supperadditum reddit eam ultimo completam. Sed alii melius, nostro quidem judicio, opinantur, personalitatem, et ipsam personam non esse aliquid a natura distinctum; sed modum existendi naturae ipsius. Modus autem ille in eo positus est, quod natura existat in se tota, natura enim in se tota existens ultimo completa est, ac terminata: natura vero, quae in se tota non est, personam propriam non habet: ideoque

(a) Scholast. Natura *communicabilis* est, persona *incommunicabilis*.

que anima rationalis a corpore separata persona non est, cum sit naturalis pars totius hominis. Hinc si res aliqua in se tota existens, ac proinde in sua hypostasi subsistens, evadat pars alterius totius, seu assumatur ut pars ad totum aliquod componendum, licet nihil in compositione amiserit, tamen vel hoc ipso, quod rationem totius amisit, et evasit pars, amittit etiam proprium suppositum, atque in supposito totius compositi subsistere incipiet. Quod si iterum sejungatur a toto, ut ita rursus rationem totius adipiscatur, licet nihil novi acquisiverit, tamen vel hoc ipso proprium habebit suppositum, quod ipsa per se totum aliquod constituat. Sic duae aquae guttae (quo exemplo passim Theologi utuntur) si seorsim singulae existant, habebunt ambae propriam subsistentiam, at si eas simul in unam guttam compingas, amittent ambae subsistentiam propriam, et subsistere incipient supposito totius guttae ex utraque compositae: si vero iterum sejungas, acquirent denuo propriam subsistentiam; licet nihil amiserint in conjunctione, nec in divisione acquisiverint. Quod exemplum si ad substantias rationales transferre volumus, fingamus, animam rationalem, et corpus humanum, a se invicem sejuncta, propriam habere personam, atque suppositum; manifestum enim est, quod si duae istae substantiae secum invicem conjungantur, utraque amittet personam, et suppositum proprium, et subsistere incipiet persona totius hominis; si vero iterum sejungantur, acquiret iterum utraque propriam personam, et suppositum, quod antequam conjungerentur, habebant.

IV. Hoc igitur ratum sit, atque immotum, quod natura quaevis in se tota existens propriam hypostasim habet: quae vero in se tota non extat, sed pars est alicujus compositi nobilioris, ea non in persona, sive hypostasi propria, sed in hypostasi aliena subsistit, scilicet in hypostasi totius compositi. Jam vero quia omnis natura ita a Deo creata est, ut in se tota subsistat, fit hinc, ut quaelibet creata natura propriam postulet naturaliter habere hypostasim. Sed si natura aliqua vel ita a Deo creetur, ut

ut sit alterius compositi pars: vel postquam creata est in se tota, ita a Deo alteri naturae jungatur, ut evadat pars alterius; constat, in ea hypothesi, naturam illam vel a principio caruisse propria hypostasi, si principio condita est ut pars totius; vel si a principio creata fuerat in se tota, tamen propriam hypostasim in ipsa compositione amisisse.

V. Ex quo sequitur, ut si duae naturae ita secum jungantur, ut utraque sit totius compositi pars, tunc utraque natura propriam amittat hypostasim, et subsistere incipiat hypostasi totius compositi; ut patet ex duobus exemplis, quae supra posita sunt. Sed si ex duabus naturis, quae secum conjunguntur, una quidem evadat pars compositi; altera vero ita perfecta sit, ut non possit novam ex compositione perfectionem adipisci, ideoque dici non possit pars totius (pars enim semper toto imperfectior est) qualis est natura divina; tunc natura quidem illa, quae creata, et finita est ideoque vera pars compositi efficitur, propria hypostasi in compositione carebit, at natura divina cum infinite perfecta sit, ideoque vera pars compositi esse nequeat, retinebit rationem totius, atque idcirco propriam personam; ita ut natura creata non subsistat in hypostasi propria, sed in divina hypostasi, sive persona, quae per compositionem destrui non potuit.

VI. Atque hoc perfecto accidit in Incarnatione Verbi divini. Sicut enim Deus animam rationalem, et corpus humanum ita in creatione conjunxit, ut unam constituerent personam hominis; ita Verbum divinum, et naturam humanam sic conjunxit in Incarnatione, ut una esset persona Jesu Christi. Illud tamen intercedit inter creationem hominis, et Incarnationem discrimen, quod in creatione quidem hominis cum utraque substantia, anima scilicet, et corpus, vera pars sit totius hominis, ideoque imperfectior toto, utraque etiam subtantia hypostasi propria caruit, et subsistere coepit hypostasi totius compositi. At in Incarnatione, cum Verbum divinum sit infinite perfectum, ideoque nequeat esse vera pars alterius retinuit in compositione rationem totius, ac proinde per-

personam propriam: natura vero humana in compositione caruit hypostasi propria, et subsistere incepit in persona Verbi divini.

VII. Haec igitur est de Mysterio Incarnationis catholicae fidei summa: nempe Verbum divinum, simul operante Patre, ac Spiritu Sancto, assumsisse, seu conjunxisse sibi naturam humanam veram, atque integram in unitatem personae ipsius Verbi ad redimendum de perditione genus humanum per veram, et propriam satisfactionem, quam in natura assumta exhibuit justitiae Dei. Quaenam autem sint contra hanc doctrinam, haereticorum, et incredulorum commenta, sequenti capite explicandum est.

C A P. II.

Recensentur breviter varia contra incarnationis mysterium haereticorum, et incredulorum commenta.

EOs, qui contra veritatem Incarnationis errarunt, tres in partes dividit Augustinus *Lib. I. Quaest. Evang. Q.* 25. *Aut enim*, inquit, *de divinitate* (Christi) *aut de humanitate*, *aut de utraque falluntur.* Sed quia tertiae hujus classis homines rursus partiri possumus in partes tres; hinc commodius omnes quinque classibus terminamus, quarum unaquaeque varias in partes distracta, in novas haeresum formas abiit. I. classis eorum est, qui in Christo personam Verbi negant. II. eorum, qui negant humanam naturam vel omnino, vel ex parte. III. eorum, qui naturas duas in una persona negant subsistere. IV. eorum, qui negant, Jesum Christum vere, ac proprie pro peccatis hominum satisfecisse. V. eorum, qui adeo Christum pro nobis satisfecisse putant, ut non liceat Sanctos cum illo regnantes venerari, et orare; nec ullum bonum opus sit nobis ad salutem necessarium.

§. I.

De iis, qui negarunt in Christo divinam Verbi personam.

Praeter Judaeos, Gentiles, recentioresque incredulos, haereticorum sectae in prima hac classe numerantur a Theodoreto undecim sub ipsis ferme Apostolorum temporibus *Lib. II. haeret. fab.* nempe *Cerinthi*, *Hebionis*, *Nazaraeorum*, *Helcesaeorum*, *Artemonis*, *Theodoti Byzantini*, et alterius *Theodoti argentarii*, *Pauli Samosateni*, *Sabellii*, *Marcelli*; et *Photini*. His addenda duodecima *Carpocratis*, et tertiadecima *Socinianorum*. Inter eas illud est discriminis, quod primi quatuor *Cerinthus*, *Hebion*, *Nazaraei*; *Helcesaei* Christum purum hominem ex Josephi, et Mariae conjugio, non secus ac ceteri homines natum affirmabant: reliqui illum ex Virgine mirabiliter genitum fatebantur, quibus mox nonnulli *Hebionis* discipuli accesserunt, ita ut Hebionitarum secta scissa sit in duas partes. Illud singulare fuit *Theodoto argentario*, quod Christum minorem esse dicebat *Melchisedecho*; unde ejus discipuli *Melchisedeciani* dicti sunt (a). Denique advertendum, nonnullos Sabellii discipulos a Magistri sententia defecisse, et cum solam agnoscerent in Divinitate personam Patris, ut in *Lib. III.* diximus, ipsum Patrem docebant esse incarnatum; unde *Patripassiani* sunt appellati, ut observat *Ferrandus Diaconus Epist. ad Severum Tom. IX. Bibl. PP.* Ex quo conciliantur contraria testimonia veterum, quorum alii affirmant, alii negant, Sabellianos docuisse Patrem incarnatum, ut advertit *Petavius in Notis ad Epiphan.*

§. II.

(a) Vide de his haeredicis *Irenaeum*, *Tertullianum*, *Eusebium*, *Epiphanium*, *Philastrium*, *Theodoretum*, *Augustinum*.

§. II.

De iis, qui negarunt in Christo naturam humanam, vel omnino, vel ex parte.

Alterius classis haeretici fuere 1.° *Phantasiastae*, sive δοκηται, qui putantes, carnem a malo principio creatam, affirmarunt, Christum non fuisse hominem nisi per phantasma, sive falsam imaginem. Tales fuere *Simon Magus*, ejusque discipuli *Menander*, *Saturninus*, sive, ut aliis placet, *Saturnilus*, *Basilides*, et qui eos secuti sunt *Heracleon*. *Ptolemaeus*, *Marcus*, *Julius*, *Cassianus*, *Isidorus*, tum *Ophitae*, et *Sethiani*, *Cerdon*, *Marcion*, et omnium pestilentissimus, *Manes*, sive *Manichaeus*, et *Priscillianus*; licet horum singuli, paucis adjectis, aut immutatis, peculiarem quisque sectam constituerint. De iis vide Epiphanium *Haer. XXI. XXII. et XXIII.*, Irenaeum *Lib. I. cap.* 21. *et seq.*

2.° Qui Christo corpus coeleste, et aëreum tribuerunt, quod per Virginem quasi per canalem transierit, ut *Valentinus* ob invectas triginta generationes, et substantias, quas vocabat *Æonas*, famosus; tum ejus discipulus *Secundus*, a quo *Secundiani*, de quibus vide *Tertullianum Lib. de Praescript. cap.* 30. *et* 49., et Epiphanium *Haeresi XXXI. et XXXII.*, denique *Appelles*, de quo idem Tertullianus *Ibid. cap.* 51. Non recte tamen videtur *Petavius Lib. I. De Incarn. cap.* 4. §. 15. Appellejanis accensere nonnullos e veteribus, ut *Tertullianum*, aliosque, qui putarunt, Verbum Dei in vero corpore ex caelestibus elementis sibi aptato priscis Patriarchis apparuisse. Non negabant enim veteres illi veram incarnationem ex Virgine, ut Appellejani negaverunt.

3.° Qui Christo negaverunt rationalem animam. Horum princeps *Apollinaris* alterius *Apollinaris* Grammatici Alexandrini filius, Episcopus Laodicenus, vir doctissimus multisque editis contra *Porphyrium*, *Arianos*, et *Origenistas* libris illustris, ideoque clarissimis Ecclesiae Pastoribus *Athanasio*, *Basilio*, *Nazianzeno*,

zeno, *Epiphanio*, aliisque antea charissimus, tantam gloriam haeresi maculavit. Docuit enim 1.° Verbum divinum assumsisse humanam carnem, anima destitutam: 2.° convictus a catholicis admisit in Christo animam sensibilem, sive ut ajunt, *sensitivam*; negavit rationalem, idque ex doctrina Platonicorum, qui distinguebant in homine duas animas ψυχην, sive animalem, et νυν, sive rationalem. 3.° adeo excaecatum est insipiens cor ejus, ut diceret, ipsam Christi carnem non fuisse humanam ex Virgine sumtam, sed divinam; adeo ut ipsa Verbi divinitas in carnem mutata sit, ut testantur Athanasius *Epist. ad Epictet.*, Leo M. *Serm. IX. de Quadrag.* aliique. Quod monstrum erroris in tanto viro videtur incredibile, et fortassse vel figurata quadam locutione usus est; vel id ejus potius discipuli somniarunt, ut visum est Natali Alex. *H. E. Saec. V. cap.* 3.

Ariani cum Verbum Patre minorem facerent, in hoc *Apollinari* consentiebant, ut dicerent, ipsum Verbum in Christo vices animae gessisse, omnesque passiones, quas Christus perferre voluit, Verbum ipsum affecisse (a). Sed Patres contra palmarem Arianorum errorem de Verbi divinitate disputantes, de hoc minus fuerunt solliciti.

§. III.

De iis, qui naturas duas divinam, et humanam in una persona subsistere negarunt.

Circa naturarum in Christo conjunctionem in errores contrarios abiere *Nestorius*, et *Eutyches*. 1.° Nestorius primo Monachus, deinde Antiochenae Ecclesiae Presbyter, demum Constantinopolitanus Patriarcha, dum haereticos alios vehementius insectaretur, suam ipse haeresim spargere coepit, docens, alie-

(a) Athanasius *Lib de Adv. Christi cont. Apollin. et Lib. de Incarn. Christi.* Epiphanius *Haer. LXIX.* Augustinus *Lib. de Haeres. cap.* 49. Nazianzenus *Ep. I. ad Cledon* Nyssenus *Lib. I. con. Eunom.* Theodoretus *Lib. V. cont. haeres. cap.* 11.

alienum esse a fide B. Virginem appellare θεοτόκον, *Deiparam*, dicendam vero potius χριστοτόκον, *Christiparam*; eo quod alius esset Filius a Patre genitus ab aeterno, alius e Virgine natus in tempore. Duas itaque in Christo agnoscebat personas, morali tantum nexu inter se conjunctas, affectu scilicet voluntatis.

Cum ea res fidelium turbas concitasset; *Caelestinus* Papa, a *Cyrillo Alexandrino* admonitus, eidem vices suas commisit, ut si intra decem dies *Nestorius* nomine R. Pontificis commonefactus ab impia opinione non recederet, eum denuntiaret a Romanae ecclesiae communione rejectum. Quare *Cyrillus* ea auctoritate fretus, coacto Alexandriae Concilio, duodecim *anathematismos*. quibus Nestoriana haeresis damnabatur, *Nestorio* misit subscribendos. Ille ira percitus duodecim contrarios anathematismos ad *Cyrillum* remisit. Turbari omnia in Oriente incipiebant, donec coacto Ephesino concilio anno CCCCXXX. *Nestorius* damnatus, Episcopatu motus, in exilium pulsus primo in vetus Monasterium suum, deinde in Oasim, lingua vermibus scatente, miserrime periit. *Joannes Antiochenus*, *Ibas Edessenus*, *Theodoretus*, aliique orientales *Nestorio* non ejus haeresi faventes, acriter in *Cyrillum* excanduerunt. Pace tamen inter eos composita, omnes catholicam doctrinam professi sunt. Nestoriani adhuc in oriente perdurant, praecipue circa flumen Euphratem, de quibus vide Simonium *Hist. Crit. fidei*, *et rituum Oriental.*, Morinum *Praefat. ad rit. Ordinat. Nestorian.* aliosque recensitos à Fabricio *Biblioth. Graec. Vol IX. Lib. V. part.* 5. *cap.* 34. Longum autem esset Nestorianorum historiam singillatim explicare. Vide Ludovicum Ducinum *in Historia Nestorianismi*, Natalem Alex. in *Hist. Eccl. Saec. V.*, Norisium *in dissert. de V. Synodo*, Christianum Lupum *in Scholiis ad Conc. Ephes.* Sed imprimis lectu digna sunt ipsa Acta Ephesinae Synodi in Collectione *Labbei*.

2.° Hujus haereseos propago quaedam fuit error a *Felice Urgelitano*, et *Elipando Toletano* Episcopis, saeculo VIII. per Hispaniam disseminatus, qui docue-

cuerunt, Christum hominem dicendum esse filium Dei adoptivum, ut testantur *Eghinbardus in Annalib. an. DCCXCI.* et *Jonas Aurelianensis.* Inter eruditos ambigitur, utrum *Felix*, et *Elipandus* ex *Nestorii* sententia dicerent Christum adoptivum filium; an vero, ut videtur verisimilius, agnoscentes unam in Christo personam, dicerent tamen eum secundum naturam humanam adoptivum. Pluribus in conciliis damnata haec haeresis, ejusque auctores Episcopatu exauctorati sunt, ut suo loco dicemus; at *Felix* primo errorem ejuravit; deinde ad vomitum reversus, pertinaciter eum *Elipando* usque ad mortem in haeresi perduravit.

3.° *Eutiches* Presbyter Archimandrita, sive Abbas celebris Monasterii C. P., qui Diaconus strenue contra *Nestorium* certaverat, in contrarium abiit errorem, docens, in Christo non solum unam esse personam, verum etiam unam naturam (a); sive quia ex duabus tertia quaedam emerserit; sive quia humana in divinam conversa sit, vel a divina absorpta, atque absumta; sive quia divina in humanam fuerit mutata: Quid horum praécipue senserit *Eutyches*, incertum est, et fortasse sollicitus ea de re non fuit, satis habens dicere: *ante unitionem duas fuisse naturas; post unitionem vero nonnisi unam extitisse Christi naturam*: quod paucioribus verbis explicans, asserebat, *Christum ex duabus, non in duabus esse naturis* (b).

Accusatus *Eutyches* ab *Eusebio* Dorilaei Episcopo, interrogatus, atque damnatus, sacerdotioque, et Monasterii Praefectura spoliatus in Concilio C. P., cui *Flavianus* ejus urbis Episcopus praesidebat, tantum valuit apud *Theodosium* juniorem ope *Chrysaphii* Eunu-

(a) Vid. Jo. Fabricii *Scylla Theologica.* In *Amaenis Theol. cap.* 12.

(b) Quibus verbis illud etiam obscurum est, utrum intellexerit, naturam humanam, vel saltem animam extitisse antequam assumeretur a Verbo, quod recidisset in *Nestorianismum*; an vero locutus sit non de ordine temporis, sed naturae: quia scilicet naturae ordine prius est esse, quam assumi.

nuchi, ut pro eo indictum sit generale Concilium Ephesi anno CCCCXLIX. quod deinde *Latrocinium Ephesinum* appellatum est; quia omnia ibi more praedonum gesta sunt, introductis a *Dioscoro* Alexandrino, et *Chrisaphio* militibus. Ibi absolutus *Eutyches*, statuta in Christo unitas naturae, damnatus *Theodoretus*, *Ibas*, et ipse *Flavianus*; qui R. Pontificem appellans, partim ab ipso *Dioscoro*, partim ab ejus satellitibus calcibus, et pugnis male mulctatus; efflavit animam vel Ephesi post triduum, ut ait *Zonaras*, vel in itinere, dum in exilium duceretur, ut alii auctores sunt (*a*). Mortuo tamen *Theodosio*, *Marcianus* Imperator, et *Pulcheria* Augusta, suadente *Leone M.* Concilium Chalcedonense anno CCCCLI. indixerunt, a quo damnatus Eutyches, ejusque haeresis: *Dioscorus* item damnatus, atque Episcopatu motus est (*b*). *Theodoretus*, et *Ibas* recepti sunt ut Catholici. Nullum tamen non moverunt lapidem *Eutychiani*, ut Concilium Chalcedonense abolerent, occupatisque praecipuis Orientis sedibus Alexandrina, Antiochena, Constantinopolitana per Episcopos Eutychianos, diuturnum cum Catholicis bellum gesserunt. *Zeno* Imperator sperans, eos cum catholicis conciliare, edidit Ενωτικον *Enoticum*, sive *Edictum uniens*, in quo fidem catholicam explicabat, nulla tamen facta Chalcedonensis Concilii mentione, neque illarum vocum *ex duabus*, *et in duabus naturis*, unde catholicos pariter, et Eutychianos offendit. Deinde Concilium Constantinopolitanum II. Ephaesini, et Calcedonensis definitiones confirmavit, quamvis *Theodorum Mopsuestenum*, necnon *Theodoreti*, et *Ibae* scripta contra *Cyrillum* damnaverit.

Porro *Eutychiani* in plures sectas scissi sunt, Duodecim enumerat *Nicephorus*, quarum praecipuae fuerunt

(a) Adeo vero *Dioscorum* furor excaecavit, ut ipsi R. Pontifici anathema dicere ausus sit.

(b) Nonnulli putant, *Dioscorum* damnatum, non quidem ob haeresim, a qua censent, eum fuisse immunem, sed ob impensum *Eutychi* favorem atque immania scelera, quae in latrocinio Ephesino patraverat Sed *Natalis Alex.* aliiq. communius docent, eum etiam Eutychiana labe aspersum.

runt *Acephali*, *Aphtartodocetae*, seu *Incorrupticolae*, *Theopaschitae*, *Agnoëtae*, *Tritheitae*, *Jacobitae*, *Monothelitae*. *Acephali*. fuerunt, qui ne commmunicarent cum Episcopis *Enoticum Zenonis* amplectentibus, ab omni se pastorum subjectione subduxerunt. *Incorrupticolae*, qui et *Julianistae*, *et Gajanitae a Juliano* Halicarnassensi, et *Cajano* Alexandrino, carnem Christi semper incorruptibilem, impassibilem, et immortalem praedicabant. Contra *Theophaschitae*, duce *Petro Gnaphaeo* Antiocheno, et *Severo* Alexandrino, ipsam divinitatem in Christo passam esse effutiebant. Inter illos celebriores fuerunt *Agnoetae*, sive *Themistiani* ab auctore *Themistio* Diacono Alex. qui ignorantiam Christo tribuebant, et *Tritheitae*, qui tres in divinitate naturas post *Joannem Philoponum* asseverarunt. *Jacobitae* a *Jacobo* Syro dicti sunt, qui *Theopaschitarum* haeresi Armeniam infecit, ubi etiam hodie perdurat. Contra Eutychiani catholicos appellant *Melchitas*, sive regios, eo quod Chalcedonense Concilium recipiunt ab Imperatore coactum.

4.° Denique *Monothelitae*, ducibus *Athanasio* Syro Patriarcha *Jacobitarum*, *Sergio*, *Pyrro*, *Paulo* Constantinopolitanis, *Cyro* Alexandrino, *Theodoro* Pharanita, unam in Christo operationem, et voluntatem praedicabant. In hanc haeresim impegerunt non solum Eutychiani omnes, verum etiam aliqui ex iis, qui naturas duas in Christo cum catholicis agnoscebant *Heraclius* Imperator *Ectesim*, *Constans Typum* promulgavit, quibus edictis cavebat, ne una, aut duae in Christo dicerentur operationes, in quam sententiam concessit etiam *Honorius* Papa a *Sergio* deceptus. Tandem in Concilio Constantinopolitano III. haeresis damnata est, quae innumeras in Ecclesiam calamitates invexerat, ut videre est apud *Theophanem*, *Cedrenum*, *Nicephorum*, *Historiam Miscellam*, *Anastasium Bibliothecarium*, aliosque veteres. Itaque ad explicandum Incarnationis mysterium quatuor Oecumenica Concilia habita sunt, incipiendo ab Ephesino. Vide *Combefisium* in *Historia Monothelitarum Edit. Paris.* 1648., Acta Concilii Chalcedonensis apud *Labbeum*, Natalem Alexandrum etc.

§. IV.

§. IV.

De iis, qui negant, aut male explicant Christi satisfactionem.

Sociniani docentes, Christum esse merum hominem, ex consequenti negant, eum vere, et proprie pro peccatis hominum Deo satisfecisse, aut fuisse vere, et proprie Sacerdotem, ac Mediatorem Dei, et hominum. Contra *Lutherani* et *Calvinistae* ex eo, quod Christus vere et proprie Mediator, et Redemptor pro hominibus satisfecit: inferunt, superstitiosum, et Christo Mediatori injuriosum esse ad Sanctos confugere, hosque orare, quem errorem ab *Eunomio*, *Vigilantio*, *Wiclefo* acceperunt. Imagines vero, et reliquias sanctorum colere, omnino ad idololatriam pertinere docent, post ipsum *Vigilantium*, et *Iconomachos*, sive *Iconoclastas.* Emersit autem *Ichonomacorum* haeresis saeculo VIII. ducibus *Leone Isaurico*, *Constantino Copronymo* Imperatoribus, qui non solum imagines omnes confregerunt, verum persecutione cruentissima vexarunt Catholicos, donec sub *Constantino*, et *Irene* habitum est Concilium Nicaenum II. in quo proscripta haeresis, catholica doctrina explicata est, abusus si qui invaluerant, damnati. Nunc contra quincuplicem hanc haereticorum aciem Catholica doctrina exponenda, et vindicanda est; ita ut primo ostendatur in Christo divina natura, deinde humana, tertio unitas personae, quarto veritas satisfactionis. Quibus explicatis ea etiam expediemus, quae Theologi de essentia, et proprietatibus incarnationis, et de variis nominibus, et titulis Christo convenientibus disputare solent. Iis autem accedet quinto loco cultus sanctorum cum Christo regnantium catholica vindicatio.

CAP. III.

Ostenditur contra Judaeos, Christum esse verum Deum.

Adv. Fatentur Judaei, imo praecipuum eorum dogma est, promissum esse ipsis Salvatorem, quem Hebraico nomine *Messiam* vocant. Ut ergo contra ipsos ostendatur Christi divinitas, probandum ex Scripturis veteris Testamenti, quas ut divinas agnoscunt, 1.° *Messiam* ipsis a Prophetis promissum esse verum Deum· 2.° *Messiam* jam venisse: 3.° hunc esse Jesum Christum; haec enim tria ipsi negant.

§. I.

Demonstratur contra Judaeos, Messiam a Prophetis promissum esse verum Deum.

Adv. Judaei putant, *Messiam*, quem adhuc expectant, fore merum hominem, qui eos a servitute gentium vindicet, eorumque imperium stabiliat, et longe lateque proferat.

PROPOSITIO.

Messias a Prophetis promissus est verus Deus. Est dogma fidei.

Prob. Ille verus est Deus, quem Scripturae veteris Testamenti appellant Deum vel ipso nomine tetragrammato *Jehova*, quod solius esse Dei proprium, Judaei fatentur; vel aliis quidem nominibus, sed quae ex adjunctis nonnisi vero Deo convenire possunt. Atqui ita Scripturae Veteris Testamenti Messiam nuncupant. Ergo etc.

Prob. min. 1.° David *Psal. CIX.* vocat eum Dominum, dicens: *Dixit Dominus Domino meo: sede a dextris meis*, quo testimonio Christus obstruxit ora Phari-

risaeorum, qui intelligere non poterant, quomodo Messias esset filius David; et tamen ejus Dominus. 2.° Isaias *cap. IX. 6. Parvulus enim natus est nobis, et filius datus est nobis, et factus est principatus super humerum ejus: et vocabitur nomen ejus, Admirabilis ... Deus*, (in Haebreo est *Jehova*) *fortis, Pater futuri saeculi, Princeps pacis.* Et *Cap. XXXV. 4. Deus ipse veniet, et salvabit vos. Tunc aperientur oculi caecorum etc.* Et *cap. XLV.* 15. dicitur *Deus absconditus; Deus Israël Salvator.* 3.° Jeremias *cap. XXIII.* 5. *Ecce dies veniunt, dicit Dominus: et suscitabo David germen justum: et regnabit Rex, et sapiens erit: et faciet judicium, et justitiam in terra: In diebus illis salvabitur Juda, et Israël habitabit confidenter: et hoc est nomen, quod vocabunt eum, Dominus justus noster*; Hebr. *Jehova justitia nostra.* 4.° Baruch. *cap. III.* 36. *Hic est Deus noster, et non aestimabitur alius adversus eum: Hic adinvenit omnem viam disciplinae, et tradidit Jacob puero suo ... Post haec in terris visus est, et cum hominibus conversatus est.* 5. Zacharias *cap. II.* 8. *Haec dicit Dominus exercituum: Post gloriam misit me ad gentes ... et cognoscetis quia Dominus exercituum misit me. Ecce*, inquit Augustinus *Lib. XX. de Civ. cap.* 30. *dicit Dominus Omnipotens, a Domino Omnipotente se missum.* Cetera praetermittimus. Ergo etc.

§. II.

Messias a Prophetis promissus jam venit.
Dogma fidei est.

Adv. Licet multa sint vaticinia Prophetarum, quae venturum Messiam praedicunt sine ulla temporis nota; tria tamen sunt, quae tempus adventus ejus clare significant. 1m. est *Gen. XLIX.* 8. 2m. *Danielis IX.* 24. 3m. *Aggaei II.* 7. et *Malachiae III.* 1.

PROPOSITIO I.

Ex prophetia Jacobi Gen. XLIX. 8, clare patet, Messiam jam venisse.

Prob. Jacob jam jam moriturus, cum singulis filiis suis benediceret *benedictionibus propriis*, sic Judam affatur: *Juda, te laudabunt fratres tui; manus tua in cervicibus inimicorum tuorum etc. ... Non auferetur sceptrum de Juda, et dux de femore ejus; donec veniat qui mittendus est, et ipse erit expectatio gentium.* Is qui mittendus est Hebraice dicitur *Schilo* שִׁילֹה, quod varie explicatur, ut videre est apud *Malvandam*, *Calmet*, et *Thesaurum Criticorum*; et quod mirum est, quocumque modo explicetur; semper *Messiam* designat. Sive enim *Schilo* explicetur *Pacificus*; sive *filius ejus*, nempe filius *Judae* per excellentiam; sive *ille cui reservatum est regnum*; sive *Salvator*, omnes hujusmodi voces ad *Messiam* designandum usurpantur a Prophetis. Deinde is, qui mittendus est, dicitur fore *expectatio gentium*, quod de *Messia* intelligitur in Scripturis; in ipso enim *benedicentur omnes nationes terrae* Gen. XVII. 18. *ipsum gentes deprecabuntur* Isaiae XI. 10. *fluent ad eum populi* Mich. IV. 1. *veniet desideratus cunctis gentibus* Aggaei II. 8. Denique vetustiores paraphrases, veteres Rabbini, et ipsum Judaeorum *Talmud* per *Schilo* hic intelligunt *Messiam*. Sensus itaque Jacobaei vaticinii hic est: *Non auferetur sceptrum, sive suprema potestas, et legislatio de Juda, donec veniat Messias.* Atqui suprema potestas jam ab annis fere bis mille ablata est Judae, sive pro Juda intelligas solam tribum Juda, sive totam nationem Judaicam, ut cuique manifestum est. Ergo jamdiu advenit Messias.

Objectiones.

Objic. I. Vox *Schebet*, quam Vulgata vertit *Sceptrum*, significat proprie *virgam*, quae saepe in Scripturis calamitates designat: Ergo sensus est: non

de-

desinent calamitates obruere Judaeos, donec veniat Messias, qui eos liberet.

R. *Dist. ant.* Vox *Schebet*, sive virga in Scripturis afflictionem significat, cum aliquid ei est adjunctum, *conc.* Cum simpliciter profertur, *subdist.* Aliquando, *Transeat.* In hoc Geneseos loco, *neg.* Itaque cum vox *Schebet*, sive virga in Scripturis ad significandam afflictionem adhibetur, semper ei adjicitur aliquid, quod ad hunc sensum dirigatur, ut *Isaiae X.* 5. *Assur, virga furoris mei, et baculus ipse est*; et *Psal. II. Reges eos in virga ferrea.* Quamvis autem demus, quod negare possumus, vocem *Schebet* etiam solitarie acceptam aliquando calamitates significare; in hoc tamen Geneseos loco ex antecedentibus, et consequentibus nonnisi imperium significare potest. Ex antecedentibus quidem; nam dixerat paulo ante Jacob: *Juda, te laudabunt fratres tui: manus tua in cervicibus inimicorum tuorum, adorabunt te filii patris tui*: quae laeta vaticinia stare non possunt cum afflictione tanta, qua tribus Juda prae omnibus vexanda affirmatur. Ex consequentibus etiam; nam subdit: *et dux de femore ejus*: quae verba indicant, praecessisse aliquid, quo significetur sceptrum, quo dux iste potietur. Est enim figura repetitionis apud Hebraeos frequentissima, ut observat Mazochius *Spicil. Tom. I. Dissert. VIII.* qualis est illa: *misit rex et solvit eum: princeps populornm et dimisit eum.* Atque ita sententia constat: non recedet principatus de Juda; et princeps de femore ejus. Adde, veteres Rabbinos, Chaldaicam paraphrasim, et ipsum *Talmud* per *Schebet* hic intelligere dominationem.

Objic. II. Non constat inter ipsos Christianos Theologos, utrum per *Judam* in hoc Jacobi vaticinio intelligenda sit sola tribus Juda, an tota gens Judaica. Atqui hoc definire necessarium est ad revincendos Judaeos. Nam si per Judam intelligitur sola Judae tribus, constat, illi ablatum esse sceptrum per *Nabuchodonosorem*; ac proinde prophetia hunc potius regem respiciet, quam *Messiam.* Si vero intelligatur tota gens Judaica, nondum illi ablatum est sceptrum;

ptrum; quia adhuc in Oriente florentissimum habet imperium, ut testatur *Beniamin Tudelensis* in *Historia* sui itineris. Ergo etc.

℟. *Neg. min.* Quidquid enim sit de variis Theologorum opinionibus circa vocem *Juda* in hac prophetia (quas opiniones infra expendemus) haec opinandi varietas Judaeis non favet. Sive enim per Judam intelligas Tribum Juda, sive totam Judaicam gentem, manifestum est, illi jamdiu supremam ablatam esse potestatem; quod enim comminiscitur *Tudelensis* de imperio Judaeorum in Oriente, fabula est, inventa ad excaecandum magis cor populi hujus, et ab accuratissimis viatoribus, et Historicis explosa. Stultum autem est, prophetiam referre ad *Nabuchodonosorem*, aut *Cyrum*, aut *Alexandrum* iniquissimos reges, qui tantum abest, ut dici possint *expectatio gentium*, quin potius omnium in se converterint execrationem, conculcatis per summam injuriam belli, pacisque legibus, multisque gentibus misere deletis, aut oppressis.

Objic. III. Particola *donec* non semper in Scripturis rei finem designat, sed aliquando durationem; ut est illud *Gen. VIII. 7. Corvus . . . non revertebatur. donec siccarentur aquae.* Quidni ergo sensus prophetiae sit hic; Ex quo veniet Messias nunquam auferetur amplius de Juda sceptrum? qui sensus adrisit etiam *Samueli Basnagio Tom I. Annal. ad annum XL. n.* 18.

℟. *Dist. ant.* Non semper particula *donec* significat rei finem, sed semper significat rem non cessaturam antequam eveniat illud, quod post illam particulam designatur, *conc.* Secus, *neg.* Itaque Hebraicae voces עד כי *Ad chi*, quas Vulgata vertit *donec*, significant *usque dum*, ac proinde sensus est, sceptrum semper duraturum in Juda, usque dum Messias veniat; ideoque nihil favet Judaeis haec observatio. *Basnagius* vero deceptus est, quia sine ullo Hebraicorum Scriptorum exemplo contra Grammaticas punctationum leges, et contra perpetuam omnium versionum, et paraphrascon lectionem particulas illas *Ad Chi* separavit; ita ut sensus esset *in sempiternum*

num, *quia*, ut late contra eum disputat Mazochius *loc. cit.*

Objic. IV. Tam varia est significatio vocis *Schilo*, pro varia radice, unde derivari potest, ut temerarium videatur, eam ad *Messiam* coarctare: imo id certum est, non posse verti, *qui mittendus est*; debuisset enim Hebraice scribi *Schiloah*, non *Schilo*, ut ex Christianis etiam advertit *Malvenda*. Poterit ergo vox illa significare ipsam urbem *Silo*, ut sensus sit: non auferatur sceptrum de Juda, donec *Saul.* aut *Jeroboam* ungatur rex in *Silo*.

℟. *Neg. ant.* Variae enim illae significationes omnes, quod mirum est, uni *Messiae* conveniunt, ut supra observavimus. Unde Vulgatus interpres recte vertit: *qui mittendus est*; vel quia olim legebatur *Schiloah*, ut putat *Morinus*; vel quia sensum potius quam literam explicare voluit. Idque ipsi Judaei veteres agnoverunt. Sic *Targum Onkelos* vertit: *donec veniat Messias*, Hierosolymitanus: *donec veniat Rex Messias*: idipsum fatentur Rabbini veteres *in Talmud in Cod. Sanhedrin cap.* 11. Quod autem dicunt Judaei recentiores de urbe *Silo*, in qua contra fidem Sacrae historiae fingunt, fuisse unctum *Saulem*, aut *Jeroboam*, quorum prior unctus est in *Maspha*, posterior in *Sichem*, adeo leve, et ineptum est, ut responsionem non mereatur.

PROPOSITIO II.

Ex prophetia Danielis Cap. IX. 24. seqq. aperte demonstratur, Messiam jam venisse.

Prob. Verba Prophetiae haec sunt: *Septuaginta hebdomades*, inquit Gabriel Angelus, *abbreviatae* (Hebr. decisae, seu definitae) *sunt super populum tuum, et super urbem sanctam tuam, ut consummetur praevaricatio, et finem accipiat peccatum, et deleatur iniquitas, et adducatur justitia sempiterna, et impleatur visio, et prophetia, et ungatur Sanctus Sanctorum. Scito ergo, et animadverte: Ab exitu sermonis, ut iterum aedificetur Jerusalem, usque ad Christum ducem* (Hebr. usque

usque ad *Meschiah Nagid*, sive *Messiam principalem*) *hebdomades septem*, *et hebdomades sexaginta duae erunt*: *et rursum aedificabitur platea*, *et muri in angustia temporum. Et post hebdomades sexaginta duas occidetur Christus* . Hebr. *Messias*) *et non erit ejus populus*, *qui eum negaturus est. Et Civitatem*, *et Sanctuarium dissipabit populus eum duce venturo*: *et finis ejus vastitas*, *et post finem belli statuta desolatio. Confirmabit autem pactum multis hebdomada una*: *et in dimidio hebdomadis deficiet hostia*, *et sacrificium*: *et erit in templo abominatio desolationis*: *et usq. ad consummationem et finem perseverabit desolatio.*

1.° Haec prophetia manifeste respicit *Messiam*, atque adventus ejus designat tempus; quod probatur non solum ex consensu omnium Patrum, et veterum Judaeorum apud Hieronymum *Comment. in Dan.*, et Raymundum Martinum *Pug. Fid. P.II. cap.*3. *n.*16.; verum etiam ex ipsis Prophetae verbis, in quibus bis nominatur *Messias*, et quidem iis characteribus, qui nec *Antiocho Epiphani*, nec *Oniae Sacerdoti*, nec *Cyro*, nec aliis conveniunt, ad quos prophetiam detorquere conantur recentiores Judaei, fugientes retia veritatis; sed soli vero Messiae. Ait enim: *ut consumetur praevaricatio*, *finem accipiat peccatum*, *deleatur iniquitas etc.* quae nonnisi *Messiae* conveniunt, de quo ait David: *orietur in diebus ejus justitia*: addit vero: *ut impleatur visio*, *et prophetia*; hoc est ut complementum accipiant vaticinia omnia prophetarum, quod quis neget ad *Messiam* pertinere? denique: *ut ungatur Sanctus Sanctorum*, qui utique alius, quam *Messias* esse non potest.

Hebdomades autem a Daniele praedictae non possunt esse, nisi hebdomades annorum; h. e. anni CCCCXC. Nam duo genera hebdomadum nota Judaeis erant; dierum scilicet, de quibus passim Scriptura loquitur, et annorum, de quibus dicitur *Levit. XXV.*8. *Numerabis quoque tibi septem hebdomadas annorum idest septies septem*, *quae simul faciunt annos quadraginta novem.* Sed post septuaginta hebdomadas dierum nihil accidit Judaeis, quod prophetiae isti ullo pacto respondeat; ac proinde restat, ut hebdoma-

domades intelligantur annorum. Igitur ab exitu sermonis de aedificanda iterum Jerusalem, quae tunc jacebat eversa a *Nabuchodonosor*, usque ad *Messiam* septuaginta hebdomades annorum numerandae sunt. Atqui undecumque sumas numerandi initium jamdiu hebdomades illae efluxerunt. Ergo jamdiu Messias venit.

2.° Rursus post adventum, et necem *Messiae*, Jerusalem, et templum praedicitur dissipandum, polluendum, ac desolandum in perpetuum, sine ulla reparationis spe: ita ut deficiat omne sacrificium, quod ex lege nonnisi Jerosolymis offerri poterat; Atqui urbs illa a *Tito Vespasiano* jamdiu eversa est, quae autem hodie dicitur Jerusalem alio in loco, alio nomine extructa est ab *Ælio Hadriano*, qui illam suo nomine appellavit *Æliam*. Templum vero primo pollutum, deinde igne absumtum; ejusque ruina adeo constans, et perseverans est, ut cum *Julianus Apostata* ad hanc prophetiam enervandam illud restaurare aggressus esset, erumpentes mirabiliter a terra ignes et opus inceptum, et artifices absumserint, teste *Ammiano Marcellino* Scriptore Ethnico *Lib. XXIII. Rer. gest.*, et Chrysostomo *Orat. III. cont. Judaeos.* Ergo.

3.° Judaeis paulo ante urbis eversionem ita manifestum erat, Danielis hebdomadas esse jam finitas, ut multi impostores populo persuadere conati sint, se esse *Messiam*: imo haec causa fuerit: cur Judaei a Romanis defecerint; quod testatur *De Bello Jud. Lib. VII. cap.* 11. Josephus, qui foeda adulatione scribit, vaticinia Prophetarum impleta esse in *Vespasiano* Judaeorum hoste teterrimo. Imo id testantur etiam Ethnici Scriptores. Tacitus *Hist. Lib. V. cap.* 14. *Pluribus*, inquit, *persuasio inerat*, *antiquis Sacerdotum literis contineri*, *eo ipso tempore fore*, *uti valesceret oriens*, *profectique Judaea rerum potirentur*. Svetonius *in Vespas. cap.* 4. *Percrebuerat Oriente toto vetus*, *et constans opinio*, *esse in fatis*, *ut eo tempore Judaea profecti rerum potirentur*. Judaei vero recentiores veriti, ne forte luce veritatis confundan-

tur

tur, diris devovent eos, qui tempus promissi Messiae supputaverint. Ergo etc.

Objecta diluuntur.

Objic. I. Non constat utrum prophetia Danielis intelligenda sit de *Messia*. Nam non solum Judaei, sed et inter Christianos plerique contendunt, Danielis vaticinium referri oportere ad tempora *Antiochi Epiphanis*, a quo pollutum est templum, prohibita sacrificia legalia, occisus *Unctus Domini*, nempe *Onias* Summus Sacerdos. Eam sententiam post Josephum *Lib. X. Antiquit.. cap. ult.* tuentur Sixtus Senensis *Biblioth. Lib. VIII.* Eques *Marshamus*, qui tamen nonnulla in hac sententia immutavit *in Chronico Ægypt.*, P. Harduinus *De LXX. Hebdom. cont. P. Lamy*, et *Guillelmus Estius*. Neque hoc systema aliquid fidei repugnans continere docet Calmetus *Dissert. De LXX. hebdom. Daniel.* Imo Auctor *Lib. I. Machab. cap. I.* 57. idem insinuat; ait enim: *Ædificavit Rex Antiochus abominandum idolum desolationis*: quibus verbis demonstrat, eo tempore fuisse in templo abominationem desolationis, a Daniele praedictam. Fuerunt etiam nonnulli apud Augustinum *Epist. CXVIII.* qui dicerent, Danielis prophetiam spectare adventum Antichristi. Quomodo ergo revincentur Judaei, si inter ipsos Christianos non convenit, prophet iam de *Messia* intelligendam?

℟. *Neg. ant.* 1.° Talibus enim characteribus Messias a Daniele describitur, qui nulli praeterquam vero *Messsiae* aptari possunt; ut supra observavimus. 2.° Tempore *Antiochi* nec urbs, nec templum eversum est, nec perpetua fuit templi desolatio; paucis enim post annis *Judas Machabacus*, victis ac fugatis *Antiochi* exercitibus, omnia in pristinum restituit. Manifeste ergo erravunt auctores in objectione laudati. Auctor vero *Lib. I. Machabaeorum* vocat quidem simulacrum ab *Antiocho* statutum abominandum idolum desolationis; sed hanc esse desolationem a Daniele praedictam, quae in perpetuum duratura erat, nequaquam affirmat. Ideo autem ait *Calmet.* eorum auctorum systema nihil habere fidei contrarium, quia, uno fortas-

tassis excepto *Marshamo*, cujus auctoritatem nihil moramur, non diffitebantur illi, sensum spiritalem, ac praecipuum prophetiae esse tempus *Messiae*; licet assererent, ad literam designari tempora *Antiochi*, tamquam figuram futurae desolationis, quae *Messiae* necem consecutura erat.

Inst. 1.° Si numeres hebdomadas septem a prophetia *Jeremiae*, qui praedixerat, fore ut iterum aedificaretur Jerusalem, invenies ab exitu illius sermonis usque ad Christum ducem, nempe *Cyrum*, qui Christus appellatur ab *Isaia*, effluxisse adamussim annos XLIX. Rursus si ab eadem *Jeremiae* prophetia numeres hebdomadas sexaginta duas, nempe annos CCCCXXXIV. earum finem incidere observabis in exordia regni *Antiochi*. Superest hebdomada septnagesima, in cujus dimidio *Anthiocus* templum polluit, sacrificia abolevit, sacerdotes occidit, perseveravitque desolatio usque ad consumationem, et finem illius hebdomae. Ergo manifestum est, prophetiam Danielis spectare *Antiochum*.

℟. *Neg. cons.* Hypothesis in *antecedenti* posita pluribus rationibus falsa est. 1.° Quia *exitum sermonis, ut iterum aedificetur Jerusalem*, refert ad prophetiam *Jeremiae*, cum referri debeat ad edictum aliquod, quo permitteretur Judaeis, ut Jerosolimam reverterentur, eamque restaurarent. Verba enim Hebraica ita sonant: *ab exitu sermonis ad reverti faciendum, et ad aedificandum Jerusalem.* 2.° Quia ex eodem puncto repetit initium hebdomadum septem, et hebdomadum sexagintaduarum: quod falsum esse ex eo patet, quod si ab eodem puncto duceretur initium, hebdomades septem inciderent in ipsas sexagintaduas; ac proinde, addita postrema hebdomada, non conficiunt hebdomadas septuaginta. 3.° Quia per Christum ducem intelligit *Cyrum*, contra Hebraicam phrasim, quae habet *Messiam principalem*. 4.° Quia etiam in supputatione annorum fallit, ut demonstrant eruditi, nam a praedictione *Jeremiae* ad *Cyrum* fluxerunt anni LXX. 5.° Quia nec *Cyro*, nec *Anthiocho*, nec ulli alteri convenire possunt characteres a Daniele descripti, ut supra diximus. 6.° Denique quia ipsi

quia ipsi Judaei ut *Aben-Ezra Comment. in Daniel.* fatentur, annos captivitatis Babilonicae *non esse numerandos in septimanis Danielis.* Ideo autem Angelus septem hebdomades a ceteris disjunxit, ut indicaret, prioribus quidem hebdomadis aedificandam civitatem, muros, templum etc. quibus absolutis sexaginta duae hebdomades futurae erant, et in postrema occidendus Christus. Vide Calmet *cit. Dissert.* Berti *Lib. XXV. cap. 4.*

Inst. 2.° Tam variae sunt Judaeorum, et Christianorum sententiae circa initium, et finem hebdomadum, ut eas vel numerare longum sit. *Hippolitus* Martyr apud Hieronymum *in cap. IX. Dan.* earum initium ducit ab anno quinquagesimo ante solutam captivitatem Babylonicam; septuagesimam vero hebdomadam sejungit a reliquis, eamque docet casuram in consummationem Mundi: Origenes *Tract. XXIX. in Matth.* ab Adamo: Clemens Alexandrinus *Lib II. Strom.* ab anno primo *Cyri*: *Julius Africanus*, aliique plurimi, quos sequitur Petavius *Lib. XII. de Emendat temp.*, ab anno vicesimo *Artaxerxis Longimani*: Eusebius *Lib. VIII. Demonstr. Evang.* ab anno primo *Cyri*, vel a sexto *Darii Hystaspis*: Veteres Judaei apud Hieronymum *loc. cit.* ab eversione templi facta per *Nabuchodonosor*. Inter recensiores *Burgensis*, *Vatablus*, *Galatinus* ab anno quarto *Sedeciae*: *Driedo*, et *Jansenius* ab aedificatione templi sub *Dario Hystaspi*: *Scaliger* ab anno secundo *Darii Nothi*: *Jacobus* et *Ludovicus Cappelli* ab anno septimo *Artaxerxis.* Unaquaeque vero ex his sententiis inextricabiles habet difficultates. Ergo nihil certi ex Danielis vaticinio concludi potest.

℞. *Neg. cons.* Undecumque enim sumas initium, certissimum est LXX. hebdomades jam abiisse. 1.° Quia ex hac prophetia plusquam bismille anni praeterierunt. 2.° Quia jam acciderunt quae post LXX. hebdomadas eventura praedicuntur, eversio Urbis et Templi, finis sacrificiorum etc. unde ab ipso prophetiae clarissimo eventu possunt Judaei, saltem circum circiter, figere initium hebdomadarum. Verisimilius autem est, ducendum illud esse ab anno

vi-

vicesimo *Artaxerxis Longimani.* Quatuor enim edicta pro Judaeis a Regibus Persarum lata sunt. Primum a *Cyro I. Esdrae I.* 1.: alterum a *Dario I. Esdrae VI.* (is est *Darius Hystaspis*): tertium ab *Ataxerxe* anno septimo *I. Esdrae VII.* 8.: quartum ab eodem *Artaxerxe* anno vigesimo *II. Esdrae II.* Sed tantum postremo hoc edicto plena facta est Judaeis potestas redeundi in patriam, Urbem et templum restaurandi; cum reliqua edicta vel solam respicerent aedificationem templi, vel effectu pene caruerint. Vide Petavium *loc. cit.*; ubi etiam clare ostendit, *Artaxerxen* hunc esse *Longimanum*, non alium *Artaxerxen*, qui *Mnemon* dictus est. Haec sufficiunt contra Judaeos: contra Catholicos vero, qui aliud statuunt hebdomadarum initium, possumus clarius demonstrare, ex ipso eventu prophetiae, nempe a morte Christi usque ad annum XX. *Artaxerxis Longimani* hebdomas sexagintanovem cum dimidio: sive cum aliquo anno hebdomadae septuagesimae interjectas esse, ut ex subjecta tabula manifestum est (a).

(a) Tabula Chronologica Regum Persarum.

Cyrus Rex regnare caepit An. Mundi	3468	ante Æ. V. 536.	
annis			7
Cambyses	3475	529	8
Darius Hystaspis	3483	521	36
Xerses	3519	485	21
Artaxerxes Longimanus regnare coepit simul cum Patre *Xerxe* in Graeciam profecto	3531	474	40
Annus ejus vicesimus	3550	454	
Xerses II.	3580	424	1
Darius Nothus	3581	423	19
Artaxerxes Mnemon	3600	404	43
Ochus	3643	361	23
Arsen	3666	336	2
Darius Codomanus, quem vicit *Alexander*	3668	336	6

Ab anno ergo vigesimo *Artaxersis Longimani* usque ad initium *Æris vulgaris*, quae incipit quatuor annis post Chri-

sti

Objic. II. Praedicit *Daniel*, futuras LXX. hebdomades usque ad Christum ducem, sed non definit: cujusmodi erunt hebdomades illae. Possumus ergo intelligere hebdomades jubilaeorum, saeculorum etc. Ergo etc.

℟. *Dist. ant.* Non definit, sed de solis annorum hebdomadis potest intelligi, *conc.* Secus, *neg.* Ut enim supra observavimus, duae hebdomadarum species notae Judaeis erant, dierum scilicet, et annorum; ideoque non de alio hebdomadarum genere intelligendus est Propheta: nisi dicere velimus, Deum illudere potius voluisse hominibus, quam ventura praedicere, si hebdomadas eousque ignotas fine explicatione nominasset. Sed post LXX. hebdomadas dierum nihil accidit, quod vaticinio respondeat. Hebdomadae ergo sunt annorum.

PROPOSITIO III.

Ex Prophetia Aggaei, et Malachiae ostenditur, Messiam jam venisse.

Prob. Aggaeus cap. II. 7. haec habet: *Adhuc unum modicum est, et ego commovebo caelum, et terram, et mare, et aridam. Et movebo omnes gentes: et veniet desideratus cunctis gentibus: et implebo domum istam gloria, dicit Dominus exercituum. Meum est argentum, et meum est aurum, dicit Dominus exercituum. Magna erit gloria domus istius novissimae plusquam primae, dicit Dominus exercituum: et in loco isto dabo pacem.* Et *Malachias Cap. III.* 1. *Ecce ego mitto Angelum meum, et prae-*

---

sti Nativitatem sunt anni 454. quibus si addas annos Christi 30. habebis annos 484. hoc est hebdomades sexaginta novem, et annum hebdomadis septuagesimae. Scimus hanc tabulam non carere difficultatibus, quas apud eruditos invenies. Sed in tanta temporum antiquitate ista sufficere debent viro non litigioso; cum praesertim *eclypsis*, quae contigit in morte Christi ex *Phlegonte* inciderit in Olympiadem CCII.; annus vero vigesimus *Artaxersis Long.* incidat in ann. secundum Olympiadis LXXX. quod intervallum est annorum circiter 484.

praeparabit viam ante faciem meam. Et statim veniet ad templum suum Dominator, quem quaeritis; et Angelus testamenti, quem vos vultis. Ecce venit, dicit Dominus exercituum. Praedicunt ergo Prophetae isti, qui post solutam Captivitatem Judaeos ad Templi aedificationem incitabant, Templum illud, quod tunc aedificabatur, licet minoribus fulgeret ornamentis, quam prius a *Salomone* excitatum, fore tamen longe gloriosius, utpote ipsius *Messiae* a cunctis gentibus desiderati ingressu, et praesentia decorandum. Atqui Templum illud, quod tunc aedificabatur, jamdiu est eversum. Ergo *Messias* jamdiu advenit.

Confirmatur ex cap. II. Danielis, ubi propheta praedicit, quatuor fore imperia, nempe Assyriorum, Medorum, Graecorum, et tandem Romanorum, qui tria priora superabunt; et conterent, durante autem adhuc postremo hoc imperio, Deum fundaturum esse regnum; quod in aeternum non dissipabitur. *In diebus autem regnorum illorum, suscitabit Deus caeli regnum, quod in aeternum non dissipabitur.* Atqui quatuor imperia illa jamdiu eversa, ac dissipata sunt. Jamdiu ergo *Messias* venit, regnumque suum fundavit perpetuo duraturum, nihilque est in Prophetarum oraculis luculentius.

Objecta refutantur.

Objic. I. Templum, in quod *Aggaeus*, et *Malachias* praedicunt, ingressurum esse *Messiam*, est templum, quod ab ipso *Messia* excitabitur. Ergo.

℟. *Neg. ant.* Clarissime enim prophetae loquuntur de Templo illo, quod tunc aedificari inceperat; *magna erit gloria domus istius novissimae*: imo hac ratione Judaeorum zelum ad opus incitabant, quia in templum illud ingressurus erat magna cum gloria, ipse *Messias*.

Objic. II. Multa Deus promisit Judaeis, quae tamen propter peccata populi distulit, vel negavit; ergo licet advenerit tempus a Prophetis praedictum *Messiae* venturi; potest tamen adventus ejus propter populi scelera putari dilatus.

℟. *Dist. ant.* Quae Deus praedixit ea conditione; si populus non peccaret, *conc.* Quae simpliciter, et sine ulla conditione promisit, *neg.* Porro promissio *Messiae* absoluta, et simplex est, nullique subjecta conditioni. Imo cum *Messias* dicatur venturus, ut deleat peccata populi; non debebant utique peccata ipsa ejus adventum morari, aut impedire. Adde, post praedictiones illas minora fuisse populi Judaici peccata, quam prius, excepta Christi nece. Post solutam enim captivitatem non adeo fuerunt, ut prius, ad idololatriam projecti. Denique *Messias* non solis Judaeis, sed cunctis gentibus promissus est; ac proinde non debebat aliis negari propter peccata Judeorum.

§. III.

Ostenditur, ipsum Jesum Christum esse Messiam a Prophetis promissum.

Adv. Judaei Jesu Christi aetate, jam venisse tempus *Messiae*, ex ipsis circumstantiis noverant; unde scimus ex Evangelio, ipsos putasse, *Joannem Baptistam* esse *Messiam*. Ex Judaeorum vero Historicis constat, multos tunc pseudoprophetas, qui se *Messiam* dictitantes, populum decipiebant, atque ad defectionem a Romanis incitabant. Denique idem constat ex Ethnicis Scriptoribus *Svetonio*, et *Tacito*. Probandum itaque est, Messiam, quem jam venisse ostendimus, non alium fuisse, nisi Jesum Christum.

PROPOSITIO.

Jesus Christus est Messias a Prophetis praedictus. Est dogma fidei.

Prob. Ille est verus *Messias*, qui venit tempore a Prophetis praenuntiato, et cui conveniunt signa omnia, ac notae, quibus Prophetae Messiam describunt. Atqui is est Jesus Christus. Ergo etc.

Prob. min. I. Venit Jesus Christus, stante adhuc Tem-

Templo, in quod *Aggaeus*, ac *Malachias* praedicunt, ingressurum Messiam; et ut constaret, non esse alium expectandum, paulo post ejus mortem ipsum Templum eversum est. Venit in fine LXX. hebdomadarum, quae a Daniele praedictae sunt: et ipsa hebdomada septuagesima, ut supra vidimus, occisus est, negante eum ipso ejus populo. Venit cum ablatum est sceptrum de Juda: hoc est vel paulo ante, vel paulo post; utrumque enim sensum prophetia *Jacobi* pati potest. Natus est enim regnante *Herode*, qui fuit ex Ascalonitis Philistaeis oriundus; licet in Idumaea natus, Judaicam religionem professus esset. Id testantur Josephus *Lib. XIV. Antiq. cap.* 27. Patres vetustissimi *Origenes, Julius Africanus, Eusebius, Hieronymus, Augustinus*, ipsique Judaei apud *Justinum* in *Dialogo cum Tryphone*. Si qua vero Judaeis remanserat umbra regni, evanuit primum sub *Augusto*, qui Judaeam redegit in Provinciam Romanam; deinde sub *Vespasiano, et Tito*, qui gentem ipsam Judaicam pessumdederunt, eosque, qui gladio superfluerant, miserae addixerunt servituti.

II. Signa omnia, ac notae, quibus a Prophetis *Messias* designatur, Jesu Christo conveniunt. Nam 1.° natus est Christus in Bethleem, ubi Michaeas *cap. V.* 2. nasciturum *Messiam* praedixerat, fatentibus ipsis Judeorum Doctoribus apud Matth. *cap. II.* 6. *Sic enim*, inquiunt, *scriptum est per Pprophetam: Et tu Bethleem terra Juda, nequaquam minima es in principibus Juda: ex te enim exiet Dux, qui regat populum meum Israel.*

2.° Vocatus est Jesus ab Angelo priusquam conciperetur: hoc autem nomine Prophetae *Messiam* appellant. *Isaiae XLIX.* 6. et *LXII.* 11. et *Zach. IX.* 9. *Ecce Rex tuus . . . Salvator*; Jesus enim *Salvatorem* significat. Quod autem de Virgine natus sit, sicut *Isaias* praedixerat *cap. VII.* 14. *Ecce Virgo concipiet, et pariet filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel*, docet Evangelium, cujus veritatem si Judaei negant, revinci possunt ex iis, quae *Lib. I.* diximus.

3.° Messias ex Prophetis praedicaturus erat: *Isiae LXI.*

LXI. 1. *Ad annuntiandum mansuetis misit me, ut mederer contritis corde, et praedicarem captivis indulgentiam.* Praedicationem vero suam confirmaturus erat miraculis: *Tunc aperientur oculi caecorum, et aures surdorum patebunt. Tunc saliet sicut cervus claudus, et aperta erit lingua mutorum: Isaiae XXXV.* 5. Et tamen multos fore ejus doctrinae incredulos. *Expandi manus meas tota die ad populum incredulum: Isaiae LXV.* 2. Haec autem in Christo fuisse impleta, certum est. Quod enim praedicaverit, fatentur omnes: quod praedicationem miraculis confirmaverit, patet quidem ex Evangelio, cujus veritatem probavimus *Lib. I.*: sed non diffitentur Judaei, licet contendant, miracula illa edita fuisse magicis artibus, quo nihil dici potest absurdius: quod denique multi perduraverint increduli, ac rebelles, res ipsa loquitur.

4.° *Messiam* pauperem vitam acturum, Prophetae pronuntiant. *Isaias cap. LIII.* 3. vocat eum *despectum, et novissimum virorum.* Zacharias *cap. IX.* 9. *pauperem*: *Ecce Rex tuus . . . . ipse pauper.* De Christi autem paupertate manifesta res est, cum non habuisse ubi caput reclinaret.

5.° *Zacharias* clare ibidem praedicit, *Messiam* asino insidentem ingressurum esse sollemniter Jerusalem: *Ecce Rex tuus veniet tibi . . . ascendens super asinam, et super pullum filium asinae*: quod adamussim in Christo impletum esse, Evangelica narrat historia. Zelo armandum pro decore domus Dei, praedicit David. *Psal. LXVIII. Zelus domus tuae comedit me*: quem zelum ostendit Christus, cum flagellis ejecit e templo vendentes et ementes. *Matt. XXI. Marc. XI. Luc. XIX. Joan. II.*

6.° Christi passio, et mors singillatim praedicta est a Prophetis *Messiae* superventura: scilicet quod prodendus esset ab amico, qui simul cum eo manducabat: *Homo pacis meae, in quo speravi: qui edebat panes meos, magnificavit super me supplantationem Psal. XL.*: vendendus triginta argenteis, ex quibus postea emendus erat ager figuli *Zach. XI.* 12: *Appenderunt mercedem meam triginta argenteos . . . et projeci illud . . . . (ad statuarium*, nempe *figulum*:

quod

quod deserendus esset a suis, accusandus falsis criminationibus, iisque non responsurus, sputis, aliisque contumeliis onerandus, *Zach. XIII.* 7. *Percute Pastorem, et dispergentur oves. Psal. XL. Verbum iniquum constituerunt adversum me*; et *Psal. XXXIV. Surgentes testes iniqui, quae ignorabam, interrogabant me.* Isaiae LIII. 7. *Non aperiet os suum*: et Isaiae L. 6. *Corpus meum dedi percutientibus, et genas meas vellentibus: faciem meam non averti ab increpantibus, et conspuentibus in me*: quod cruci affigendus esset clavis: *Psal. XXI. Foderunt manus meas, et pedes meos.* Zachar. XIII. 6. *Quid sunt plagae istae in medio manuum tuarum?* Et quidem inter sceleratos: *Isaiae LIII.* 12. *Cum sceleratis reputatus est*: quod a praetereuntibus irridendus esset: *Psal. XXI. Omnes videntes me, deriserunt me: locuti sunt labiis, et moverunt caput. Speravit in Domino, eripiat eum*: quod spoliandus esset vestibus, quae partim dividendae erant, partim sortibus subjiciendae: *Psal. XXI. Diviserunt sibi vestimenta mea, et super vestem meam miserunt sortem*: quod felle, et aceto potandus esset: *Psal. LXVIII. Dederunt in escam meam fel: et in siti mea potaverunt me aceto*: quod ferro transfigendus: *Zach. XII.* 10. *Aspicient ad me, quem confixerunt*: quod a mortuis esset resurrecturus: *Psal. XV. Non derelinques animam meam in inferno: nec dabis sanctum tuum videre corruptionem*: quod sepulchrum ejus futurum esset gloriosum: *Isaiae XI.* 10. *Erit sepulchrum ejus gloriosum* (*a*). Atque haec omnia, et alia quae praetermittimus, in Christo impleta, quis ignorat? Ergo ei conveniunt notae omnes a Prophetis *Messiae* adscriptae; ac proinde ipse est verus *Messiae*, post quem non est alius expectandus.

(a) Vide Duguetum De Christi Passione, morte, sepultura, et resurrectione, ubi doctissime Prophetarum vaticinia explanat, eaque in Christo impleta demonstrat.

Objecta refutantur.

Objic. I. Prophetae praedicunt, Messiam fore Regem magnum ; qui multis gentibus bello victis, imperium latissimum obtinebit : *Psal. LXXI. Dominabitur a mari usque ad mare, et a flumine usque ad terminos orbis terrarum.* Psal. II. *Postula a me, et dabo tibi gentes haereditatem tuam, et possessionem tuam terminos terrae.* Atqui nihil horum videre est in Jesu Christo. Ergo.

Dist. ant. Messias latissimum obtinebit imperium spiritale, et caeleste, comparatum spiritalibus armis, quibus Diaboli potentiam confregit, inimicos Dei debellavit, *conc.* Terrenum, *neg.* Quid enim magnum fuisset in *Messia*, qui Deus est, ac proinde Dominus caeli et terrae, acquirere terrenum imperium? Vaticina ergo illa respiciunt regnum Dei, regnum spirituale in animos fidelium : quod Regnum Jesu Christo datum in omnem terram jam cernimus, cum ab oriente usque ad occidentem, ab Aquilone ad meridiem a cunctis gentibus ut verus *Rex Israel Salvator* fuerit adoratus.

Inst. Saltem certum est, *Messiam*, magna cum gloria adventurum, praecedente adventum ejus *Elia* Propheta, quem ad hoc munus obeundum transtulit Deus de terra, eumque adhuc reservat. Ergo.

℟. *Dist. ant.* In secundo adventu, quando vivos, et mortuos judicaturus est, *con.* In primo adventu, *Subdist.* Cum magna gloria humana, quam Deus utpote vanam abominatur, *neg.* Cum vera gloria, quae sita est in virtute supra humanam conditionem eminente, in miraculis, in destructione idololatriae, *conc.* Hac gloria circumdatus est Christus tum maxime, cum eum magis Judaei deprimere, et e medio tollere conati sunt, in ipsa scilicet passione, in qua non solum ipse virtutem humana conditione majorem ostendit ; verum etiam omnia elementa conturbata sunt, ut milites ipsi faterentur ; *vere filius Dei erat iste.* Regnavit a ligno Deus ; quia post tantam ignominiam, verus Rex, et Deus ubique agnitus, ido-

idololatriae regnum delevit. Ita conciliantur inter se vaticinia Prophetarum, quae Christi passiones, et posteriores glorias praenuntiarunt.

Inst. 2.° *Messias* praedicitur confirmaturus pactum, nempe legem Mosaicam *Dan. IX.* 27.; et Templum aedificaturus *Ezech. XI. et seq.*, in quo etiam Arca Dei, quae ab *Jeremia* abscondita est, iterum cum gloria collocabitur *II. Machab. II.* 4. *et seq.* Atqui haec non fecit Jesus Christus: Ergo etc.

℟. *Dist. maj.* Haec omnia facturus erat *Messias* quoad litteram occidentem, *neg.* Quoad spiritum vivificantem, *conc.* Christus ergo confirmavit Mosaicam legem; 1.° quia praecepta moralia legis, quae Judaei semper violaverunt, confirmavit; et non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus inscripsit, ut *Jeremias* praedixerat *cap. XXXI.* 33. *Dabo legem meam in visceribus eorum, et in corde eorum scribam eam*; 2.° quia praecepta caeremonialia, quae figurae erant, et umbrae futurorum, in seipso implevit, ita ut morte ejus omnis Scriptura fuerit consummata, et completa. Praeterea aedificavit Templum non illud materiale, quod in perpetuum evertendum Prophetae praedixerant; sed Sanctam Ecclesiam, contra quam portae inferi numquam praevalebunt, et in qua *in omni loco sacrificatur, et offertur nomini* Dei *oblatio munda*, ut *Malachias* praedixerat *Malach. I.* 11. In eo templo Arcam collocavit multo gloriosiorem, et sanctiorem illa, quam construxerat *Moyses*, suum scilicet corpus, et sanguinem sub Eucharistiae speciebus. Porro templum illud vetus, et arca figurae erant Sanctae Ecclesiae; ideoque adveniente rei veritate, evanescere debebant.

Inst. 3.° Verus *Messias* ad salvandum Israel venturus est; non vero ad salutem gentium. Atqui post adventum Christi Israelitae magnis sunt oppressi calamitatibus; et exceptis paucis Judaeorum, major Christianorum pars ex gentibus collecta est. Ergo etc.

℟. *Dist. maj.* Si nomine *Israel* intelligas veros *Abrahae* filios, et nomine gentium intelligas incircumcisos cordibus et auribus, qui in incredulitate obsti-

obstinati esse volunt, *conc.* Secus, *neg.* Filii ergo *Abrahae*, verique *Istraelitae* sunt, qui fidem *Abrahae* imitantur, cujuscumque sint nationis. Promiserat enim Deus Abrahae, quod in semine ejus benedicerentur omnes tribus terrae *Gen. XXII.* 18., quodque *Messias* futurus esset Dux, et Praeceptor gentium *Isaiae LV.* 4., ut salutem afferret usque ad extremum terrae *Is. XLIX.* 6. Multi igitur ex gentibus Istraelitae sunt: multi ex Judaeis incircumcisi: ad illos liberandos venit *Messias* Jesus Christus, non ad istos, qui cum increduli permanserint, et manus suas sanguine ipsius *Messiae* cruentaverint, dicentes, *sanguis ejus super nos, et super filios nostros*, quid mirum si post tam horrendum scelus tot malis oppressi sint?

Objic. II. Messias, ut Christiani volunt, venturus erat, cum auferretur sceptrum de Juda. Atqui sceptrum de Juda non est ablatum eo tempore, quo venit Christus, sed tempore *Sedeciae*, qui postremus fuit Rex de tribu Juda: imo omnis regni spes ablata est tribui Juda per Machabaeos, qui, cum essent ex Tribu Levi, rerum potiti sunt usque ad *Herodem*. Ergo Christus non venit eo tempore, quo venturus erat *Messias*; atque ideo *Messias* non est.

℞. Ut ab hac difficultate se expedirent Theologi, in varias sententias abierunt. Nonnulli enim docent, per *Judam* in vaticinio *Jacobi* intelligi totam Judaicam gentem, quae omnes ex variis tribubus complectebatur, nempe ipsam Tribum Juda, Tribum Levi, dimidiam Tribum Beniamin, et alios, qui illi se adjunxerunt ex aliis Tribubus: qui omnes, post Schisma X. Tribuum a *Jeroboamo* conflatum, dicuntur in Scripturis *Juda*, ut *Jerem. XXIII.* 6. *in diebus illis salvabitur Juda*: et *Judaei* in libris Machabaeorum saepissime, eo quod Tribus Juda numero civium, ac dignitate antecellens nomen aliis dederat. Ita sentiunt ex veteribus *Jutsinus*, *Athanasius*, *Eusebius* etc. e recentioribus vero *Pererius*, *Casaubonus*, *Natalis Alexander* etc. Hinc docent, sceptrum Judae, seu toti Judaicae genti ablatum, primo quidem, saltem ex parte, sub Rege Herode a Romanis

nis constituto, quem alienigenam fuisse tradunt veteres (*a*); nempe ex avo Antipa Ascalonita, patre Antipatro Idumaeo (quae gens Judaeis aliena erat *Gen. XXV.*); licet religione Judaeus esset (*b*). Deinde sceptrum ablatum magis tempore Archelai ejus filii, quo pulso in exilium, Judaea in Provinciae formam redacta est ab Augusto. Tandem penitus tempore Vespasiani, et Titi, qui fatale exitium Judaeis intulerunt. Sed haec sententia illud habet incommodum, quod Jacob *benedixit singulis filiis benedictionibus propriis*, omniaque vaticinii verba solam Tribum Judae respiciunt, ut illa: *te laudabunt fratres tui ec.* Propter hanc rationem, et auctoritatem plurimorum Patrum, et consensum Rabbinorum, alii Theologi Jacobi vaticinium de sola Tribu Juda intelligunt, ut Petrus Galatinus *Lib. IV. de Arcanis cathol. verit.*, Petavius *Lib. XVI. de Incarn. cap.* 6. *Huetius*, *Berti*, *Tostatus*, *Lyranus*, *Genebrardus*; et alii; sed quomodo in illa Tribu perseveraverit sceptrum usque ad Christum, varia ratione explicant.

Genebrardus (*in Chronico*) ait, ideo sceptrum, sive supremam potestatem permansisse in Tribu Juda usque ad Christum, quia Machabaei duces materno genere ex tribu Juda ducebant originem. Sed id nec solide probari potest, nec ad rem facit; cum nulla apud Judaeos materni generis haberetur ratio.

Cajetanus, et *Huetius* ajunt, Tribum Juda licet pos-

(*a*) Justinus *Dial. cum Tryph.* Origenes *Hom. XVII. in Gen.*, Josephus *Lib. XIV. Antiq.* (qui crimini vertit *Nicolao Damasceno*, quod turpi adulatione *Herodem* ex primoribus Judaeorum, qui ex Babylonica captivitate redierunt, ortum scribit), Eusebius. *Lib. I. Hist. cap.* 6., Ambrosius *Lib. III. in Luc.*, Hegesippus *Lib. I. Hist. cap.* 14., Epiphanius *Haer. XX.*, Hieronymus, Theodoretus, Augustinus etc.

(*b*) Joseph. Scaliger *Ad Chron. Euseb.* Casaubonus *Exerc. I. in Ann. Baron*, Torniellus *ad an mundi* 4018., Valesius *Adnot. ad Euseb. Lib. I. Cap.* 6. Huetius. *Demonstr. Evang. Prob. IX. n.* 4. contendunt, *Herodem* alienigenam non fuisse: sed veterum auctoritati praevalere non possunt.

possessionem sceptri amiserit post Babylonicam captivitatem; tamen jus, et spem illud repetendi retinuisse usque ad Christum; illud tamen jus amisisse cum ipse Christus temporale regnum Juda in spirituale, atque aeternum mutavit, et post ejus mortem, eversis Jerosolymis, tanta Tribuum dispersio, et confusio facta est, ut deperdita serie genealogiarum, nemo clare demostrare posset, se ex Tribu Juda oriundum. Haec etiam sententia nutat, eo quod Jacob non jus ad sceptrum, sed sceptrum ipsum praedicit non auferendum de Juda usque ad Messiam.

Alii innixi fabulis Rabbinorum docent, fuisse apud Judaeos *Synedrium*, sive Senatum, cui ipsi duces *Machabaei* subjecti essent, quem abolevit *Herodes*. Penes illum igitur senatum, qui majori ex parte constabat e Tribu Juda, cuique princeps ex eadem Tribu praeerat, permansisse supremam potestatem usque ad Herodem. Haec sententia placuit *Laurentio Berti*.

Mazochius (*in Spicileg. Dissert. VIII.*) ingeniosiorem viam ingressus docet 1°. per *Judam* intelligi debere ipsam regionem, quae in funiculo distributionis terrae Chanaan Tribui Juda obtigit, ideoque frequenter in Scripturis regio ipsa dicitur *Juda*: 2°. verba illa: *de femore ejus*: ex Haebreo verti debere: *de inter peditibus ejus*; hoc est de hominibus regionis illius incolis; ita ut sensus sit: *non auferetur suprema potestas de regione Juda, et dux de incolis ipsius regionis*. Quod quidem usque ad Christum perduravit. Verum his omissis, ad argumentum.

℟. *Neg. min.* Nam 1.° in Babylonica captivitate interregnum potius fuit, quam regni amissio: cum ex prophetia *Jeremiae* captivitas illa non deberet esse perpetua, et in ipsa captivitate essent judices populi ab Assyriis constituti de tribu Juda, ut ex historia *Susannae* apud *Danielem* patet. 2.° Soluta captivitate, legimus *Zorobabel* ducem populi de tribu Juda; imo de familia David. 3.° Cum sceptrum ad Machabaeos translatum est, licet supremae potestatis usus, et administratio non esset in Tribu Juda; ipsa tamen suprema potestas in Tribu Juda permansit usque ad Christum. Machabaei enim non usur-

parunt

parunt regnum more tyrannorum, invito populo, sed ab ipso populo, in quo tribus Juda, utpote longe aliis numero praestans, praerogativam habebat, electi sunt, tamquam supremi magistratus. Quod probatur ex illo insigni loco. *I. Machab. IX.* 28. *Congregati sunt omnes amici Judae, et dixerunt Jonathae: ex quo frater tuus Judas defunctus est, vir similis ei non est, qui exeat contra inimicos nostros. Nunc itaque te hodie eligimus esse pro eo nobis in Principem, et ducem etc.* Et quamvis in Machabaeis factus sit postea principatus veluti haereditarius; semper tamen constat, fuisse supremam potestatem in Tribu [illegible], quae eos a principio duces elegerat. Sicu[illegible]ici non potest, Rempublicam foederati Bel[illegible]premam potestatem amisisse, ex quo principes [illegible]*sicanos* duces haereditarios elegit; ita nec affir[illegible] potest, defecisse in Tribu Juda supremam pote[illegible]m, donec illa imminuta primum a *Pompejo*, attrita magis ab *Augusto*, et a *Tito* penitus abolita est: quod contigit circa Christi tempora (*a*).

Objic. III. Auctor est Josephus *Lib. XV. Antiq. cap.* 14. Herodem XVIII. regni sui anno, ideoque ante natum Christum, vetus templum, quod *Aggaeus*, et *Malachias* ingressurum esse ex nostra sententia Messiam, praedixerant, funditus destruxisse, novumque exaedificasse longe amplius, ac nobilius, *sublatis veteribus fundamentis, ac novis repositis.* Quae quidem historia, cum aetate *Josephi* recentissima res esset, in dubium revocari nullo modo potest. Ergo vel dicendum est, alio sensu intelligenda esse *Aggaei* et *Malachiae* vaticinia, vel propter peccata populi non fuisse eventu probata; vel Christum non venisse eo tempore, quod fuerat a Prophetis designatum.

℟. *Dist. ant.* Herodes ex *Josepho* vetus templum destruxit ex parte, novumque aedificavit, quod cum veteri illo unum idemque censendum est, *conc.* Secus,

---

(a) Totum hoc argumentum de Prophetiis contra Judaeos fuse, et erudite pertractat Huetius. *Demonstr. Evang. Prop. IX.*

cus , *neg.* Primum igitur constat , Herodem extimos quidem demolitum esse templi muros , ut eos ampliores , atque excelsiores exaedificaret ; ceterum interiores templi partes reliquisse intactas , alioquin per annos novem , quibus ea aedificatio duravit quotidianum sacrificium intermitti omnino debuisset. *Tertium vero* , inquit Josephus , *spatium intimum solis sacerdotibus accessibile. In eo templum erat , et ante illud altare, in quo hostias immolare Deo soliti fuerunt. Herodes autem interiora, a quibus profani lege arcebantur, non ausus ingredi, per sacerdotes curabat fabricam intimarum porticuum; absolutoque oc*[illegible]*annis reliquo aedificio, tandem templum ipsum eoru*[illegible]*cerdotum opera sesquianno perfecit.* Hinc in[illegible] plum restauratum quidem per sacerdotes , atque [illegible] natum , sed non destructum est. Deinde etsi inte[illegible] templi destructa , atque aedificata essent , non[illegible] circo novum aedificium a veteri diversum exis[illegible]mandum esset. Cum enim templum paulatim , ac per partes destruitur , ac reficitur , idem omnino censetur esse cum veteri , ita ut nec nova opus sit consecratione.

C A P. IV.

Christum esse verum Deum , demonstratur contra Gentiles simul , et Judaeos.

Adv. NOn potest directe ostendi contra Gentiles , Christum esse Deum neque a *priori* , ut ajunt , neque a *posteriori*. Non quidem a priori , sive per causam , cum causa incarnationis Filii Dei non sit , nisi libera Dei voluntas , et omnipotentia. Nec a posteriori sive per effectus nobis naturaliter cognitos , qui necessarium cum incarnatione ipsa nexum habeant. Potest tamen oblique , sive *indirecte* demonstrari tum contra Gentiles , cum contra Judaeos. Ille enim est verus Deus , quem Religio a Deo fundata , et miraculis confirmata , verum Deum esse docet. Atqui Catholica religio a Deo fundata , et probata miraculis , Christum Deum esse docet. Ergo,

Ergo. Quod autem religio Catholica a Deo fundata, et miraculis probata sit, ostendimus *Lib. I.* At Gentiles praeter argumenta, quae generatim contra Christianam Religionem intorquent, speciatim contra hoc mysterium arguunt naturali ratione, ut ostendant, illud esse impossibile, et contradictionem involvere: quae argumenta commodius infra dissolventur. Cum enim ipsius mysterii totam oeconomiam explicaverimus, facile suadebimus, fuisse Deo possibile, et quae contra objiciuntur, confutabimus. Praestat igitur nunc Christi Divinitatem contra haereticos vindicare.

C A P. V.

Christi divinitas contra haereticos ostenditur.

Adv. Contra haereticos Scripturis, et traditione pugnamus. Sed quia Scripturae veteris Testamenti, quas contra Judaeos capite superiori produximus, etiam contra haereticos valent, restat, ut contra istos Scripturis Novi Testamenti, et traditione divinitatem Christi ostendamus.

§. I.

Ostenditur, Christum esse Filium Dei, et verum Deum ex Scripturis Novi Testamenti.

Adv. Habemus jam pro certo, et contra Sabellianos demonstratum *Lib. IV.* Filium Dei esse personam a Patre distinctam; ex quo sequitur contra *Patripassianos*, Christum non esse Deum Patrem, cum in Evangelio conceptis verbis dicatur *Filius*, *Matth. XVI. 16. Tu es Christus Filius Dei vivi*: et *alibi passim.* Poterat quidem incarnari Pater, sicut et Spiritus S.; sed magis decuisse Filii incarnationem ostendemus inferius. Hic ergo demonstrandum est contra haereticos, Filium hunc, Jesum Christum esse verum Deum, ex quo magis confirmabitur quod contra Arianos ostendimus *Lib. IV.* Filium esse Patri consubstantialem.

PRO-

PROPOSITIO.

Ex novi Testamenti Scripturis manifestum est, Christum esse verum Deum.

Prob. Ille est verus Deus, cui non solum Dei nomen, sed etiam attributa, operationes, adoratio soli Deo debita, et omnimoda cum Patre aequalitas tribuitur. Atqui haec Christo tribuuntur in Novo Testamento. Ergo. etc.

Prob. min. I. Dei nomen saepenumero Christo tribuitur. Et quidem aliquando etiam cum articulo, quem adversarii ad verum Deum significandum requiri[illegible] tendunt 1.° *Rom. IX.* 5. *Quorum Patres, et e[illegible] bus est Christus.. qui est super omnia Deus bene[illegible] in saecula.* 2.° *I. Joan. III.* 16. *In hoc cogno[illegible] charitatem Dei, quoniam ille animam suam pro [illegible] posuit*, ubi anima Christi dicitur anima Dei, sicut *Act. XX.* 28. sanguinis Dei appellatur. *Attendite vobis, et universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos, regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo* 3.° *Joan. XX.* 28. post resurrectionem a Thoma Deus appellatur, et quidem cum articulo *Dominus meus, et Deus o Κυριος μυ, καὶ ο Θεος μυ.* 4.° *Filius Dei* saepissime dicitur; et quidem *proprius Rom. VIII.* 32. *Unigenitus.* Joan. I. 18. *Verus.* Joan. V. 20. *Filius Dei vivi Matth. XVI.* 16. Quae quidem filii appellatio aequalitatem ipsi cum Deo tribuit, ut optime, intellexerunt Judaei *Joan. V. Magis quaerebant eum Judaei interficere . . . quia patrem suum dicebat Deum, aequalem se faciens Deo.*

II. Attributa Dei propria Christo tribuuntur, et 1.° quidem aeternitas: *Joan. XVII.* 5. *Clarifica, me tu, Pater, apud temetipsum claritate, quam habui, priusquam mundus esset, apud te* Verba enim illa *priusquam mundus esset, ante mundi constitutionem. ante tempora saecularia*, aeternitatem designant (a). Et

(a) Adde loca Scripturarum, quibus Patres ex professo docent contra Arianos, et recentiores Theologi contra Soci-

Et *Joan. VIII.* 58. *Antequam Abraham fieret, ego sum.* 2.° Cognitio secretorum cordis: *Joan. II.* 25. *Opus ei non erat, ut quis testimonium perhiberet de homine; ipse enim sciebat, quid esset in homine: Joan. XXI.* 17. *Domine, tu omnia nosti: tu scis quia amo te.* 3.° Omnipotentia: *Apoc. I.V* 8. *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus omnipotens, qui est, et qui erat, et qui venturus est.* 4.° Ratio principii, et finis omnium rerum: *Apoc. I.* 8. *Ego sum alpha, et omega, principium, et finis, dicit Dominus Deus, qui est, qui erat, et qui venturus est omnipotens*, quae verba de seipso loquitur Christus, et repetit. *cap.* XXII. 13.

III. Operationes soli Deo propriae Christo etiam conveniunt. 1.° Rerum omnium creatio et conservatio. *I. Cor. VIII.* 6. *Unus Deus, et Pater, ex quo omnia . . . . unus Dominus Jesus Christus, per quem omnia.* Heb. I. 2. *Per quem fecit et saecula qui cum sit splendor gloriae, et figura substantiae ejus, portansque omnia verbo virtutis suae.* Et *Joan.* V. 17. 19. *Pater meus usque modo operatur, et ego operor . . . quaecumque enim ille* (Pater) *fecerit, haec et Filius similiter facit.* 2.° Potentia patrandi miracula ex propria virtute, et voluntate, qua millies usus est, ut ex Evangelio patet; *Joan. V.* 21. *Sicut Pater suscitat mortuos, et vivificat, sic et Filius, quos vult, vivificat.*

IV. Adoratio Christo exhibetur ab Angelis, et hominibus, *Heb. I.* 6. *Cum iterum introducit primogenitum in orbem terrae, dicit: et adorent eum omnes Angeli-*

---

cini nos, Christum ante Mariam ab aeternitate extitisse. Loca sunt 1. *Michaeae V.* 2. ubi ejus generatio dicitur esse *ab initio, a diebus aeternitatis.* 2. *I. Cor. I.* 24. ubi Christus vocatur ipsa *Dei virtus, et sapientia*: quae utique ab aeterno genita est *Prov. VIII.* 3. Praeterea I. *Joan.* I. 1. dicitur vita, quae *erat ab initio* apud Patrem, et in tempore *manifestata est.* 4. *Heb. VII.* 3. in hoc Melchisedech cum Christo comparatur, quod fuerit sine patre, sine genealogia, *neque initium dierum, neque finem vitae habens*, 5. Tandem id disertissime ponitur, et saepius inculcatur in *Lib. Apocalypsis*, *Apoc. I.* 8. *XI.* 17. *et XXI.* 6. *et XXII.* 13.

geli Dei. Et *Matth. II.* 11. Magi *procidentes adoraverunt eum.* Et *cap. VIII.* 2. *Ecce leprosus veniens, adorabat eum, dicens: Domine, si vis, potes me mundare.*

V. Denique ne quis remaneret dubitationi locus, omnem ei aequalitatem cum Patre tribuit Apostolus *Phil. II.* 6. *Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se aequalem Deo: sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens.* Imo et ipse Christus, de se ait *Joan. X.* 30. *Ego, et Pater unum sumus*, quo nihil expressius dici poterat. Item *Joan. XIV.* 9. *Qui videt me, videt et Patrem ..... Non creditis quia ego in Patre, et Pater in me est?* Ergo etc.

Diluuntur objecta.

Objic. I. Ipse Christus in Evangelio dicit: *Pater major me est*: *Joan. XIV.* 18. Ergo non est Deus.

℟. *Dist. ant.* Pater major est Christo secundum naturam humanam ab illo assumtam, *conc.* Secundum naturam divinam, *neg.* Cum in Christo naturae duae sint, divina, et humana, hinc non mirum, si utriusque naturae proprietates ei conveniant, ut infra explicabitur. Porro in textu *Joannis.* ait Christus; *Si diligeretis me, gauderetis utique, quia vado ad Patrem: quia Pater major me est.* Secundum illam ergo naturam Pater major est, secundum quam ad Patrem iturus erat; non secundum eam, in qua cum Patre, et in Patre ab aeterno erat.

Objic. II. *Joan. XVII.* 3. ait Christus Patrem alloquens: *Haec est autem vita aeterna: ut cognoscant te solum Deum verum, et quem misisti Jesum Christum.* Ergo soli Patri tribuens divinitatem, semetipsum ab illa excludit.

℟. *Neg. cons.* Nomen enim *solus* non pronomini *Te* adjicitur, quasi diceret, *Te solum*, et non alium esse verum Deum, sed sequentibus nominibus *verus Deus*, ut sensus sit: haec est vita aeterna, ut cognoscant Te, qui es ille solus verus Deus: quod significat, Patrem esse Deum non falsum, ut Dii gen-

gentium, aut per metaphoram dictum; sed Deum verum, qui unus est. Atque hoc ex Graeco textu evidens est. Sic enim habet ινα γινοσκωσι σε τον μονον αληθινον θεον. Hoc autem non excludit a divinitate Filium. Imo secundum Augustini interpretationem contrarium probat. Sic enim S. Doctor laudata verba disponit, et explicat; *haec est vita aeterna, ut cognoscant Te, et quem misisti Jesum Christum esse solum verum Deum.*

Inst: Ipse Christus a divinitate se excludit. Nam *Luc. XVIII.* 19. homini eum bonum appellanti respondet: *Quid me dicis bonum? nemo bonus, nisi solus Deus.* Et *Matth. XX.* 23. duobus discipulis primatum appetentibus ait: *Sedere autem ad dexteram meam, vel sinistram, non est meum dare vobis, sed quibus paratum est a Patre meo*, quibus luculenter se Patre minorem ostendit. Ergo.

℟. *Neg. ant. Ad.* 1m. Non negat ibi Christus, se esse Deum, sed solum Deum ait esse ex essentia sua bonum, quod verum est. Cum autem ille, quem ibi redarguit, Christum putaret merum hominem, et tamen bonum appellaret, merito ait: cur me simplicem putans hominem bonum appellas, cum nemo bonus nisi solus Deus? *Ad* 2m. Cum humana Christi voluntas a voluntate Patris dissentire non posset, non erat suum, nec poterat dare, quod illi humano affectu contra divinam suam, et patris voluntatem petebant. Non significat igitur, se non idem posse, et facere quod Pater, sed non posse contrarium.

Objic. III. Nomen Dei aliquando in Scripturis improprie creaturis tribuitur, ut in *Psalmo LXXXI*, *Ego dixi: dii estis.* Et *Exod. VII.* 1. Moyses dicitur *Deus.* Ergo etiam cum Christo tribuitur, improprie accipi potest.

℟. *Dist. ant.* Nomen Dei aliquando improprie usurpatur, et id ex adjunctis constat, *conc.* Secus, *neg.* Cum ergo Scriptura aliquando nomen Dei adhibet improprio sensu, semper addit vel ibidem, vel alibi, ex quo impropia significatio possit intelligi, ut in laudatis locis: *Ego dixi dii estis . . . vos autem sicut homines moriemini . . . Ecce constitui te Deum Pha-*

Pharaonis: alioquin Scriptura ad decipiendos homines esset accommodata. At Christo non semel Dei nomen tribuitur, et non solum nihil additur, quod ad impropriam significationem nos revocet; sed etiam proprietates, operationes, et cetéra ei tribuuntur, quae soli vero Deo conveniunt, ut supra vidimus. Denique appellatur *ο θεος* cum articulo, qui ex adversariis, non adhibetur, nisi cum de vero Deo sermo est.

Inst. 1.° Loca in quibus ο θεος cum articulo dicitur, non constat referri ad Christum. Sic verba Thomae *Joan. XX.* 28. *Dominus meus, et Deus meus*, ο Θεος μȣ; possunt esse exclamatio quaedam, non ad Christum, sed ad Deum, propter rei admirationem; quasi diceret: *O domine Deus meus.* Verba autem Apostoli *Rom. IX.* 5. *Christus, qui est super omnia Deus benedictus in saecula*, a *Cypriano*, et *Hilario* sine voce *Deus* referuntur. Et si nomen *Deus* retineatur, potest punctum transferri ante nomen illud hoc modo: *Christus, qui est super omnia. Deus benedictus* (sit) *in saecula*. Ergo etc.

℞. *Neg. ant.* Verba enim *Thomae* non sunt in Graeco invocandi casu, sed in recto: *Κυριος μȣ, και ο θεος μȣ*; unde nonnisi ad Christum referuntur: quod et magis ostenditur ex verbis praecedentibus: *respondit Thomas, et dixit ei*, sc. Christo; *Dominus meus, et Deus meus.* Textus autem Apostoli in variis *Cypriani* Codicibus, ut advertit *Pamelius*, legitur sicut etiam ab aliis Patribus recitatur; unde mendosi sunt Codices, a quibus illa vox abest, cum praesertim scopo *Cypriani* vox illa esset necessaria. Eo enim capite contra Judaeos probat, *Quod Deus Christus Lib. II. cont. Judaeos cap.* 6. *Hilariu Lib. IV. de Trin.* eumdem textum recitat cum voce *Deus*; ac proinde si alicubi eam praetermittit; ut in *Psalm. CXXII.*; non integrum refert locum Apostoli. Translatio autem puncti ante nomen *Deus*, miserum est Socinianorum effugium, quod omnium Codicum consensus praecludit.

Inst. 2.° Ipse Christus explicat, quo sensu se Deum dixerit, aut dici passus sit. Ait enim *Joan. X.* 34. *Non-*

34. *Nonne Scriptum est in lege vestra; quia ego dixi dii estis? Si illos dixit deos, ad quos sermo Dei factus est, et non potest solvi Scriptura: Quem pater sanctificavit, et misit in mundum: vos dicitis: quia blasphemas, quia dixi, filius Dei sum?* Ergo *Deus* dicitur improprie, sicut illi, qui in Scripturis dii dicuntur.

℟. *Neg. cons.* Argumentum enim Christi est quod dicunt *a minori ad majus.* Si nemo ex vobis scandalum patitur ex eo quod Scriptura Deus appellat nonnullos homines; a fortiori non debetis admirari, si is, qui procedit a Deo Patre, Deus appellatur. Haec responsio satis erat ad praecludenda ora, et compescendas manus furentium Judaeorum, qui Christum lapidare nitebantur. Quod autem alio sensu Christus se diceret Deum, ac illi, qui improprie hoc nomine donati sunt, patet ex sequentibus: *si mihi non vultis credere, operibus credite . . . . Quia Pater in me est; et ego in Patre.* Ex quibus verbis clare intellexerunt judaei, quod Sociniani nolunt intelligere, alio sensu Christum se Deum appellasse, ac homines. Subdit enim Joannes, ex illis Christi verbis iterum furentium Judaeorum iras exarsisse. *Quaerebant ergo*, inquit, *eum apprehendere; et exivit de manibus eorum.* Hunc enim verba Christi sensum habent: Si ergo ii, quibus exigua quaedam potestas a Deo data est, dii appellantur improprie, qui a Patre procedit, eamdemque ab illo, et cum illo naturam accipit, Deus proprie debet nuncupari. Unde Apostolus *Philip. II.* 6. Judaeorum calumnias retundens, ait, ideo Christum appellatum Deum, quia aequalem cum Patre naturam habet: *Cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se aequalem Deo.*

Inst. 3°. Neque illa verba: *Pater in me est, et ego in Patre*, significant unam cum Patre naturam. Ipse enim Christus alibi id explicat de concordia voluntatis, quo sensu etiam dixit *Joan. X. Ego et Pater unum sumus*, sicut et *Act. IV.* dicitur: *Multitudinis credentium erat cor unum, et anima una.* Nam

Joan.

Joan XVII. 21. sic Patrem orat, ut discipuli *omnes sint unum*, *sicut et nos unum sumus*. Ergo.

℞ *Neg. ant.* Illam enim unitatis similitudinem alio sensu in Patre, et Filio, quam in credentibus intelligendam esse satis diximus *Lib. IV. cap.* 4. ubi eamdem dissolvimus objectionem.

Objic. IV. Operationes, et proprietates Christo attributae possunt esse ei tamquam praecellenti creaturae a Deo donatae. Ergo non probant ejus divinitatem.

℞. *Dist. ant.* Omnes. *neg.* Aliquae, *subdist.* Et si res ita se haberet, Christus, et Apostoli id explicare debuissent, *transeat.* Secus, *neg.* Itaque inter proprietates et operationes Christo attributas nonnullae sunt, quae sine controversia non possunt cum ulla creatura a Deo communicari; ut ex. gr. esse Filium Dei naturalem, esse principium, et finem omnium, aeternitas, omnipotentia, aequalitas cum Deo etc. Quod si aliae aliquot proprietates a Deo possunt creaturae dari, de quo nolumus longiorem instituere disputationem, necessarium fuisset ad vitandum errorem, ut Christus ipse, vel Apostoli explicarent, quo sensu eas Christo tribuerent, ne decipere potius homines, quam erudire viderentur. Sed tam longe abest, ut vel Christus, vel Apostoli hanc explicationem adhibuerint, quin potius semper eas proprietates tamquam Christo naturales praedicarunt, et cum aliis proprietatibus conjunxerunt, quae cum creaturis communicari non possunt.

Inst. Apostolus *Colos. I.* 15. satis id explicat, cum Christum creaturam appellat. *Primogenitus*, inquit, *omnis creaturae*; primogenitus enim ejusdem, ac secundogenitus naturae esse debet.

℞. *Neg. ant.* Primogenitus enim dicitur in Scripturis, ante quem nullus est genitus, etsi nemo post ipsum, sicut et de Maria Virgine dicitur *Luc. II.* 7. *Peperit filium suum primogenitum.* Dicitur ergo Christus primogenitus omnis creaturae, quia ante omnem creaturam de Patris substantia genitus ab aeterno est. Quod patet non solum ex aliis Scripturae locis, in quibus dicitur *Unigenitus* (non enim uni-

unigenitus dici potest, post quem alii ejusdem naturae geniti sunt) verum etiam ex hoc ipso Apostoli loco *Colos. I.* in quo ideo dicitur Christus omnis creaturae primogenitus, quia omnia ab ipso creata sunt. Subdit enim: *Quoniam in ipso condita sunt universa in caelis, et in terra visibilia, et invisibilia, sive throni, sive dominationes, sive principatus, sive potestates, omnia per ipsum, et in ipso creata sunt.* Hinc Theodoretus *in hunc loc. Si unigenitus, quomodo primogenitus? Si primogenitus, quomodo unigenitus?... Est ergo primogenitus creaturae, non quod sororem habeat creaturam, sed quod ante omnem creaturam sit genitus. Quomodo enim fieri posset, ut idem esset frater creaturae, et opifex? maxime cum, nec ipsum appellarit divinus Apostolus* πρωτοκτιςον *primo creatum, sed* πρωτοτοκον, *hoc est primo genitum.* Et ante Theodoretum Tertullianus *Lib. cont. Prax. Primogenitus, ut ante omnia genitus; Unigenitus, ut solus ex Deo genitus.* Tunc autem primogenitus et secundogenitus ejusdem naturae sunt, cum eodem modo sunt geniti. Sed jam eadem Christi divinitas ex Patrum etiam traditione confirmanda est.

§. II.

Christi divinitas contra haereticos ostenditur ex Patrum Traditione.

Adv. Omnes haeretici fatentur, Patres, qui post Concilium Nicaenum, aut saltem Ephesinum scripserunt, Christi divinitatem agnovisse. De Patribus ergo antiquioribus controversia est.

PROPOSITIO.

Patres ante Nicaenum, et Ephesinum Concilium constanter docuerunt, Christum esse Deum.

Prob. 1.° Ignatius *Epist. ad Smyrnenses: Glorifico,* inquit, *Jesum Christum Deum, qui sic vos sapientes fecit.* Et *Epist. ad Ephesios: Unus est medicus carna-*

lis, *et spiritualis*, *factus*, *et non factus*, *in carne Deus*; *in morte vita vera*, *et ex Maria*, *et ex Deo*.

2.° Justinus *Dial. cum Triph.* Judaeos confutat, qui negabant, *Christum Deum esse*; docetque eum, qui in Veteri Testamento *Deus Sabaoth*, *Dominus virtutum*, *Deus Israel* appellatur, ipsum Christum fuisse, eique convenire proprietates, quae in Veteri Testamento de vero Deo dicuntur.

3.° Irenaeus non semel in Libris adversus haereses Christum Deum esse probat: unde ait *Lib. IV. cap.* 11. *Ipse igitur Christus cum Patre vivorum est Deus qui et locutus est Moysi*, *qui et Patribus manifestatus est*: utiturque *Lib. III. cap.* 18. testimonio Apostoli, quod supra posuimus *Rom. IX.* 5. *Et iterum*, inquit, *ad Romanos scribens*, *de Israël dicit*: *quorum Patres*, *et ex quibus est Christus*, *qui est Deus super omnia benedictus in saecula*.

4.° Cyprianus *Lib. II. Testim. adv. Judaeos cap.* 6. *et seqq.* ex professo probat, *quod homo*, *et Deus Christus*: Idemque saepe in Epistolis suis insinuat, ut *in Epist. LXIII.* ad *Caecilium* vocat Christum *Dominum*, *et Deum nostrum*: et idem facit in *Epist. ad Jubajan.* et *in Lib. de Idolor. vanit.*

5.° Idem tradunt *Clemens Alexandrinus*, *Origenes*, *Athanasius*, *Augustinus* (*a*), qui vel ante Nicaenum, vel ante Ephesinum Concilium floruerunt.

6.° Tandem Patres Concilii Nicaeni apertissime hoc dogma posuerunt in Symbolo, ubi disertis verbis docent, *Jesum Christum esse Filium Dei unigenitum*, *ex Patre natum ante omnia saecula*, *Deum de Deo*, *lumen de lumine*, *Deum verum de Deo vero*, *genitum*, *non factum*, *consubstantialem Patri*, *per quem omnia facta sunt*; *Qui propter nos homines*, *et propter nostram salutem descendit de caelis*, *et incarnatus est*, *et homo factus est etc.* Quod symbolum antiquam universae Ecclesiae catholicae fidem ostendit. Ergo.

Hae-

(a) Clemens *Alex. Admonit. ad Gent.* et *Lib. I. Paedagog. cap.* 7., Origenes *Lib. I. cont. Cels* et *Lib. III.*, Athanasius *Epist. ad Epict.*, Augustinus *Enchirid. cap.* 35. *et* 36. Vide alia loca Scripturae, et Patrum apud Acta Concilii Ephesini.

Haereticorum objectiones ex Patribus ante-Nicaenis depromptae, eae sunt, quas contra ipsius Verbi divinitatem ex iis Patribus corraserunt *Sociniani*, quasque quantum instituti brevitas postulabat, dissolvimus *Lib. IV. cap.* 5. Sed de Christi divinitate satis, ut arbitror, disputavimus.

CAP. VI.

De humana Christi natura.

Adv. I. Nunc alteram haereticorum classem aggredimur, quorum alii, Christum fuisse verum hominem humano corpore indutum, negarunt, ut *Phantasiastae*; alii corpus ipsi aëreum, et caeleste tribuerunt, ut *Valentinus*: alii denique vel animam humanam omnino negarunt, vel tribuerunt tantummodo animam sensibilem, quam Graeci dicunt ψυχην (a); negarunt vero rationalem, quam illi appellant νουν, ut Apollinaristae, et Ariani.

II. Nos primo ostendemus, Christum fuisse verum hominem; deinde, in illo verum fuisse corpus humanum ex Maria Virgine genitum. Quo in loco ipsam B. Mariae virginitatem vindicabimus adversus haereticos, quorum aliqui negarunt, eam fuisse virginem ante partum, sed ex *Josephi* conjugio genuisse Christum; quales fuerunt *Ebion*, *Cerinthus*, *Carpocrates*, et ipsi Judaei, qui Messiam non ex Virgine nasciturum putant: alii negarunt, eam fuisse virginem in partu, ut *Jovinianus*, de quo Augustinus *Lib. de haeres. cap. LXXXII. et Lib. I. con. Julian. cap.* 2.: alii denique negarunt, eam post partum permansisse virginem, *ut Helvidius*, qui *Antidicomarianitae* dicuntur, de quibus vide Hieronymum *Lib. cont. Helvid*: Augustinum de *Haeres. cap. LVI.*, et Epiphanium *Haeresi LXXVII.*

(a) Scholasticis animam *sensitivam*.

§. I.

Ostenditur, Christum veram habuisse humanam naturam; ideoque verum corpus humanum ex Maria Virgine.

PROPOSITIO I.

In Christo vera, et propria agnoscenda est humana natura. Est dogma fidei.

Prob. Ille veram, et propriam habuit naturam humanam qui saepe in Scripturis, nulla adhibita explicatione, dicitur homo. Atqui Christus saepe in Scripturis sine ullo additamento homo dicitur, Sic *I. Tim. II.* 5. *unus Deus, unus et mediator Dei, et hominum homo Christus Jesus.* 2.° *Joan. VIII.* 40. ipse Christus de se ait: *Quaeritis me interficere, hominem, qui veritatem vobis locutus sum*: et saepissime seipsum *filium hominis* appellat. Ergo etc.

PROPOSITIO II.

Christus verum habuit corpus humanum. Est dogma fidei.

Prob. I. ex Script. 1.° *Joan. Epist. I. cap. IV.* 2. *Multi*, inquit, *Pseudoprophetae exierunt in mundum. In hoc cognoscitur Spiritus Dei: Omnis Spiritus, qui confitetur Jesum Christum in carne venisse, ex Deo est.* 2.° Idem in Evangelio *cap. I.* 14. *Verbum caro factum est.* Heb. II. 14. *Quia pueri communicaverunt carni, et sanguini, et ipse similiter participavit eisdem.* 3.° Corpus, et omnia corporis membra ipsi saepissime tribuuntur. *I. Pet. II.* 24. *Peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum.* Luc. ult. 39. *Videte manus meas, et pedes, quia ego ipse sum: palpate, et videte, quia spiritus carnem, et ossa non habet, sicut me videtis habere.* 4.° Saepe dicitur natus ex David, et Abraham *Matth. I.* 1. Et *Rom. I.* 3. *Qui factus est ei ex semine David secundum carnem.* 5.° Denique

niique singulae ferme Novi Testamenti paginae corpus humanum Christo attribuunt, in quo esurivit, sitivit, passus, mortuus est, resurrexit, quod et in Eucharistia fidelibus comedendum reliquit.

Prob. II. Ille verum habet corpus, qui verus homo est. Atqui talis est Christus, ut in *I. Prop.* ostendimus. Ergo.

Objectiones.

Objic. Ex eo quod Scriptura membra corporea Deo tribuit, non sequitur, Deum humano corpore esse indutum. Ergo a pari etc.

℟. *Neg. cons. et parit.* Ex iis enim, quae Scriptura, et ipsa naturalis ratio demonstrat de spiritali Dei natura, evidens est, membra corporea nonnisi per metaphoram Deo tribuenda esse. At eadem Scriptura ita loquitur de corpore Christi, ut non potuerit clarioribus verbis verum corpus significare; nec Christus post resurrectionem aliis argumentis veritatem carnis suae probare potuerit Apostolis adhuc dubitantibus, utrum phantasma, an verum corpus viderent.

Inst. Ex vetustioribus Patribus nonnulli docuerunt, Christum ipsum Patriarchis apparuisse, cum iis manducasse, locutum fuisse etc. Et tamen corpus illud non verum, sed falsa corporis imago erat: Ergo.

℟. *Neg. cons.* 1.° Quia illa aliquorum Patrum sententia solido fundamento caret. 2.° Quia Patres illi asserebant, corpus illud, in quo Christus Patriarchis apparuerat, verum fuisse corpus, quod sibi pro tempore aptaverat, ut homines ad fidem ejus in corpore humano nascituri praepararet.

Objic. II. Apostolus *Philip. II. 7.* ait, *Semetipsum exinanivit, formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, et habitu inventus, ut homo.* Ergo non verum corpus, sed corporis imaginem habuit in similitudinem hominum.

℟. *Neg. cons.* Ex quo homo homini dicitur similis, non sequitur, illum non esse verum hominem, vere-

vero corpore humano indutum. Est enim similitudo duplex, altera in natura, altera in *accidentibus*.

Inst. 1.° Ex eo quod dicitur *Rom. VIII.* 3. *Deus Filium suum mittens in similitudinem carnis peccati*, recte sequitur, Christum non habuisse carnem peccato obnoxiam. Ergo ex eo quod dicitur in similitudinem hominum factus, recte sequitur, non veram habuisse naturam humanam, sed ejus dumtaxat similitudinem, et falsam imaginem.

℟. *Neg. cons. et parit.* Ratio dissimilitudinis in eo est, quia tum Scriptura aliis in locis nos edocet, tum ratio etiam ostendit, Christum fuisse sanctum, innocentem, impollutum, segregatum a peccatoribus; ac proinde similitudo carnis peccati non ita accipienda est, ut Christus babuerit carnem peccato obnoxiam. At contra Scriptura ipsa millies docet, Christum fuisse hominem, filium hominis, et cetera, quae supra allata sunt; ac proinde *similitudo hominum* accipienda est de similitudine naturali.

Inst. 2.° Ait ibidem Apostolus: *formam servi accipiens*, quod in Graeco est μορφην, sive speciem externam. Ergo non habuit veram hominis naturam; ac proinde nec corpus.

℟. *Conc. ant. quoad* 1m. *partem*, *neg. quoad* 2m. licet quod forma μορφη, idem sit, ac externa species. Eodem enim sensu accipienda est *forma servi*, ac *forma Dei*; ait enim: *cum in forma Dei esset*, ... *formam servi accipiens*. Atqui forma Dei naturam significat divinam. Ergo forma servi naturam humanam.

Inst. 3.° Subjungit Apostolus: *et habitu inventus ut homo*. Ergo tantum in exerna specie homo fuit.

℟. *Neng. cons.* Habitus enim, juxta Craecae vocis vim, figuram significat: figura autem non excludit rei veritatem; sicut neque etiam *rei veritatem* excludit comparatio illa *ut homo*. Sic cum *Joan. I.* 14. dicitur: *Vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti a Patre*: comparatio illa *quasi* non indicat, Christum non fuisse verum Patris Unigenitum; cum paulo post dicatur: *Unigenitus Filius qui est in sinu Patris, ipse enarravit.*

Objic.

Objic. III. idem Apostolus. *II. Cor. V.* 16. ait; *Etsi cognovimus secundum carnem Christum, sed nunc jam non novimus.* Ergo licet olim crediderit Apostolus, Christum veram carnem habuisse, postea opinionem illam rejecit, ut falsam.

℟. *Neg. cons.* Cognoscere enim secundum carnem, et non cognoscere secundum carnem, non significat cognoscere, aut non cognoscere veritatem carnis; sed cognoscere, aut non cognoscere affectu carnali. Unde ibidem paulo ante dicit: *ex hoc jam neminem novimus secundum carnem:* quod certe non significat, neminem vera carne constare. Sensus ergo est: si antea Christum affectu quodam carnali cognoscebamus; gloriantes scilicet de consanguinitate cum Christo; nunc non ita eum novimus, sed affectu spiritali, cum in Christo nulla sit distinctio Judaei, et Graeci, ubi non est Judaeus, neque Scytha, neque barbarus, sed omnes in Christo unum sunt. Corripit nimirum eo loco falsos quosdam Apostolos, qui jactantes, se esse Christi consanguineos, aliam praedicabant doctrinam. Alioquin si eo sensu dixisset: non novimus Christum secundum carnem, quia carnem in Christo non agnoscebat, cur in posterioribus Epistolis millies de corpore, de morte, de resurrectione Christi verba fecisset? Vide Estium *in hunc locum.*

Objic. IV Indignum est Deo humanam carnem assumere. Caro enim concupiscit adversus spiritum; ac proinde a Deo malo producta est. Unde dicitur *I. Cor. XV.* 50. *Caro, et sanguis regnum Dei possidere non possunt.* Ergo.

℟. *Neg. ant. Ad confirm. Dist. ant.* Caro peccato infecta concupiscit adversus spiritum, nec regnum Dei possidebit, *conc.* Caro qualis a bono Deo creata est, et qualis fuit in Christo, *neg.* Vide Tertullianum *Lib. de Resurrect. carnis*, ubi multis rationibus carnem Deo non indignam probat.

PRO-

PROPOSITIO III.

Corpus Christi non fuit aëreum , et caeleste ; sed ex Maria vere sumtum. Est fidei dogma.

Prob. Christus in utroque Testamento *ex semine David*, *et Abraham* dicitur genitus, *filius hominis*, *natus de Maria matre ejus*, cujus genealogia per avos, atavosque ab Adamo deducitur *Luc. III.* 23. *factus... ex semine David secundum carnem Rom. I.* 3. *factus ex muliere Galat. IV.* 4. etc. Quae saepissime in Scripturis occurrunt. Atqui haec omnia falsa essent, si corpus ejus fuisset caeleste, quod per Mariam tantummodo transisset. Ergo.

Objic. Apostolus *I. Cor. XV.* 47. *Primus* inquit, *homo* (Adam) *de terra*, *terrenus*: *secundus homo* (Christus) *de caelo*, *caelestis*. Ergo etc.

℟. *Dist. ant.* Secundus homo de caelo caelestis, propter personam divinam, quae ex Patre caelestem habet originem, propter animum caelestibus donis instructum, et ornatum, *conc.* Propter corpus, *subdist.* Propter dotes caelestes, quas habuit, praesertim post resurrectionem, *conc.* Propter ipsam caelestem materiam, *neg.*

Inst. 1.° Ideo primus homo ex Apostolo dicitur de terra, quia corpus ejus de limo terrae sumptum est. Ergo ut constet antithesis, idcirco secundus dici debet *de caelo* quia corpus ejus fuit e caelo sumtum.

℟. *Dist. ant.* Et propter id solum dicitur primus homo de terra terrenus, *neg.* Propter terrenas etiam proprietates, et cupiditates, quibus subjectus est, *conc.* Unde constat antithesis, quam spectabat Apostolus; ideoque concludit: *Qualis terrenus, tales et terreni*: *et qualis caelestis*, *tales et caelestes. Igitur sicut portavimus imaginem terreni*, *portemus et imaginem caelestis.*

Inst. 2.° Ipse Christus *Matth. XII.* 48. negat, se habere matrem, et fratres: *Quae est*, inquit, *mater mea*, *et qui sunt fratres mei?* ... *Quicumque fecerit volun-*

voluntatem Patris mei, qui in caelis est, ipse meus frater, et soror, et mater est. Ergo corpus non de Maria sed de coelo sumsit.

℟. *Neg. ant.* Non enim hi carnis conjunctionem negat; sed spiritualem anteponit.

PROPOSITIO IV.

Corpus Christi sine ulla carnis pollutione conceptum est ex Maria, quae Virgo extitit ante partum; in partu, et post partum. Est dogma fidei.

Prob. 1a. *et* 2a. *pars.* I. Isaias *Cap. VII.* 14. *Ecce,* inquit, *Virgo concipiet, et pariet filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel.* Hunc locum vindicat *Hieronymus* a pravis Judaeorum commentis, qui vocem Hebraicam *Halma* non *virginem*, sed adolescentulam significare docent: cum contra in aliis Scripturae locis, ut *Gen. XXIV.* 16., *Exod. II.* 8. veram significet virginem: et omnes versiones, nempe LXX. Caldaica, Syriaca, Arabica, Latina *virginem* constanter, habeant; et alioquin non fuisset magnum illud prodigium, quod Propheta promiserat, Deum facturum, nisi vox illa veram significet virginem. Sed contra haereticos, qui Novum Testamentum agnoscunt, habemus de hoc Isaiae vaticinio ipsius Scripturae interpretationem, quae omne effugium praecludit. Ait enim Matthaeus *cap. I.* 18. *Christi autem generatio sic erat. Cum esset desponsata mater ejus Maria Joseph, antequam convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu Sancto .... Hoc autem totum factum est, ut adimpleretur quod dictum est a Domino per Prophetam dicentem: ecce virgo in utero habebit, et pariet filium; et vocabitur nomen ejus Emmanuel.* Et clarius Lucas *cap. I.* 34. *Dixit autem Maria ad Angelum: quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? Et respondens Angelus dixit ei: Spiritus Sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi. Ideoque et quod nascetur ex te sanctum, vocabitur filius Dei.* Ergo.

Prob. II. ex perpetua Ecclesiae traditione, quae

vel

vel a primis saeculis profitetur in symbolo Apostolico, Christum *natum ex Maria virgine*, ut necesse non sit Patrum testimonia recitare. Ait enim Augustinus *Enchir. cap* 34. *Quod si vel per nascentem corrumperetur ejus* (Mariae) *integritas*, *non jam ille de Virgine nasceretur, eumque falso, quod absit, de Virgine Maria natum tota confiteretur Ecclesia.* Mirum ergo est, quod in hunc errorem impegerit *Durandus*, docens, Christum ex utero Virginis prodiisse aliqua partium dilatatione, quem errorem amplexi sunt etiam Calvinistae, ne fateri cogerentur, posse Christum esse in Eucharistia sine loci extensione. Ergo etc.

Prob. 3a. *pars* non quidem ex Scriptura, sed ex traditione, quam vindicat adversus *Antidicomarianitas* Epiphanius *Haeresi LXXVIII. Quis*, inquit, *ullo tempore umquam extitit, qui S. Mariae nomen appellare auderet*, *et non rogatus subinde Virginis vocabulum adjiceret?* et *Hieronymus* ut blasphemiam omnibus retro saeculis inauditam exagitat *Helvidii* sententiam *Lib. cont. Helvidium de perp. Virginit B. Mariae.* Unde Basilius *Hom. XXV. de Nativit. Christi* ait: *Christi amantium aures non sustinent hoc audire, quod Dei genitrix aliquando Virgo esse desierit* (a). Ergo etc.

Solvuntur objectiones.

Objic. I. *cont.* 1m. *part.* Vox *Halma*, quae habetur in Hebraeo textu Isaiae, significat *absconditam mulierem* non autem *Virginem*; unde Aquila, et Symmachus verterunt *ἀποκρυφην*. Ergo frustra ex hoc loco argumentamur contra Judaeos, aut eos haereticos, qui Evangelium *Matthaei* non agnoscebant.

℞. *Nego ant.* Quamvis enim admittatur *Symmachi*, et *Aquilae* versio, quam tamen rejicere possumus ob malam auctorum fidem, non sequitur, *Halma* non significare virginem, eo quod significet *absconditam*: imo

(a) Adde Ambrosium *Epist. L. XXXI.* Augustinum *Haeres LVI.* Concilium Gen. V. *Can.* 6., Concilium VI. *act. XI.*, Concilium VII, *Act.* III.

imo vel ex hoc ipso evincitur, significare virginem summa cura custoditam, ne vel aspectui aliorum pateret; cum praesertim in aliis Scripturae locis supra recitatis manifeste virginem designet. *Ostendant Judaei*, inquit Hieronymus (*in cap. VII. Is.*) *in Scripturis alicubi positum Halma, ubi adolescentulam tantum, non virginem sonat; et concedimus eis, illud quod in Isaia apud nos dicitur: Ecce virgo concipiet, et pariet filium; non absconditam virginem, sed adolescentulam significare jam nuptam.*

Inst. Isaias hoc signum, de quo agitur, promittit *Achaz* Regi, ut per ipsum veritatem confirmet promissionis suae, nempe Deum liberaturum Jerusalem a duobus Regibus, qui urbem obsidione cinxerant. Ergo non est referendum vaticinium ad Christum, qui multa post saecula natus est; sed ad puerum aliquem paulo post nasciturum; nempe vel ad filium *Isaiae*, de quo ipse loquitur *cap.* VII.; vel ad filium ipsum *Achaz*, nempe *Ezechiam*, qui utique de Virgine nati non sunt; ac proinde *Isaiae* verba non significant virginem.

℟. *Neg. ant.* Promiserat quidem Isaias Regi signum liberandae Jerusalem, dicens: *Pete tibi signum a Domino Deo tuo*: at cum ille incredulus respondisset: *Non petam, et non tentabo Dominum*: jam non ad Regem ipsum Propheta, sed ad totam familiam David sermonem convertit, dicens: *Audite ergo domus David . . . . dabit Dominus ipse vobis signum: Ecce Virgo concipiet et pariet filium*: quasi diceret: si hoc prodigium Dominus seris Davidis nepotibus ostendet, quanto magis hoc, quod nunc promittit de liberanda urbe? Non potest vero *Isaiae* vaticinium referri neque ad filium *Isaiae*, qui nec vocatus est, nec potuit vocari *Emmanuel*, hoc est *Nobiscum Deus*, cum praesertim Emmanuel dicatur futurus Rex terrae *Is. VIII.* 8.; nec ad *Ezechiam* filium *Acaz*, qui jam decennis erat, cum *Achaz* regnare coepit. *Achaz* enim *sexdecim annis regnavit IV. Reg.* XVI. 2.; at post ejus mortem Ezechias jam vigintiquinque annorum erat IV. *Reg.* XVIII. 2.

Objic.

Objic. II. Si Christus ex *Maria* Virgine natus esset, non esset filius *David*; nam Evangelistae non *Mariae* sed *Josephi* genealogiam usque ad *David* deducunt, ut probent, Christum esse filium *David*. Ergo.

℞. *Neg. ant. Ad confirm. dist. ant.* Deducunt genealogiam solius *Joseph.*, *neg. Joseph.* simul et *Mariae*, *conc.* Cum enim ut *Lib. I. Cap. VII. Prop.* 3. observavimus, constaret tunc apud Judaeos ex accurata familiarum distictione, et serie, idque etiam nunc constet ex traditione perpetua, *Josephum* desponsasse sibi *Mariam* ex eadem familia, satis fuit Evangelistis describere genealogiam *Joseph*, ne recederent a consuetudine Scripturarum, et totius populi, quae jamdiu invaluerat, ut virorum tantum genealogia texeretur. Demonstrata enim origine *Joseph*, *Mariae* quoque origo monstrata est. Haec est communis Sanctorum Patrum sententia, et solutio difficultatis, quam prae ceteris urgebat *Julianus* apostata. Caeterum satis probabiliter responderi potest, *Lucam* texuisse genealogiam *Mariae*, *Mattheum* vero *Josephi*. Ait enim Lucas *cap. III.* 23. *Ut putabatur filius Joseph, qui fuit Heli etc.* hoc est Christum putatum fuisse quidem filium *Joseph*; sed revera fuisse filium, seu nepotem *Heli*, seu *Heliacim*, seu *Joachim*; haec enim tria nomina idem sunt in Scripturis, *Joachim* autem pater B. Virginis est. Itaque Evangelistae duo utriusque parentis, veri scilicet, et ejus, qui pater putabatur, originem a *Davide* deducunt. Ita *Hilarius*, aliique.

Objic. III. cont. 2m. *part. Luc. II.* 22. *Postquam impleti sunt dies purgationis ejus* (sc. Mariae) *secundum Legem Moysi, tulerunt illum in Jerusalem, ut sisterent eum Domino, sicut scriptum est in Lege Domini: Quia omne masculinum adaperiens vulvam, sanctum Domino vocabitur.* Ergo Maria in partu virgo non fuit.

℞. *Neg. cons.* Ex verbis enim Evengelistae id unum consequitur, Mariam servasse Legem, quam tulerat Moyses de mulieribus parientibus, et de primogenitis, qui vulvam aperirent; sed non sequitur, id factum a B. Virgine ex debito, et non ex humilitate (in qua virtute excellebat) aliique pruden-

dentibus, et mysticis rationibus. Nnmquid ex eo quod Evangelistae scribunt, Christum fuisse circumcisum, et baptismum poenitentiae a Joanne suscepisse, inferes hinc, illum fuisse obnoxium originali, aut actuali peccato? Porro ex Patrum traditione scimus; imo ex Scriptura evidentissime colligitur, Mariam non fuisse Legi Mosaicae de mulieribus parientibus obnoxiam, utpote quae Virgo pepererat: voluisse tamen eam servare tum ob humilitatem, tum ne calumniandi occasio praeberetur Judaeis ejus virginitatem ignorantibus, tum denique quia sensus spiritalis Mosaicae legis Christum ipsum praecipue spectabat, qui solus inter natos mulierum *Sanctum Domino* vocari potuit; quia immaculatus, et a primo conceptionis instanti Domino consecratus est. *Sicut Christus*, inquit S. Thomas 3. *P. Q. XXXVII. art.* 4. *licet non esset legi obnoxius, voluit tamen circumcisionem, et alia legis onera subire, ad demonstrandum humilitatis, et obedientiae exemplum, et ut approbaret legem, et ut calumniae occasionem Judaeis tolleret, propter easdem rationes voluit, et matrem suam implere Legis observantias, quibus tamen non erat obnoxia.* Et Natalis Alex. (Comment. in cap. II. Lucae) *Christus* inquit, *legi primogenitorum subditus non erat, tum quia Legis conditor, et dominus; tum quia vulvam matris non aperuit, sed clauso virginis utero egressus est . . . quae est Ecclesiae fides traditione, Patrumque summo consensu firmata, scilicet Ambrosii, Hyeronimi, Augustini* etc. (a). Quod si qui Patres, ut Ambrosius in

(a) Ambrosius *Epist. ad Siric. P. cont. Jovin. et Lib. de Instit. Virg. cap.* 7.. Hieronymus *in Cap.* XLIV. *Ezech.* Augustinus *Epist.* CXXXII. *al.* III. *ad Volus. Lib. de Haeres. cap.* 82. *et alib.* Paulinus *Epist.* IV. Gaudentius Brix. *cap.* 9. Leo M) *Serm.* I. *et* II. *de Nat.* Chrysogonus *Serm.* CXLII. Ephrem *Orat. de Margarita pret.* Proclus Constant. *Orat.* I. *in Deip.* Theodoretus *Dial.* II. Fulgentius *Lib.* I. *de veritate Predest. cap.* 2. Gennadius *Lib. de Dogm. Eccl. cap.* 69. Hormisdas *P. Epist.* LXXIX. *ad Just.* Pelagius I. *P. in Corfess. Fidei Epist.* XVI. *ad Childebert.* Hildefonsus *Lib. de Virginit. S. Mariae* Beda

in cap. II. Luc. Iraeneus *Lib. IV. cap.* 66., Athanasius *Epist. ad Epictet.*, et alii dicunt, Christum nascendo vulvam matris aperuisse; minus proprie locuti sunt; accipiendo scilicet vulvae apertionem pro ejus effectu, seu pro ipsa nativitate, quae in aliis mulieribus vulvae apertione fit. *Significare enim voluerunt, Christum ex clauso exiisse utero, quemadmodum si aperuisset*, inquit Natalis Alex. *loc. cit. Et Disser. XLVIII. Saec. IV.* Quod quidem ex ipso Ambrosio manifestum est, qui *Lib. de Inst. virg. cap.* 8. *ait*: *Bona porta Maria, quae clausa erat, et non aperiebatur. Transivit per eam Christus, sed non aperuit.* Et Hieronimus etiam *in cap. XLIV. Ezech. Solus Christus*, inquit, *clausas portas vulvae virginalis aperuit, quae tamen clausae jugiter permanserunt.* Excipe tamen Tertullianum *Lib. De carne Christi cap.* 23., et Origenem *Hom. IV. in Luc.*, quos ab errore vindicare vix possumus.

Objic. IV. *cont.* 3m. *part. Matth. I.* 18. Haec habentur de *Maria. Cum esset desponsata Mater ejus* (sc. Jesu) *Maria Joseph, antequam convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu S.* Et adjicitur ibidem de Joseph *v.* 25. *Et non cognoscebat eam, donec peperit filium suum primogenitum.* Ergo post partum *Maria* virgo non permansit.

℟. *Neg. cons.* Iis enim verbis non significat Evangelista *Mariam* non perseverasse virginem post partum; sed fuisse virginem ante partum. Unde ait Hieronymus *Comment. in hunc loc. Quod autem dicit: antequam convenirent: non sequitur, ut postea convenerint; sed Scriptura quid factum non sit, ostendit.* Nec movere nos debet particula *donec*, quae sepae in Scripturis significat quid antea non sit factum, non quod postea acciderit, ut in illis verbis *Gen. VIII.* 7. *Corvus egrediebatur, et non revertebatur, donec siccarentur aquae.* Itaque ex Scripturis apertum est, virginem

---

da *in Cap.* 2. *Luc.* Damascenus *Lib.* IV. *de Fide cap.* 15. Anselmus *Lib. de Sacr. alt. cap.* 3. Bernardus *Serm.* XXXIII. *in Cant.* et alii apud *Nat. Alex. loc. cit.*

nem fuisse Mariam ante partum, et in partu: quod autem post partum virgo permanserit, ex perpetua traditione constat.

Inst. 1.° In Scripturis Novi Testamenti nominantur *fratres* Christi, Sic *Matth. XIII.* 55. ***Nonne hic est fabri filius? Nonne mater ejus dicitur Maria: et fratres ejus Jacobus, et Joseph, et Simon, et Judas?*** Idem in aliis locis habemus. Ergo etc.

℟. *Neg. cons.* *Fratres* enim in Scripturis dicuntur non solum germani, aut consanguinei, sed utcumque cognati. Sic Abraham, et Loth *Gen. XIII.* 8. dicuntur *fratres*. *Fratres sumus*, ait Abraham; licet essent patrueles. Unde autem fratres illi Christo cognati essent, duae sunt Patrum sententiae. Nonnulli enim cum *Epiphanio*, et aliis (quos citant Vossius *Dissert. de Gen. Christi cap.*6. et Serry *Exercit. XL. de Christo*) putarunt, *Josephum* jam viduum desponsasse sibi *Mariam*; ac proinde alios filios ex priori conjugio habuisse. Alii sicut magis pie, sic probabilius cum Hieronymo *in cap.XIII. Matth.* aliisque Patribus censent, *Josephum* fuisse virginem; ideoque fratres Domini fuisse ejus patrueles. Constat enim ex Scripturis, *Jacobum*, qui dicitur unus e Christi fratribus, non fuisse filium *Joseph*. Nam *Jacobus* frater Christi unus fuit e duodecim Apostolis, ut testatur Paulus *Galat. I.* 19. At ex duobus Apostolis, qui hoc habuere nomen, unus fuit filius *Zebedaei*, alter filius *Alphaei*. Ergo si certissimum est, unum ex fratribus Christi non fuisse filium *Joseph*, idem judicium de aliis ferendum est; cum contra *Epiphanii* opinio nullum omnino fundamentum habeat, nisi librorum Apocryphorum auctoritatem, ut ait *Hieronymus*. Nec miramur Pictorum consuetudinem, qui *Josephum* valde senem depingunt. Notum enim est illud: *Pictoribus atque poëtis Quidlibet audendi semper fuit aequa potestas.*

Inst. 2.° Christus *Matth. I.* 25. dicitur Mariae *primogenitus*. Ergo alii post ipsum geniti sunt.

℟. *Neg. cons.* Primogenitus enim dicitur in Scripturis qui primo generatus est, licet alii post ipsum non nascantur. Quod manifestum est ex lege Moy-

si *Num. XVIII.* 16, ubi jubet, pro hominis primogenito post unum mensem siclum argenteum offerri. Si enim primogenitus ille est, post quem alii nascuntur, non suffecisset unum mensem expectare, ut observat *Hieronymus*.

Inst. 3.° Si *Joseph* desponsavit sibi *Mariam*, sive illud fuerit verum conjugium, ut nonulli Patres probabilius affirmant, sive tantum sponsalia, ut alii volunt, sequitur hinc, nec *Josephum*, nec *Mariam* habuisse virginitatis propositum. Ergo.

℟. *Neg. ant.* Potest enim, servata pari consensu castitate, appellari, et esse conjugium, ut *Augustinus* observat. Imo hoc propositum, sive, ut melius cum Patribus dicam, votum fuisse in *Maria*, patet non solum ex traditione, sed ex ipsa Scriptura. Angelo enim annuntianti nativitatem Christi respondit; *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? Hoc non diceret*, ait Augustinus *de Sancta Virginitate cap.* 4., *nisi Deo virginem se ante vovisset*. Cur autem e virgine viro desponsata nasci voluerit Christus, rationes profert S. Thomas duodecim 3. *P. Q. XXIX. art.* 1., quem vide. De Mariae Virginitate copiose tractat Natalis Alex. *Dissert. XLVIII. Saec. IV.*

§. II.

Ostenditur, in Christo vere agnoscendam esse animam rationalem.

PROPOSITIO

Christus veram habuit animam rationalem. Est dogma fidei.

Prob. I. Christus ipse animam suam saepe nominat. *Joan. X.* 17. *Ego pono animam meam, ut iterum sumam eam. Matth. XXVI.* 38. *Tristis est anima mea usque ad mortem.* Quod autem anima illa non fuerit tantum sensualis sed rationalis, ex eo patet, quod illa anima rationalis est, quae rationalium operationum

tionum principium est. Atqui ex Scripturis anima Christi principium est rationalium operationum, intellectus scilicet, voluntatis, orationis. Ergo etc.

Prob. II. ex Patribus, qui ex professo Apollinaristas impugnarunt, *Athanasio* scilicet, *Epiphanio*, *Augustino*. Omnium vero Patrum ea sententia est, Verbum id sanasse, et redemisse, quod assumsit; sanavit autem, redemitque homines, praecipue quoad animam rationalem. Ergo.

Prob. III. ex Conciliis, in quibus ea haeresis damnata est, nimirum duobus Conciliis Alexandrinis sub *Athanasio* annis CCCLXII. et CCCLXIII., Concilio Romano sub *Damaso*, Constantinopolitano I. aliisque.

Prob. IV. *ratione*. Ille enim veram habuit rationalem animam, qui veram habuit naturam humanam. Natura enim humana sine anima rationali non est. At Christus veram habuit naturam humanam, ut supra ostendimus. Ergo. etc.

Objectiones.

Objic. I. *Joan. I.* 14. *Verbum caro factum est.* Ergo carnem tantum, non animam assumsit.

℟. *Neg. cons.* Caro enim per *synecdochen* totam significat humanam naturam sicut in aliis Scripturae locis, ut *Matth. XXIV.* 22. *Nisi breviati fuissent dies illi, non fieret salva omnis caro*: Gen. VI. 12. *Omnis caro corruperat viam suam*: Joan. XVII. 2. *Sicut dedisti ei potestatem omnis carnis.* Voluit autem Evangelista hac uti synecdoche, ut magis Verbi charitatem commendaret, qua semetipsum exinanivit usque ad carnem assumendam, quae quia magis distans a Verbo, minus eo digna videbatur. Hinc Augustinus *Ep. CXL. al. CXX. More suo*, inquit, *Scriptura, ut Christi humilitatem magis ostenderet, ne carnis nomen quasi indignum aliquid refugisse videretur, carnem pro homine posuit. Nec enim quia scriptum est: videbit omnis caro salutare Dei, animae ibi non sunt intelligendae.*

Objic. II. Duae res perfectae non possunt ita secum conjungi, ut unum constituant. Atqui si in Christo fuisset anima rationalis, fuissent in eo duae res perfectae;

perfectus scilicet Deus, et perfectus homo. Ergo etc. Hoc erat palmare Apollinaristarum argumentum.

℟. *Neg. maj.* Si enim duae aquae guttae, seorsim sumptae, duae sunt perfectae res; et tamen naturaliter ita secum invicem conjunguntur, ut unum perfectum constituant; multo magis supernaturali, et omnipotenti virtute Dei in unum potuerunt Verbum, atque humana natura copulari. In eo autem propositum exemplum ab Incarnatione differt, quod duae aquae guttae, cum conjunguntur, perfectius quoddam totum constituunt, ita ut utraque gutta novam ex unione perfectionem acquirat. At verbum, cum sit perfectissimum, non potest novam acquirere perfectionem ex unione cum natura humana, ut fusius dicemus infra, ubi de essentia Incarnationis agemus.

Objic. III. Sicut praesente Sole inutile est lumen aliud, ita praesente Verbo inutilis erat anima rationalis in Christo; cum Verbum ipsum omnes ejus operationes longe melius posset peragere. Ergo.

℟. *Neg. ant. et parit.* Necessaria enim erat anima rationalis, tum ut Christi operationes essent humanae; tum ut posset per passionem, cujus capax non est Verbum, homines redimere.

§. III.

Expediuntur breviter nonnullae quaestiones, ad humanam Christi naturam pertinentes.

Q. I. *Si Christus humanam naturam ex genere Abraham accepit, quomodo dicitur ab Apostolo* Heb. VII. *Christum non fuisse decimatum in Abraham, sicut Levi, et omnes Abrahae nepotes; quando ille decimas dedit Melchisedecho Gen. XIV. 20?*

℟. Augustinus *Lib X. de Gen. ad lit. cap.* 20. *et Lib. II. de peccator. merit cap.* 25. eam rationem affert, quod Christus non fuit in *Adam* eo modo, quo *Levi*, et alii ejus posteri; cum ex eo non sit per carnalem generationem natus, sed virtute Spiritus Sancti *Luc. I.* 35. ideo nullum traxit ex *Adam* originale peccatum, cujus causa accipere deberet a *Melchisedecho* be-

benedictionem, eique decimas solvere, cum ex ipso potius Christo benedictio omnibus gentibus terrae impertita sit. Eamdem *Augustini* sententiam alii sequuntur.

Q. II. *Quare Christi conceptio, sive humanae ejus naturae formatio Spiritui Sancto tribuatur, cum omnia externa opera toti Trinitati communia sint?*

℟. 1.° Quia cum Spiritus Sanctus procedat ut Amor, sicut *Lib. IV. cap. XI* §. 4. explicavimus, omnia opera, quae Dei erga homines charitatem, et gratiam ostendunt, inter quae maxime eminet opus Incarnationis Filii Dei, Spiritui S. solent attribui. Hanc rationem Ambrosius *in cap. I. Luc.*, Augustinus *Enchir. cap.* 38.; *Hieronymus Leo* M. aliique tradunt. 2.° Quia Christi conceptio non immunda, sicut ceterorum hominum, sed sancta, et immaculata fuit; Spiritus Sanctus autem ab Apostolo *Rom I.* 4. *Spiritus sanctificationis* appellatur, eique etiam trbui solet quidquid sanctum est. Atque id significare videtur Angelus *Luc. I.* 35. cum ait. *Spiritus Sanctus superveniet in te . . . . ideoque et quod nascetur ex te sanctum vocabitur Filius Dei.* 3.° Quia miracula, inter quae praecipue excellit incarnatio, Spiritui Sancto tribuuntur in Scripturis saepissime *Matth. XII.* 28. *I. Cor. XII. et al.*

Q. III. *Utrum Christi corpus formosum, an deforme fuerit?*

℟. 1.° Nihil certi de hac quaestione ex Scripturis erui posse. Quae enim loca pulchritudinem Christo tribuunt, ut illud *Psal. XLIV. Speciosus forma prae filiis hominum, diffusa est gratia in labiis tuis*: ea a patronis adversae sententiae de pulchritudine animae explicantur. Quae contra deformitatem significant, ut illud *Isaiae LIII.* 2. *Non est species ei, neque decor*, de vita humili, atque abjecta, et de vultu in passione foedato explicantur ab aliis.

℟. 2.° Qui Christum videre potuerunt, aut ab iis, qui viderant, audire, ii de vultu Christi ne verbum quidem faciunt, satius existimantes ad spiritualia bona, quam ad corporis pulchritudinem animum advertere.

℟. 3.° Patrum ergo sequentium saeculorum auctoritas ad controversiam finiendam satis non est. Licet enim essent tunc Christi imagines, nonnullae etiam quae

dicuntur non manu hominum, sed per miraculum divinitus formatae, quales fuisse memorantur imagines *Abgari*, et *Veronicae*, de quibus vide Gretserum *Lib. de Imaginib. Christi non manufact* Henschenium *apud Bolland. ad 4. Feb.* et alios; tamen quia imagines illae utrum genuinae, aut ad vivum expressae essent, fortasse non constabat, Patres neque picturis, neque testimonio eorum, qui Christum viderunt, innituntur, sed tantum Scripturarum locis paulo ante recitatis, ex quibus nihil certi inferri posse vidimus.

℟. 4.° Major veterum numerus, Christum vultu minime speciosum fuisse affirmat, quorum testimonia collegit Rigaltius *Dissert. de vultu Christi ad calc. Opp. S. Cypriani.* Contra Hieronymus *Epist. ad Principiam*, Chrysostomus *in cap. VIII. Matth. et Hom XXVII.* Christi faciem sidereum quoddam decus habuisse docent, per quod uno verbo Apostolos ad se traxit. Recentiores vero tum pictores, tum Scriptores vultui Christi pulchritudinem quantam possunt maximam tribuunt.

℟. 5.° Nos mediam ineuntes viam, verisimilius putamus, Christum, nec talem habuisse faciei pulcritudinem, quae intuentium oculos pelliceret; nec talem deformitatem, quae averteret. Corpus enim a Spiritu Sancto formatum, deforme esse non potuit; sed ipsa membrorum apta dispositione, colore temperato, qualis est in homine perfecte sano, virilem decorem, et venustatem habere debuit. Vide Calmet *Dissert. in Isaiam* Sandinum *Histor. familiae Sacrae*, Molanum *De Sacr. imaginib. Lib. IV. cap. 1.*, Serry *Exercit. XLVII.*

Alias autem quaestiones de humana Christi natura, ejusque dotibus expediemus inferius, ubi contra Eutychianos docuerimus, ipsam, non fuisse a divinitate consumtam. Nunc de duarum naturarum conjunctione, quod tertio loco propositum erat, disserendum est.

CAP. VII.

De hypostatica duarum naturarum conjunctione.

De duarum naturarum conjunctione in Christo duo sunt, ut supra diximus, contrarii haereticorum errores: *Nestorius* enim duas in Christo naturas, duasque

que personas esse affirmabat; ideoque nec B. Virginem Θεοτοκον (Deiparam) esse dicendam, nec *communicationem idiomatum* in Christo agnoscendam putabat. Contra *Eutyches* ita unam in Christo statuebat personam; ut unicam etiam adstrueret naturam. Sed quia nonnulli recentiores heterodoxi ex odio Catholicorum *Nestorium*, et *Eutychen* defendere conati sunt, quasi ex male intellectis eorum verbis, praecipiti sententia damnati essent (*a*); ideo contra eos disputantes, primum omnium revera eos in errorem, qui eis tribuitur, impegisse demonstrandum est; deinde error ipse refellendus. Incipiamus a *Nestorio*, de quo acrius certatum est; nam de *Eutychete* clarior res, quam ut demonstratione indigeat.

§. I.

Ostenditur, Nestorium revera duas in Christo personas posuisse, unionem hypostaticam negasse, idiomatum communicationem rejecisse.

PROPOSITIO.

Nestorius revera in eos declinavit errores, qui ipsi objiciuntur.

Prob. prop. I. ex veterum testimonio, *Leonis M.*, *Cyrilli Alexandrini*, *Vincentii Lirinensis*, *Evagrii*, *Liberati Diaconi*, *Cassiani*, *Theodoreti*, aliorumq. qui *Nestorio* coaevi, vel proximi, imo et nonnulli, ut *Theodoretus*, amicissimi fuerunt (*b*). Putidum enim est dicere,

---

(a) David De Rodon in Libro *De Supposito* (qui liber jussu Curiae Supremae Tholosanae igni damnatus est) Elias Saurinus *Apologia contra Jurieum*, Albertinus Calvinista, Baelius *in Dictionar. V. De Rodon*, aliique. Ad eorum opinionem accedere videtur Dupinus in *Biblioth. Tom.* III. *part.* 2. Qui tamen ea, quae pro Nestorio scripserat, retractare compulsus est.

(b) Leo M. *Epist. CXXXIV.*, *al XCVII. et Epist. XLVI. al. XXIII*, Cyrillus *passim in suis Opp.* Lirinen-

re, illos *Nestorii* sensum non assecutos, qui cum eo colloqui, ejusque scripta legere potuerunt, nunc vero post tot saecula melius *Nestorii* doctrinam intelligi.

Prob. II. ex Ecclesiae judicio in pluribus synodis, quas non satis perspectam habuisse *Nestorii* mentem, ineptum est opinari. Damnatus enim ille est 1.° in Concilio Romano sub *Celestino* anno CCCCXXX., 2.° in Concilio generali totius Ægypti, in quo Concilii Romani sententia probata est, et publice significata *Nestorio*. 3.° in Conciliis Ephesino, Chalcedonensi, et Constantinopolitano II. Oecumenicis.

Prob. III. ex ipsius Nestorii Scriptis, ac vocibus. Ille enim negavit unionem hypostaticam, et unitatem personae in Christo, qui asseruit, eum qui de Virgine natus est, non esse Deum, sed in ipso Deum inhabitasse, tamquam in templo; ideoque B. Virginem non esse dicendam Matrem Dei, sed hominis, qui Deum gestabat. Atqui ista docuit Nestorius. Aut enim in *I. anathematismo* contra *Cyrillum*: *Si quis eum, qui est Emmanuel, Deum verum esse dixerit, et non potius Nobiscum Deus: hoc est inhabitasse eam, quae secundum nos est, naturam, per id quod unitus est nostrae, quam de Maria Virgine suscepit: Matrem etiam Dei Verbi, et non potius ejus, qui est Emmanuel, nuncupaverit . . . . . anathema sit.* Et *in anathematismo V. Si quis unum esse post assumtionem hominis naturaliter Dei Filium dixerit, cum sit Emmanuel, anathema sit.* Idem docuit *Nestorius Serm. III.* et *VII.* et Epistola *ad Cyrillum*, Epistola *ad Caelestinum* Pontificem, aliisque monumentis, quae habentur in actis Concilii Ephesini; unde haec ejus vox publice ferebatur, teste *Theodoro Ancyrano*, et *Acacio Melitinensi Act. I.* ejusdem Concilii: *Bimestrem, aut trimestrem Deum non adoro* Ergo.

Prob. IV. Si *Nestorius* recte sensisset de hypostatica unione, subscripsisset utique expositioni fidei, quae a Con-

---

nensis *Commonitor.* I. *cap.* 17. Evagrius *Lib. I. Hist. Cap.* 2., Liberatus *Breviar Cap.* 4. Cassianus, *Lib. I. de Incarnat. Cap.* 2 Theodoretus *Lib. IV. haeretic. Fab. Cap.* 22.

Concilio Ephesino edita est ; saltem cum ejus amici *Joannes* Antiochenus ; et *Theodoretus*, explicatis omnibus vocum ambiguitatibus, pacem cum *Cyrillo* inierunt. At semper in sua sententia pertinax, licet Episcopatu exauctoratus, et in exilium pulsus usque ad mortem duravit. Ergo. Vide Natalem Alex. *Dissert. VI. in Hist. Eccl. Saec. V.*, Petavium, Berti, aliosq.

Solvuntur argumenta pro Nestorio.

Objic. I. Ille recte, et catholice sensit de Incarnatione, qui ait, Christum, non esse hominem solum, sed hominem, et Deum: non esse duos Filios, aut Dominos, sed unum; naturamque divinam, et humanam in unam convenisse hypostasim Verbi: qui denique concedebat tandem, ut B. Virgo *Deipara* diceretur. Atqui haec omnia docuit Nestorius. Nam, 1.° *Serm. XII.* damnat *Paulum* Samosatenum, *qui nobis Dominicam humanitatem nudam a Deitate delirat.* 2.° *Serm. XI.* ait. *Divisio non est, neque conjunctionis, neque potentiae, neque filiationis, neque hujus, quod est Christus : . . . Non enim habemus duos Christos, vel duos Filios.* 3.° *Epist. ad Caelestinum* docet, *utramque naturam propter conjunctionem summam, et inconfusam in una persona Verbi adorari.* 4.° *Serm. VI. Dixi*, inquit, *jam saepius : si quis inter vos simplicior, sive inter quoscumque alios, voce hac* Θεοτοκος *gaudet ; apud me nulla est de voce invidia, tantum ne Virginem faciat Deam*; Et clarius *Serm. XII. Filius Dei natus est Deus Verbum, et homo; Ergo quae peperit, propter unitatem dicatur Dei genitrix*, Θεοτοκος. Ergo.

℟. *Dist. maj.* Qui ista docuit sincere, et in sensu catholico, *conc.* Subdole, et in sensu haeretico, *neg.* Familiare enim est haereticis, ad vitandam Catholicorum invidiam, justamque damnationem, haeresim suam verbis ambiguis exponere ut fecit *Pelagius* in Synodo Diospolitana. Nestorius itaque asserebat. 1.° Christum non esse hominem solum; quia ab ipso ortu conjunctus fuit morali nexu cum Verbo Dei, non quia humana natura hypostatice Verbo juncta est. 2.° Propter eamdem moralem conjunctionem affirmabat, Christum

stum unum esse, non duos: quo sensu etiam dicit Apostolus *I. Cor. VI.* 17. *Qui adhaeret Domino, unus spiritus est*: Et ipse Christus *Joan. XVII.* 22. Patrem orat, ut fideles *sint unum, sicut et nos unum sumus.* 3°. Divinam humanamque naturam dicebat in una Verbi persona, consistere, nomen pessonae usurpans non pro *hypostasi* sed pro dignitate, et honore, quemadmodum in jure civili pater, et filius una persona censentur, ut observat Concilium Constantinop. II. *Anath. IV.* 4o. B. Virginem concedebat appellari *Deiparam*, eo quod genuisset hominem Deo unitum, qui homo propter eximiam ejus dignitatem improprie Deus appellari poterat. Ita ipse Nestorius sensum aperit suum *Epist. ad Caelestinum*: *Nominetur*, inquit, *de Virgine hoc Verbum* (Deipara) *propter inseparabile templum Dei Verbi ex ipsa; non quia ipsa sit Mater Dei Verbi.*

Inst. Nestorius agnoscebat et vocem θεοτοκος, et reliquas catholici dogmatis formulas, dummodo non acciperentur in sensu *Arii*, et *Apollinaris*. Ergo non abhorrebat a catholico dogmate, sed si quid novi visus est protulisse, eo consilio fecit, ut magis recederet a doctrinis haereticorum, in quo imprudentiae potius, quam haeresis accusari potest.

℟. *Dist. ant.* Ita loquebatur quia dogma catholicum cum *Arii*, et *Apollinaris*, haeresi confundebat, *conc.* Secus, *neg. Nestorius* itaque ut catholico dogmati conflaret invidiam, illud accusabat haeresis *Arii*; et *Apollinaris*, qui quidem unitatem personae in Christo posuerunt, sed haeretico sensu.

Objic. II. Viri summi *Joannes Antiochenus*, et cum eo Orientales Episcopi complures, *Theodoretus Cyrensis*, *Acacius Beroensis*, aliique impense faverunt *Nestorio*. *Joannes* quidem *Antiochenus* Epistola *ad Nestorium P. I. Conc. Ephes. cap.* 25. testatur, ipsum *eadem sapere, et sentire, quae Sancti Patres, Ecclesiaeque Doctores.* Theodoretus *in Epist. ad Alexandrum Hierapol.* conqueritur, inique venerabilis, et sanctissimi Episcopi *Nestorii* dogma fuisse damnatum. *Acacius Beroeensis in Epist. ad Cyrillum P. I. Conc. Ephes. cap.* 23. ait, *Nestorium* in vocibus quibusdam errasse; at Catholicum tenuisse sensum; non secus ac *Paulinus Antiochenus* olim

olim licet tres hypostases in Trinitate negaret, Catholicus tamen erat. Alia veterum testimonia pro *Nestorio* vide apud *Christianum Lupum Schol. ad Syn. Ephes.* Denique Socrates *Lib. VII. Hist. Eccl. cap.* 32. *Ego*, inquit, *dum ejus libros lustro, hominem imperitum reperio .... Nec tamen mihi videtur imitari Paulum Samosatenum, aut Photinum, et Dominum omnino simplicem hominem dicere; sed solam Deiparae vocem tamquam larvam reformidare.* Ergo.

℟. *Dist. ant.* Et hi quidem decepti sunt partim amicitia *Nestorii*, partim subdola vafri hominis loquendi ratione, *conc.* Recte sensum ejus assecuti sunt, *neg.* Duo itaque fautores *Nestorii* aliquandiu deceperunt, primum amicitia, quae illi intima erat praesertim cum *Joanne* Antiocheno, et *Theodoreto*; tum verborum ambages, quibus haereseos virus tegebat, maxime in laudata *ad Joannem Antiochenum* Epistola. Caeterum iidem, detecta fraude, *Nestorio* anathema dixerunt, imo *Joannes Antiochenus*, inita pace cum *Cyrillo*, Synodum Ephesinam recepit, et Imperatori auctor fuit, ut eum in Oasim pelleret in exilium, ubi lingua vermibus scatente periit. *Theodoretus* vero licet in *Cyrillum*, etiam pace cum Orientalibus inita, minus aequus; tamen publice *Nestorio* anathema dixit tum in Concilio Chalcedonensi, tum in *Lib. IV. Haeret. Fabul. cap.* 12. ubi *Nestorium* inter haereticos recenset. Judicium vero *Socratis* non tanti est, ut totius Ecclesiae sententiae praevaleat, tum quia Theologus non erat *Socrates*; tum quia non aliam rationem defensionis suae profert, nisi verba *Nestorii*, quae *Joannem Antiochenum*, *Theodoretum*, aliosque deceperant.

Scholion.

Licet *Nestorius* aliqua ex parte a *Paulo* Samosateno, ac *Photino* abesset, quia fatebatur, Verbum Dei esse personam a Patre distinctam, ab aeterno subsistentem, et Jesum Christum fuisse Verbo Dei conjunctum; in eo tamen cum illis haereticis consentiebat, quod Christum purum hominem asserebat, morali tantum nexu Deo conjunctum. Utrumque igitur verum est, et ipsum

sci-

scilicet *Pauli* Samosateni haeresim excitasse (quod ipsi objecit Clerus Costantinopolitanus (*Act. I. Concil. Ephes.*) et ipsum a *Pauli* dogmate abhorruisse, quod ait *Socrates*, et ipse *Nestorius* saepe professus est in *Sermonibus*. Vide *Marii Mercatoris* Epistolam *De discrimine inter haeresim Nestorii, et Pauli Samosateni.*

§. II.

***Ostenditur**, unicam in Christo esse personam, eamque divinam.*

PROPOSITIO

Unica est in Christo persona divina. Est dogma fidei.

Prob. I. ex iis Scripturae locis, quibus supra demonstravimus, Christum esse Deum; si enim duplex esset in eo persona divina, et humana, nonnisi absurde; imo et cum blasphemia dici posset, hominem Deo conjunctum esse vere, et proprie Deum. Deinde ex clarissimis ejusdem Scripturae testimoniis, quae uni, eidemque personae in Christo divinam attribuunt, humanamque naturam; divinas, humanasque proprietates. Ita *Joan. III.* 13. *Nemo ascendit in caelum, nisi qui descendit de caelo, filius hominis, qui est in caelo;* quomodo autem filius hominis, qui in terris erat, in caelo esse dici poterat, nisi ejus persona una, eademque esset divina Verbi persona? Huic similia sunt alia loca complura, ut est illud *Ephes. IV.* 10. *Qui descendit, ipse est et qui ascendit super omnes caelos, ut impleret omnia.* Item *Gal. IV.* 4. *Misit Deus Filium suum, factum ex muliere.* Nihil vero est enucleatius, quam quod ait Apostolus *Philipp. II.* 6. *Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se aequalem Deo: sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo. Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem etc.* ubi manifestum est, illum ipsum, qui in forma Dei, hoc est natura Deus erat, factum hominem,

nem, humiliatum, et crucifixum. Quod et Joannes *cap. I.* 14. *dicit*: *Verbum caro factum est*: et Ecclesia profitetur in Symbolo tum Apostolico, tum Nicaeno dicens unum Dominum nostrum Jesum Christum, filium Dei unigenitum, ex patre natum, ante omnia saecula, Deum de Deo etc. propter nos homines, et propter nostram salutem descendisse de caelis, incarnatum de Spiritu Sancto ex Maria Virgine, factum hominem, passum, crucifixum, sepultum etc. Quibus verbis nihil excogitari poterat, clarius. Ergo.

Prob. II. ex perpetua Patrum traditione, quam Concilium Ephesinum *Nestorio* opposuit. Longum esset singulorum testimonia recitare, quae leguntur *Part. I.* et *Act. I.* Concilii Ephesini, quaeque fusius a Coccio *Lib. II. Thesauri*, et Petavio *Lib. III, De Incarn.* recitantur. Satis sit unum, aut alterum proferre. 1.° Dionysius Alexandrinus *in Epist. Synod. ad Paulum Samosatenum* eum refellit, *duas hypostases, et duas personas asseverantem unius Christi, sive Christos duos, duosque filios.* 2.° Athanasius *Lib. de Incarnat. Homo*, inquit, *una persona, et unum animal est ex spiritu, et carne compositum: ad cujus similitudinem intelligendum est, Christum unam esse personam, et non duas.* 3.° Ambrosius *Lib. De Incarnat. cap.* 5. *Utrumque unus, et unus in utroque, hoc est vel divinitate, vel corpore; non enim alter ex Patre, alter ex Virgine; sed idem aliter ex Patre, aliter ex Virgine.* 4.° Nazianzenus *Orat. XXXI. Non duo factus, sed unum ex duobus fieri sustinens; Deus enim ambo sunt, id quod assumpsit, et quod est assumptum. Naturae duae in unum concurrentes; et non duo filii.* Innumeros habes alios in Actis Ephesinae synodi. De *Cyrillo* autem, et sequentibus Patribus non est ambigendi locus. Ex hac autem traditione Symbolum, quod vulgo dicitur Athanasii, sic habet: *Qui licet Deus sit, et homo; non duo tamen, sed unus est Christus. Unus autem non conversione divinitatis in carnem, sed assumtione humanitatis in Deum. Unus omnino non confussione substantiae, sed unitate personae.* Et Concilium Ephesinum *Can. III.* idipsum definivit: *Si quis in uno Christo hypostases post unitionem dividit, sola eas connexione,* qua-

quae sit secundum dignitatem, vel auctoritatem; ac non potius ea, quae sit secundum naturalem unionem, conjungens, anathema sit. Quod et confirmatum est in tribus sequentibus Conciliis oecumenicis, Chalcedonensi, Costantinopolitano II. et III. Ergo etc.

Prob. III. *ratione.* Si in Christo duplex esset persona, divina et humana, destrueretur Incarnationis mysterium, quod Apostolus vocat *magnum sacramentum, mysterium absconditum a saeculis in Deo*; nec Christus ab aliis sanctis multum differret. Destrueretur quidem mysterium Incarnationis; ex eo enim quod Verbum Dei moraliter cum humana persona conjungatur, in eaque inhabitet, dici non potest Verbum factum esse hominem, ut patet. Non distaret vero Christus multum ab aliis sanctis; quia etiam illi conjunctus est Deus, in eisque habitat, teste eodem Christo *Joan. XIV.* 23. atque ideo nec homines redemisset, cum redemtio, ut Patres docent, nosque infra probabimus, nonnisi a persona infinitae dignitatis fieri potuerit. Ergo.

Scripserunt contra Nestorium ex veteribus *Proclus* Episcopus Cyzicenus variis *Homiliis*, et *Epistolis* quae habentur in Bibliot. PP. *Cyrillus Alex.* passim in suis Operibus, praesertim Libris quinque *Contradictionum contra Nestorium*: *Marius Mercator Dissertatione contra Nestorii anathematismos*, aliisque scriptis, quae eruditissime illustravit *Garnerius*; *Joannes Cassianus Libris VII. de Incarnatione, Leontius Byzantinus.* Ex recentioribus vero fuse *Petavius*, *Thomassinus*, *Natalis Alexander*, *Bellarminus*, *Witassius*, *Tournely etc.*

Objectiones.

Objic. I. Patres passim docent, Verbum assumsisse hominem, ut saepe ait Augustinus *Serm. LXVII. al. VIII de Verbis Dom. Tract. XXVIII. in Joan. et al.* Atqui homo personam humanam significat. Ergo.

℞. *Dist. maj.* Locutione impropria, *conc.* Propria, *neg.* Hominem ergo dicunt pro humana natura. Ante exortas enim haereses mirum non est, si minus caute locuti sunt, putantes se ita intelligendos, sicut in Ecclesia catholica credebatur.

Inst.

Inst. 1.° Damascenus *Lib. III. de Fid. cap.* 11., et Anselmus *Lib. de Incarnat.*, docent, Filium Dei non assumsisse naturam humanam *in communi*, sed *in individuo*, nempe hunc hominem. Atqui natura humana in individuo humana persona est. Ergo.

℟. *Neg. min.* Fatemur enim, naturam a Verbo assumtam non esse naturam in genere, sive *in abstracto*, ut Scholae loquuntur; talis enim natura non existit. Sed ad humanam personam constituendam non sufficit, naturam esse individuam, ut et supra *cap. I.* explicavimus, et infra fusius ostendemus; sed requiritur etiam, ut subsistat in se, et non in alio nobiliori composito.

Inst. 2.° Patres Ephesinae Synodi ut certum ponunt, ante conjunctionem Verbi cum humana natura duas fuisse personas. Sic enim habet *Can. III. Si quis in uno Christo hypastases post unitionem dividit.* Ergo fuit saltem humana Christi persona antequam conjungeretur Verbo. Atqui Verbum assumendo hominem nihil in eo destruxit. Ergo remansit etiam post conjunctionem humana persona.

℟. *Neg. maj.* Non enim exstitit ante unionem cum Verbo humana natura; sed in ipsa creatione assumta est, et in ipsa assumtione creata. *Firmissime tene*, inquit Fulgentius *Lib. de Fide ad Pet. cap.* 18, *et nullatenus dubites, carnem Christi non sine divinitate conceptam in utero Virginis priusquam susciperetur a Verbo, sed ipsum Verbum Deum suae carnis acceptione incarnatum, ipsamque carnem Verbi incarnatione conceptam.* Quod ergo dicunt Patres *post unitionem*, non significat, extitisse naturam ante unitionem; sed naturam ab ipso suae creationis momento, sive instanti conjunctam Verbo, non habere separatam, aut distinctam personam; ita ut ante unitionem, et post unitionem non ordinem significet temporis, sed naturae. Quamquam si poneretur, ante unionem extitisse naturam, et personam humanam; tamen in ipsa unione persona humana evanuisset; sicut duae aquae guttae antequam in unam conjungantur, et coalescant, distinctam habent subsistentiam, quam in ipsa unione amittunt. Nec propterea Verbum humanam naturam assumendo, aliquid in ea

ea destruxisse; sed integra remanente natura, novam hypostasim dedisset longe nobiliorem.

Inst. 3.° Scriptura, et veteres Patres appellant Christum divinitatis *instrumentum*, *hominem Deiferum*, *templum Dei vivens*. Ergo personam in eo humanam ponunt, cum qua conjuncta est persona divina; sicut artifex instrumento, Deus templo.

℟. *Dist. ant.* Appellant Christum divinitatis instrumentum etc. conjunctum hypostatice cum divina persona, *conc.* Non conjunctum hypostatice, *neg.* Sicut etiam Apostolus ait, in Christo inhabitare omnem plenitudinem divinitatis corporaliter, hoc est hypostatice conjunctam. Ita etiam corpus humanum saepe in Scripturis tabernaculum dicitur, et domus animae. *Scimus quoniam si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur, quod aedificationem ex Deo habemus .... Nam et qui sumus in hoc tabernaculo, ingemiscimus, II. Cor. V. 1. et 4.*

Objic. Chrysostomus *Hom. III. in cap. I. Epist. ad Heb.* ait, in Christo *duas* esse *personas*, *duo prosopa*, Deum, et hominem, secundum hypostasim distinctas: *Ostendens*, inquit: *duas personas, et Deum, et hominem ...... quod sint duae personae divisae per hypostasin.*

℟. *Neg. ant.* Probat enim ibi S. Doctor contra *Sabellium*, plures esse in divinitate personas per hypostasin distinctas; et contra Judaeos Christum esse Deum, et hominem, ex illo loco *Psalm. XLIV.* quem citat Apostolus: *Thronus tuus, Deus, in saeculum saeculi ... propterea unxit te Deus, Deus tuus.* Quibus verbis recitatis, ait; *Hic et Judaeos, et Pauli Samosateni asseclas, et Arianos, Marcellumque, et Sabellium ferit, et Marcionem.* Nusquam vero ait, duas personas esse in Christo, ut gratis fingitur in objectione. Nec ullus umquam ex Nestorii fautoribus locum hunc Chrysostomi produxit, cum undique minima quaeque corraserint. Quae autem fuerit de Christo mens *Chrisostomi* ex ejus *Epistola ad Caesarium* patet, ubi ait: *Pium est, Christum, qui morte circumdatus est, confiteri in divinitate perfectum, et in humanitate perfectum, unum filium unigenitum, non dividendum in filiorum duali-*ta-

tatem, habentem tamen in semetipso duarum naturarum, minime confusas proprietates, non alterum, et alterum, absit, sed unum, et eundem Dominum Jesum Christum, Dei Verbum carne amictum . . . . Etsi duplex natura, verumtamen indivisibilis, et indissipabilis unitio, quam in una filiationis confitemur persona, et una subsistentia, et hypostasi. Quae verba cum sint luce clariora, non est aequum objicere locum obscuriorem qui et varie legitur in variis aeditionibus (*a*), nec unquam vel ab ipsis vehementioribus Nestorianis objectus est. Vide Tournely *Tom. V, Q. VII. art.* 1. Objectiones autem ex naturali ratione refellemus inferius, ubi Incarnationis mysterium non esse rationi contrarium demonstrabimus.

§. III.

Ostenditur, B. Virginem appellandam esse **Θεοτοκον**; *sive Deiparam.*

Adv. Nestorius hypostaticam unionem humanae naturae negans cum divina persona, ex consequenti negabat, B. Virginem appellari posse *Deiparam*: contendebat autem dicendam esse *Christiparam*, ut supra diximus.

PRO-

(a) Sixtus Senensis *Lib. VI. Biblioth.* sic legit: *Ostendens duas personas, Deum, et Deum* et revera ita *Theophylactus* laudatum recitat *Chrysostomi* locum. *Savilius* autem hoc pacto: *Duo eumdem esse ostendens, et Deum, et hominem. Doucaeus* vero; *Duas personas ostendens, et eundem esse Deum, et hominem.* Quae varia lectio, et scopus *Chrysostomi* illum ab omni suspicione liberant, quamvis cum *Maffejo*, aliisque eruditis Epistolam *ad Caesarium*, quam multi genuinam asserunt, *Chrysostomo* abjudices. Vide eruditam *P. Danielis* Dissertationem de celebri hoc *Chrysostomi* loco *Tom. III. ejus Opp.*

PROPOSITIO.

B. Virgo vere, et proprie Deipara dicendà est. Est fidei dogma.

Prob. I. ex Scripturarum testimoniis superius recitatis. Ille, quem Virgo genuit, vere et proprie Deus est, non simplex homo, sed unica Dei persona humanae naturae conjuncta, *qui est super omnia Deus benedictus in saecula Rom. IX.* 5. Ergo B. Virgo, quae illum genuit, *Deipara* dicenda est, sicut eam appellat. B. Elisabeth. *Luc. I.* 43. *Unde hoc mihi, ut veniat Mater Domini mei ad me?*

Prob. II. ex traditione Patrum Ephesina synodo antiquiorum. 1.° Ignatius *Epist. ad Ephesios*: *Deus noster*, inquit, *Jesus Christus ex Maria genitus est.* 2.° Cyrillus Hierosol. *Catech. XII. Crede, illum ipsum Unigenitum Filium ex Virgine iterum genitum esse.* 3.° Nazianzenus *Orat. LI. Si quis Sanctam Mariam Deiparam non credit, extra divinitatem est.* De *Cyrillo Alexandrino*, qui strenue hoc nomen *Deiparae* vindicavit, nulla est controversia. 4.° His concinunt Latini Patres, ut Tertullianus *Lib. de Carne Christi cap.* 17. *Ante omnia commendandà erit ratio, quae praefuit, ut Dei Filius de Virgine nasceretur*; item Ambrosius *Epist. LXIII.* Augustinus *De dono pers. cap. ult.* Ergo. Vide Petavium *Lib. III. cap.* 14. *de Incarn.*, Natalem Alex. *H. E. Saec. 4. Dist. III.* Contesonium in *Marialogia*. etc. Denique idipsum definivit Concilium Ephesinum contra Nestorium, atque omnes deinde Patres voce illa usi sunt.

Objectiones.

Objic. I. B. Virgo non genuit divinitatem. Ergo dici *Mater Dei* non potest,

R. *Neg. cons.* Ad hoc enim ut dicatur Mater Dei Maria, non requiritur, ut divinitatem genuerit, quae nec gignit, nec gignitur, nec procedit, ut *Lib. IV.* diximus, sed sufficit, ut genuerit eum, cujus persona ab-

divina est, ideoque verus Deus est. Ita etiam in naturalibus generationibus mater animam rationalem non gignit, quae a Deo creatur, nec personam humanam, quae ex matre non gignitur, sed oritur ex conjuntione animae, et corporis, et tamen vere mater hominis appellatur.

Inst. 1.° Persona Verbi est ab aeterno genita ex Patre. Ergo non est in tempore genita ex Matre.

℟. *Dist. ant.* Secundum naturam divinam, *conc.* secundum naturam humanam, *neg.* Est ergo ab aeterno genita ex Patre secundum naturam divinam, quam accepit a Patre: et est in tempore genita a matre, secundum naturam humanam, quam ex illa accepit: *Si quis non confitetur, Dei Verbi duas esse nativitates . . . anathema sit*, inquit Concilium Constantinop. II. *Can.* 2.

Inst. 2.° Persona, quae jam erat, gigni non potest. Atqui persona Filii jam erat ab aeterno. Ergo gigni non potuit in tempore ex Matre.

℟. *Dist. maj.* Si novam non accipiat naturam, *conc.* Secus, *neg.*

Inst. 3.° Mater est filio omni ex parte consubstantialis. Atqui B. Virgo non est consubstantialis Deo. Ergo non potest dici *mater Dei.*

℟. *Dist. maj.* Est omni ex parte consubstantialis Filio in persona humana subsistenti, *conc.* Secus, *neg.* Ideo enim in humanis generationibus mater filio omnino consubstantialis est, quia semper natura humana in persona humana subsistit. Sed cum in Christo humana natura a Filio Dei assumta, in illo subsistat, B. Virgo mater Filii Dei dicitur, licet non sit illi omnino consubstantialis, sed tantum in humana natura.

Objic. II. Spiritus Sanctus plus contulit ad incarnationem Filii Dei, quam B. Virgo. Ille enim creavit animam, formavit corpus; et utrumque Verbo conjunxit; cum B. Virgo carnis tantum substantiam subministraverit. Atqui Spiritus S. non potest dici *Pater Dei.* Ergo multo minus B. Virgo *Mater Dei.*

℟. *Dist. maj.* Plus contulit, modo ad generationem, et paternitatem requisito, *neg.* Alio modo, *conc.* Nihil ergo Christus de substantia Spiritus Sancti accepit, sicut accepit de *B. Maria* carnem, quod ad maternitatem requiritur. Ideo haec dicitur *Mater Dei*, minime Spiritus Sanctus *Pater Dei.*

Objic. III. Vox illa Θεοτοκος *Deipara*, nova est, nec in Scripturis, aut antiquioribus Patribus usitata. Ergo rejicienda.

℟. *Dist. ant.* Quoad sonum syllabarum, *Transeat.* Quoad sensum, *neg.* Dixi *transeat*; quia *Nazianzenus* supra laudatus vocem illam adhibuerat, tamquam in Ecclesia Catholica receptam; ita ut qui B. Virginem negaret *Deiparam*, eum a divinitate alienum pronunciaverit. Sed etsi concederemus, omnino esse novam, tamen cum ejus significatio in Scripturis, et Patribus habeatur, licuit Ecclesiae, ad novam haeresim conterendam, et veterem doctrinam explicandam, novum adhibere nomen, sicut contra Arianos ομουσιον adhibuerat. Adde, etiam, voces *Christipara*, vel θεοδοχος, *Dei susceptrix*, quas *Nestorius* voci θεοτοκος substituebat, novas esse.

Q. Utrum B. Virgo mater Verbi dici possit?

℟. Cum *Verbum* paternae intelligentiae terminum, ideoque aeternam ejus generationem significet, nonnulli Theologi B. Virginem *matrem Verbi* dicendam esse non putant. Sed Ecclesia non videtur ejus rei habuisse rationem; cum de *S. Joseph* in hymno canat: *voluitque Verbi Te Patrem dici.*

§. IV.

De communicatione idiomatum, seu proprietatum divinae, humanaeque naturae in Christo.

Adv. I. Cum Christus unica persona sit, divinam, humanamque naturam habens, ideo huic personae divinae, humanaeque proprietates conveniunt; unde recte dicitur. *Christus est homo*; *Christus est Deus.* Ex quo sequitur *idiomatum*, seu proprietatum divinae, humanae-

que

que naturae *communicatio*, quam Graeci Patres ἀντίδοσιν sive permutationem, et ἀντιμετάστασιν sive transmutationem dixerunt. Cum enim unica persona Christi sit Deus, et homo, recte dicitur: *Deus est homo, homo est Deus*; hoc est persona illa, quae Deus est, naturam habet humanam; et persona illa, quae homo est, naturam habet divinam. Atque hinc consequens est ut dicatur: *homo est aeternus*, *immensus*, *immortalis*, *omnipotens* etc. *Deus est natus*, *passibilis*, *mortalis*, imo *passus*, *mortuus etc.* Non quod natura humana in divinam transierit, divina in humanam, quod utrumque absurdum est; sed quia eadem persona, secundum duplicem naturam, duplicis generis proprietates habet; ita ut propter personae unitatem, inter divinam, humanamque naturam, salvis utriusque, et impermixtis proprietatibus, quaedam facta sit περιχώρησις sive *circuminsessio*, de qua plura ex Graecorum auctoritate Scriptorum late disputat Petavius. Quod non intelligens *Nestorius*, communionem idiomatum praefracte negavit;

II. Sed quia in explicanda *idiomatum communicatione* multiplex potest error subrepere, advertendum est, nomina alia esse *abstracta*, alia *concreta*. *Abstracta* ipsam formam, sive naturam designant, ut *divinitas*, *aeternitas*, *omnipotentia*, *humanitas*, *mortalitas*, *infirmitas*. *Concreta* vero personam forma illa praeditam, ut *Deus*, *aeternus*, *omnipotens*, *immortalis*, *homo*, *mortalis*, *infirmus*. Hinc multiplices tradunt Theologi regulas de *communicatione idiomatum*, quas ad unam generalem revocabimus.

PROPOSITIO.

Dogma fidei est, admittendam esse in Christo communicationem idiomatum. Ne tamen errori locus sit, concreta de concretis praedicari possunt, numquam vero abstracta de abstractis, aut concreta de abstractis, aut abstracta de concretis.

Prob. 1a. *pars.* I. Scriptura de Christo loquens, Deo proprietates humanas, et vicissim homini proprietates divinas attribuit. Ita *Philipp. II.* 8 ait, Deum humiliasse semetipsum, factum obedientem usque ad mortem: et *Act. XX.* 28. acquisivisse Ecclesiam sanguine suo: et *I. Cor. II.* 8. *Dominum gloriae* fuisse crucifixum: *Act. III.* 15. *Auctorem vitae interfecistis.* Contra vero ait, hominem fuisse ab aeterno; omnia cum Patre operari *Heb. I.* esse in caelo: *Nemo ascendit in caelum, nisi qui descendit de caelo, Filius hominis, qui est in caelo. Joan. III.* Ergo etc.

Prob. II. Idem docent Patres; pro quibus omnibus unus sufficiat e Latinis Augustinus *Lib. II. cont. Maximin. cap.* 20. *Si attendas*, inquit, *distinctionem substantiarum, Filius Dei de caelo descendit, Filius hominis crucifixus est; si unitatem personae, et Filius hominis descendit de caelo, et Filius Dei crucifixus est.* Ex Graecis vero Nazianzenus, qui *Orat. LI. Commisceri*, inquit, *ut naturas, sic appellationes, et inter se vicissim commeare* (ut quae sunt hominis propria, Deo, et quae Dei sunt, homini tribuantur) *ratione conjunctionis. De Cyrillo*, et Patribus post Ephesinam Synodum nulla est controversia.

Prob. III. *ratione*; quia cum Christus una persona sit, gemina substantia; una vero illa persona appellari possit Deus, et homo; manifestum est, utriusque substantiae proprietates de eadem persona praedicari posse, sive Deus, sive homo dicatur.

Prob. 2a. *pars.* Per unionem hypostaticam nec natura divina transivit in humanam, nec humana in divinam; utrumque enim absurdum est. Ergo nec proprieta-

tates naturae humanae possunt proprie praedicari de natura divina *in abstracto*, aut vicissim attributa divina de natura humana; nec alia attributa *abstracta* utriusque naturae possunt praedicari de *concretis*, quae naturam designant diversam. Ex. gr. dici non potest proprie: divinitas est humanitas, aeternitas est temporalis, omnipotentia est infirma, aut vicissim: nec dici potest: divinitas est homo, immortalitas est mortua, aut humanitas est Deus etc.; quamquam improprie, et poetice canit Ecclesia: *in ligno mortua vita fuit.*

Corollaria.

I. Ergo falsa est propositio, si dicas: *humana natura est ubique*: quam propositionem Lutherani nonnulli post *Brentium* tuentur contra Scripturam, et Patres, ut explicent quod sensum nostrum exsuperat, quomodo scilicet corpus Christi in Eucharistia sit ubique terrarum. *Matth. XXVII. 5. et 6. Jesum, qui crucifixus est, quaeritis: non est hic: surrexit.* Et ipse Christus *Joan. XI.* 15. *Ut credatis,* inquit, *quoniam non eram ibi.* Augustinus *Epist. CLXXXVII. al. LVII. ad Dardanum cap.* 3. *Cui immortalitatem dedit, naturam non abstulit: secundum hanc formom* (humanam) *non est putandus ubique diffusus* (*a*).

II. Falsa est communicatio idiomatum, si fiat *reduplicative*, ut ajunt; ex. gr. *Christus, ut homo, est immortalis: Christus, ut Deus, est mortuus. Reduplicatio* enim sensum propositionis coarctat ad explicandam non personam, sed naturam; ita ut propositiones illae idem valeant, ac si diceretur in abstracto: *divinitas est mortua, humanitas est immortalis.* Hinc Nicaeni Patres in Confessione fidei ajunt: *Confitemur, Christum totum esse Deum, ut totum hominem. Totum Deum, etiam cum corpore, sed non* *Deum*

(a) Vide aliorum PP. loca apud Bellarminum *Lib. III. De Christo cap. 16.*

Deum quatenus corpus est. Et totum hominem cum divinitate, sed non secundum Divinitatem hominem etc.

III. Cum *idiomatum communicatio* unionem *hypostaticam* duarum naturarum in Christo supponat, et explicet, hinc vitandae sunt propositiones omnes, quibus videtur quidem idiomatum communicatio explicari, sed potius unio hypostatica destruitur; ut si quis, diceret; *Christus est persona creata, vel purus homo, vel filius Dei adoptivus.* Quare cum nomina *adjectiva concreta*, ut ajunt, a *substantivis* derivata, ut *divinus, humanus, Dominicus, Deifer* non significent ipsam naturae substantiam, sed ejus quamdam participationem, in explicanda idiomatum communicatione adhiberi non debent. Quapropter dici non debet: *Christus est homo divinus*, aut *Deus humanus*, aut *homo Dominicus*, vel *Deifer*. Hinc Concilium Ephesinum probavit Cyrilli *anathematismum V. Si quis dicere audeat, Chrisum esse hominem Deiferum . . . . anathema sit.* Et Augustinus *Lib. I. Retract. cap.* 19. reprehendit quod *in Psal. II.* Christum dixerat *hominem dominicum*, cum potius dicere debuisset *hominem dominum*. Possunt tamen hae duae propositiones, *homo dominicus*, vel *Deifer* aliqua benigna interpretatione defendi, ut ait idem Augustinus de *homine Dominico* (*ibidem*), et Basilius de *homine Deifero Serm. de Spiritu S ad Amphiloch.* Potest autem dici, ut advertit *S. Tomas*: *Caro Christi est divina*, quia caro non ipsam personam, sed partem humanae naturae a Deo assumtae significat.

IV. Cum negatio absolute pronuntiata naturam complectatur utramque, non potest idiomatum communicatio per negationem absolutam explicari; significaret enim, proprietatem, quae negatur, neutri naturae convenire. Sic affirmari non potest: *Christus non est mortuus*; nisi addatur; *secundum divinitatem*.

Solvuntur objectiones Lutheranorum contra Corol. I.

Objic. I. *cont. Corol. I. pro Lutheranis Ubiquistis*. Christus homo exaltatus est, et sedet ad dexteram Dei. *Act. II.* 34. *et al.* Atqui dextera Dei est ubique. Ergo.

℟. *Dist. maj.* ratione personae divinae, *conc.* Ratione humanae naturae, *neg.* Dextera autem Dei non significat locum, cum Deus nec dexteram, nec sinistram habeat; sed per methaphoram intelligitur de aequalitate honoris, et potestatis.

Inst. Christus ratione personae divinae non est exaltatus ad dexteram Dei: quia natura sua Deus est, aequalis Patri ab aeterno. Ergo exaltatus est ad dexteram Dei ratione humanae naturae.

℟. *Neg.ant.* Licet enim persona Verbi sit ab aeterno aequalis Patri; tamen cum duplicem habeat generationem, alteram ab aeterno ex Patre, alteram in tempore ex matre, per quam Filius Dei factus est homo, recte per hanc secundam generationem dicitur humiliatus, et exaltatus, imo et praedestinatus *Filius Dei. Rom. I.* 4.

Objic. II. De Christo homine dicitur *Ephes. IV.* 10. *Ascendit super omnes caelos, ut impleret omnia.* Ergo ubique est secundum eam naturam, in qua ascendit, nempe humanam.

℟. *Neg. cons.* Dicitur enim implevisse omnia; tum quia omnia Prophetarum vaticinia complevit; tum quia replevit omnia non substantia, sed virtute, et gloria.

Objic. III. Humana Christi natura est in Eucharistia. Atqui Eucharistia non est uno definita loco, sed ubique consecrari potest. Ergo.

℟. *Neg. cons. Transitus* enim *est de genere in genus*, ut ajunt logici, nempe a sacramentali, atque ineffabili existendi modo, quem Christus habet in Eucharistia, ad modum existendi naturalem.

Objic IV. Humana Christi natura intime conjuncta est Verbo. Atqui Verbum est ubique. Ergo.

℟. *Dist. maj.* Est intime conjuncta Verbo, ita tamen, ut non adaequet Verbi immensitatem, *conc.* Secus, *neg.* Sic in homine quamvis brachium sit intime conjunctum animae, non sequitur, illud esse ubicumque est anima; alioquin brachium esset in capite, in corde, in pedibus etc.

Inst. Ex intima naturarum conjunctione facta est, inter eas, ut supra diximus, περιχωρησις, sive *circuminsessio.* Ergo.

℟.

R. *Neg. cons.* Non enim ad eum modum intelligenda in Christo circuminsessio est, quo modo in divinis personis intelligitur, quae propter eamdem naturam in se invicem perfecte insunt, et commeant; sed dispari ratione propter naturarum diversitatem.

§. V.

Utrum Christus Filius Dei adoptivus dici possit.

Adv. I. *Felix*, et *Elipandus*, ut supra diximus, Hispani Episcopi docuerunt saeculo VIII. Christum filium Dei adoptivum dicendum esse: quem errorem damnarunt *Hadrianus* I. in Epistola ad Episcopos Hispaniae, Concilium Francofordiense, aliaeque provinciales synodi.

II. Sed non est adeo expeditum, utrum *Felix*, et *Elipandus* Christo tribuerint *filiationem* adoptivam eo sensu, quo *Nestorius*; hoc est negando naturalem *filiationem*, et unitatem Personae; an vero affirmaverint, Christum esse adoptivum secundum naturam humanam. Scotus *in III. Dist. X. Qu. I.* docet, Christum dici posse filium Dei adoptivum, dummodo non negetur Filius naturalis; Patres vero hanc locutionem vitasse propter haereticos, qui ea abutebantur, unde Scotistae putant; *Felicem* et *Elipandum* ideo damnatos, quia Christum ita dicebant adoptivum, ut negarent naturalem, nihilque a *Nestorio* differrent.

III. *Durandus*, aliique contendunt, Christum dici posse filium Dei adoptivum, si addatur *secundum naturam humanam*, sive *ut homo*.

IV. Thomistae, aliique passim Theologi docent, Christum nullo pacto dici posse Filium Dei adoptivum, quamvis addatur *prout homo*; imo *Felicem*, et *Elipandum* eo sensu damnatos; licet non negarent cum Nestorianis unitatem personae Christi, ejusque *filiationem* naturalem.

PRO-

PROPOSITIO I.

Felix, et Elipandus non negarunt Christum Filium Dei naturalem, et unam in eo personam divinam.

Prob. I. Qui agnoverant in Christo *idiomatnm communicationem*, ii unitatem personae, ideoque *filiationem* naturalem in Christo agnoverunt. Atqui *Felix*, et *Elipandus* idiomatum communicationem in Christo confessi sunt. Ait enim *Elipandus* in *Confessione fidei* ad *Carolum* M. missa ante Concilium Francofordiense: *Dei Filium, quem Scriptura Sacra testatur pro salute humani generis, Deitate exinanita, hominem factum, circumcisum, baptizatum, flagellatum, crucifixum, mortuum sepultum, servum, peregrinum, leprosum, et quod deterius est, non solum ab Angelis, sed etiam ab hominibus minoratum; vermem esse dictum.* Ergo etc.

Prob. II. *Felix*, et *Elipandus* unam in Christo personam disertis verbis confessi sunt. *Cujus gloriam secundum divinitatem stupent caelestia, et magnitudinem contremiscunt terrena, et qui dicit: gloriam meam alteri non dabo, homo interior in una eademque Dei, et hominis persona deglomeratus.* Ergo.

Prob. III Concilium Francofordiense, aliique auctores, qui *Felicem*, et *Elipandum* refutarunt, non pugnant contra eorum errorem, tamquam aperte olim in *Nestorio* damnatum; sed tamquam novam haeresim recens exortam: et si quando ex damnatione *Nestorii* illam impugnant, id faciunt arguendo potius, quam certam definitionem opponendo. Ergo etc.

PROPOSITIO II.

Felix, et Elipandus Christum filium Dei adoptivum dixerunt, non absolute, sed secundum humanam naturam.

Prob. I. *Hadrianus I.* in *Epistola* ad Episcopos Hispaniae *Felicem*, et *Elipandum* ait, dixisse Christum adoptivum secundum carnem. *Materia*, inquit, *perfidiae in-*

inter caetera rejicienda de adoptione Jesu Christi secundum carnem.

Prob. II. Concilium Francofordiense *in Epistolà ad Episcopos Hispaniae* loquens de Epistola *Felicis* ad *Elipandum*, ait: *quam adoptionem qui scripsit Epistolam, ad Christi voluit transferre humanitatem.*

Prob. III. *Elipandus* in professione fidei ad *Carolum* M. de Christo ait: *Filius adoptivus humanitate, et non adoptivus divinitate.*

Prob. IV. Idem testantur *Jonas Amelianensis Lib. de Cultu Imag.*, et *Ado Viennensis in Chronico ad an.* DCCXCIII. Ergo etc.

PROPOSITIO III.

Christus nullo pacto dici potest filius Dei adoptivus.

Prob. I. Scripturae Christum, etiam ut hominem, filium Dei *proprium*, *unigenitum*, *dilectum*, *verum* appellant, numquam *adoptivum*, *Rom. VIII.* 32. *Qui proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum*: quae verba de Christo homine intelligenda sunt, ut paret. Imo Christus, ut se a ceteris discerneret, numquam Patrem in Evangelio communi nomine Patrem nostrum appellat, sed *Patrem meum*, *et Patrem vestrum Joan. XX.* 17., quo se natura filium, nos adoptivos ostenderet, ut passim Patres observant. Ergo (*a*).

Prob. II *ex PP.* 1.° Hilarius *Lib. III. de Trin. Hic*, inquit, (Christus) *verus*, *et proprius est filius*, *origine*, *non adoptione*, *veritate*, *non nuncupatione.* 2.° Augustinus *Tract. VII. in Joan. Oportebat*, *ut ille baptizaret*, *qui est filius Dei unicus*, *non adoptivus.* 3.° Gregorius *Lib. I. Moral. cap.* 6. *Omnes*, *qui ex fide Deo nascuntur*, *superat*; *quia non ut cete-*

(*a*) Cyrillus Hieros. *Catech.* VII., Augustinus *Tract.* XXI. *in Joan.*

teros adoptio, sed natura illum divinitatis exaltat (*a*). Hinc merito *Hadrianus* I. Synodus Forojulensis Ratisponensis, et Francofordiensis contrariam *Felicis*, et *Elipandi* sententiam damnarunt.

Prob III *ratione*. Adoptio est assumptio personae extraneae ad haereditatem, ad quam jus non habet. Sed Christus, etiam ut homo, non est persona extranea, sed ipsa persona Verbi, humanam habens naturam. Ergo. Vide Petavium *Lib. VII. cap.* 7., Thomassinum *Theolog. Dogm. Lib. VIII. cap.* 1. *et seqq.* Ex professo autem scripserunt contra Felicem, et Elipandum *Etherius*, *Alcuinus*, *Paulinus Aquilejensis*, et *Agobardus*. Vide etiam quae *Card.* de *Auguirre* scribit ad Concilia Hispaniae *Tom. IV*, et *Natalis Alex. Hist. Ec. Saec. VIII.*

Solvuntur Objecta.

Objic. I. Apostolus *Rom.VIII.* 29. vocat Christum *primogenitum in multis fratribus*, hoc est hominibus ei per fidem, et charitatem conjunctis. Ergo parem cum ipsis adoptionem habet, licet valde praecellentem.

℟. *Neg. cons.* Ut enim dicatur Christus in multis fratribus primogenitus, satis est, ut habeat naturam humanam excellentis gratiae donis ornatam, et per illum in alios diffundendam: quae gratia in ceteris quidem hominibus adoptionem facit; non vero in Christo, cujus persona non est adoptionis capax, cum sit proprius, et naturalis Dei filius.

Inst. Primogenitus debet ejusdem cum ceteris fratribus esse conditionis, licet inter ipsos singularibus donis excellat. Ergo.

℟. *Dist. ant.* Si ejus persona non sit jam ab aeterno alterius conditionis; *conc.* Secus, *neg.*

Objic.

(a) Idem docent Ambrosius *Lib. de Incarn. cap.* S. Hieronymus *in cap. I. Ephes.*, Augustinus *Tract. LXXXII in Joan.*, Gennadius *de Eccl. dogm. cap.* 2. etc.

Objic. II. Irenaeus *Lib. III. cap.* 21. *Propter hoc enim*, inquit, *verbum Dei homo, et qui Filius Dei est, Filius hominis factus est, immixtus Verbo Dei, ut adoptionem percipiens sit Filius Dei.* Ergo etc.

℟. *Neg. cons.* Verba enim illa *ut adoptionem percipiens* non referuntur ad Christum, sed ad reliquos homines; ita ut ea sit *Iraenei* sententia: ideo filius Dei factus est homo, ut homo fieret filius Dei. Subjungit enim Irenaeus: *Non enim poteramus aliter incorruptelam, et immortalitatem accipere, nisi adunati fuissemus incorruptelae, et immortalitati: Quemadmodum autem adunari possemus incorruptelae, et immortalitati, nisi prius incorruptela, et immortalitas facta fuisset id, quod nos, ut absorberetur quod erat corruptibile ab incorruptelà, et quod erat mortale, ab immortalitate, ut filiorum adoptionem perciperemus?*

Objic. III. Hilarius de Christo loquens *Lib. II. de Trin.* ait: *Ita potestatis dignitas non amittitur, dum carnis humilitas adoptatur.* Ergo natura humana vere adoptata est; proinde Christus est secundum naturam humanam adoptivus.

℟. *Dist. ant.* Natura humana adoptata est improprie, hoc est sine meritis praecedentibus assumta, *conc.* proprie, *neg.* Adoptio enim proprie personam, non naturam afficit. Nonnulli etiam putant, mendosum esse Hilarii locum, et pro *adoptatur*, legendum *adoratur.*

Objic. IV. *Hildephonsus*, et *Julianus* Toletani Episcopi in publicis Missarum precibus non dubitarunt Christum hominem adoptivum dicere. Ergo.

℟. 1.° Has *Hildephonsi*, et *Juliani* preces non fuisse ab Ecclesia probatas. *Melius est*, inquit Concilium Francofordiense (*in Epistola Synodica*) *testimonio Dei Patris credere de suo filio, quam Hildephonsi vestri, qui tales vobis composuit preces.*

℟. 2.° Ante exortam haeresim Sanctos illos confidentius locutos, nec tamen dixisse Christum Filium adoptivum, sed *hominem adoptivum*, quod benigne, et catholice explicari potest accipiendo *hominem* pro natura humana, quae dicitur adoptata, seu assumta a Verbo.

Objic. V. Gratia sanctificans adoptionem efficit. Atqui

qui Christus homo gratia sanctificante fuit ornatus, ut dicemus inferius. Ergo.

℟. *Dist. maj.* In *subjecto* idoneo, *conc.* In omnibus *neg.* Cum ergo persona Christi non sit adoptionis capax, quia Filius Dei naturalis est, in eo gratia adoptionem non facit.

Inst. Gratia effectu suo *formali* carere non potest. Atqui adoptio effectus *formalis* gratiae sanctificantis est. Ergo vel Christus gratiam sanctificantem non habuit, vel habuit adoptionem.

℟. *Dist. maj.* et *min.* Non potest gratia carere effectu *formali primario*, *conc.* *Secundario*, qualis est adoptio, *neg.* Effectus ergo *formalis primarius* gratiae est reddere hominem Deo gratum: quo effectu gratia carere non potest. Adoptio autem est effectus gratiae secundarius; quo effectu numquam caret, cum *subjectum* est adoptionis capax. Eo autem caruit in Christo, cujus persona, cum esset filius Dei naturalis, adoptionis capax non erat.

Objic. VI. Christus, ut homo, non est Deus; communicatio enim idiomatum, ut supra dictum est, non valet, ubi propositio *reduplicativa* est. Ergo, ut homo, non est filius Dei naturalis, ideoque est adoptivus.

℟. *Neg. cons.* et *parit.* In illa enim proposisione *Christus ut homo non est Deus*: *homo*, *Deus* pro natura accipiuntur, ita ut sensus sit: Natura humana in Christo non est natura divina. At in hac propositione *Christus ut homo, non est naturalis, sed adoptivus Dei filius*: homo personam designat, quia filiatio personam respicit. Cum ergo persona Christi naturalis sit Dei filius, hinc falsum est, Christum, ut hominem, non esse filium Dei naturalem, sed adoptivum.

Inst. 1.° Christus, quatenus Deus est, Filius est Dei naturalis. Atqui ex concessis Christus, ut homo, non est Deus. Ergo Christus, ut homo, non est filius Dei naturalis.

℟. *Neg. maj.* Si enim Christus esset Filius Dei, quatenus Deus est, etiam Spiritus Sanctus esset Filius Dei, quia et ipse Deus est. Est ergo Filius Dei, quia a Patre procedit per generationem aeternam. Cum ergo Chri-

Christus, etiam ut homo, sit persona illa ab aeterno a Patre genita, quae in tempore humanam assumsit naturam; hinc etiam, ut homo, naturalis est Dei Filius.

Inst. 2.° Atqui Christus, ut homo, non est genitus ab aeterno ex Patre, sed in tempore genitus a matre. Ergo.

℟. *Dist. ant.* Non est ab aeterno genitus a Patre, sed in tempore a matre secundum naturam assumtam, *conc.* Ratione personae, quam significat nomen illud *homo*, *neg.* Cum enim in Christo una persona sit, duae naturae, ideoque una sit in illo *Filiatio*, sed duae generationes, altera ab aeterno ex Patre, altera in tempore ex matre; hinc Christus, secundum humanam quidem naturam, non est a Patre ab aeterno genitus; sed secundum personam, quae hanc naturam habet, ac *terminat*: quod sufficit, ut sit filius Dei naturalis, etiam ut homo, hoc est ut persona humanam habens naturam.

Inst. 3.° Ergo si secundum naturam humanam non est genitus a Patre, non est filius Dei naturalis secundum humanam naturam, ideoque adoptivus.

℟. *Neg. sequelam.* Natura enim non est *subjectum filiationis*, sed persona, quae hanc naturam habet: quae persona in Christo divina est.

Scholion.

Quamvis, nostra sententia, *Felix*, et *Elipandus* ideo damnati sint, quia dicebant, Christum etiam ut hominem esse filium Dei adoptivum: tamen cum nonnulli Theologi catholici doceant, *Felicem*, et *Elipandum* dixisse Christum adoptivum filium eo sensu, quo *Nestorius*, nec addidisse verba illa *prout homo*, hinc abstinemus ab inurenda haereseos nota iis, qui Christum, prout hominem, esse filium Dei adoptivum dicunt; licet ea propositio merito ut *temeraria*, et *erronea* notari possit. *Temeraria* quidem, quia nusquam Scriptura, aut Patres ea locutione usi sunt: *erronea* vero: quia omnes fere Theologi censent, ex ea propositione sequi, plures esse in Christo personas.

§. VI.

§. VI.

Expediuntur aliae quaestiones, quae ex unitate personae Christi oriuntur.

Q. I.

An Christus dici possit praedestinatus filius Dei.

℟. Apostolus *Rom. I.* 3. *et seq.* ait: *Qui factus est ei ex semine David secundum carnem, qui praedistinatus est filius Dei in virtute secundum Spiritum sanctificationis ex resurrectione mortuorum.* Ea verba nihil habent difficultatis secundum Graecorum Patrum, praesertim *Origenis*, *Chrysostomi*, *Theophilacti* interpretationem, qui praedestinatum idem esse docent, ac *declaratum*; hoc est Jesum Christum; qui factus est ex semine David, declaratum esse Filium Dei ex virtute miraculorum quae patravit, ex sua resurrectione ex mortuis, et ex missione Spiritus Sancti ad homines sanctificandos. Sed quia Latini Patres, praesertim *Augustinus*, *praedestinatum* hic in proprio sensu intelligunt, scilicet ab aeterno destinatum, ac praeordinatum; hinc nata quaestio est, quo sensu Christus praedestinatus appellari possit. Durandus enim *in III. dist. VII. Q.* 3. negat, id dici posse, servata verborum proprietate.

PROPOSITIO.

Christus vere, et proprie dici potest praedestinatus Filius Dei; hoc est praedestinatus ad filiationem Dei naturalem, et ex consequenti ad gloriam.

Prob. 1a. *pars* ex auctoritate Patrum Latinorum, praesertim Augustini, qui *Tract. CV. in Joan. n.* 8. absolute pronuntiat: *Quisquis filium Dei praedestinatum negat, hunc eundem filium hominis negat*: idemque repetit, et docet aliis locis (*a*). *Prob.*

(a) *Lib. de Praedest. Sanctor. cap.* 12. *Tract. LXXII. in Joan. n.* 4. *Lib. I. Op. imperf. cont. Julian. n.* 136. *et alibi.*

Prob. II. Quamvis persona Christi, quatenus divinam terminet naturam, ab aeterno filius Dei naturalis sit; tamen non ab aeterno, sed in tempore homo. Homo autem ille in tempore natus Jesus Christus est filius Dei. Atqui quidquid est a Deo factum in tempore, praedestinatum est ab aeterno. Ergo ab aeterno praedestinatum est, ut hic homo esset naturalis filius Dei; ac proinde Christus vere, et propriae filius Dei praedestinatus est.

Prob. 2a. *pars.* Gloria est filio Dei naturali debita. Atqui Christus praedestinatus est ad *filiationem Dei.* Ergo et ad gloriam.

Dices I. in Greco Apostoli textu non est προορισθεντος, *qui praedestinatus est*; sed ορισθεντος, *qui declaratus est.* Concinit Syriaca versio, quae habet: *agnitus est filius Dei*; et Graeci Patres. Ergo male ex laudata Apostoli sententia Christus dicitur praedestinatus filius Dei.

℟. *Neg. cons.* Cum enim verbum οριζειν utrumque significet, *declarare*, et ante *definire*, sicut patet ex *cap. XXII. Lucae v.* 22. ubi dicitur, Christum obtulisse se morti κατα το ορισμενον *secundum quod definitum est*; hinc Graecorum, et Latinorum Patrum interpretationes secum non pugnant. Qui enim ab aeterno praedestinatus est, in tempore declaratus est filius Dei, adde, non esse vero absimile, olim in textu Apostoli scriptum esse προορισθεντος, sicut legerunt veteres, Epiphanius *Haeres. LIV.*, Irenaeus *Lib. III. cap.* 18. *Edit. Massuet*, Origenes *Lib. II. Periarcon cap.* 4.; unde Latini constanter habuerunt semper, *qui proedestinatus est.*

Dices II. Non minus praedestinatio, quam adoptio ad personam refertur. Ergo si Christus non potest filius Dei dici adoptivus, quia ejus persona filius est Dei naturalis, pari ratione non potest dici praedestinatus filius Dei, quia ejus persona filius Dei est ab aeterno.

℟. *Dist. ant.* Diverso modo., *conc.* Eodem modo, *neg.* Adoptio enim respicit personam extraneam; ac proinde impossibile est, qui filius naturalis est, fieri adoptivum. At praedestinatio non respicit necessario personam extraneam. Qui enim filius Dei naturalis est ab

ab aeterno in natura divina, potest fieri filius Dei naturalis in tempore in natura assumta; ideoque ad hanc *filiationem* ab aeterno praedestinari.

Scholion.

I. Haec Christi praedestinatio est pradestinationis nostrae exemplar, et causa. Exemplar quidem; quia sicut homo ille, nullis praecedentibus meritis, praedestinatus est filius Dei; ita in statu naturae lapsae quilibet praedestinatus sine praecedentibus meritis ad gratiam, et gloriam electus est. *Est etiam praeclarissimum lumen praedestinationis, et gratiae ipse Salvator, qui ut hoc esset, quibus tandem suis vel operum, vel fidei praecedentibus meritis, natura humana, quae in illo est, comparavit?* inquit Augustinus *Lib. de praedest. Sanct. cap.* 15. Causa vero; quia *elegit nos* (Deus) *in ipso ante mundi constitutionem Ephes. I.* 4.

II. Subjectum ergo praedestinationis est persona Christi, quatenus naturam terminat humanam; terminus vero, ad quem est praedestinatus, est *filiatio* Dei naturalis: et debita ei gloria.

Q. II.

Utrum Christus dici possit totius Trinitatis, aut Spiritus S. Filius.

R. Minime. Persona enim Christi solius Patris est Filius. Hinc merito reprehenditur *Berruyerus* in *Historia Populi Dei*, qui saepe Christum filium Dei *Unius, et Trini* appellat: quae doctrina supponit aut Nestorianam haeresim, aut *Felicis*, et *Elipandi* (a).

(a) Vide *Epist. Pastoralem* Episcopi Suessionensis contra *Harduinum et Berruyerum*; et literas Theologicas *Dr Gauthier* contra eosdem.

Q. III.

Utrum Christus dici possit Dei servus.

1. Nomen servi duo significare potest; scilicet officium servile, et servilem personae conditionem. Cum autem Apostolus *Philipp. II.* 7. dicat, Filium Dei *formam servi* accepisse, hoc est naturam humanam, quae serva est Dei, non est dubium, posse Christum dici servum, si hoc nomen intelligatur improprie, non ad significandam Christi conditionem, sed officium, et servitutem, quam Patri exhibuit factus obediens usque ad mortem. Sed si nomen servi ad significandam servilem personae conditionem usurpetur, hoc sensu Christum non esse servum, manifestum est, cum ejus persona Deus sit. Sed quia nomen servi absolute positum conditionem potius personae, quam officium designat, hinc disputant Theologi, utrum rejicienda sit ea propositio: *Christus, ut homo, est servus Patris.* Nonnulli post *Sylvium*, et *Contensonium* non putant eam rejiciendam: alii post *Thomassinum* acriter eam impugnant.

PROPOSITIO.

Christus, etiam ut homo, non potest dici servus Patris.

Prob. I. Scripturae novi Testamenti numquam appellant Christum Dei servum, imo non obscure hoc ei nomen abjudicant. Apostolus enim *Hebr. III.* 5. 6. in eo Christum Moysi opponit, et *amplioris gloriae Christum prae Moyse dignum* praedicat, quod *Moyses quidem fidelis erat in tota domo ejus tamquam famulus* . . . *Christus vero tamquam filius in domo sua.* Ergo etc.

Prob. II. *Ex PP.* 1o. Dionysius Alex. *Epist. ad Paulum Samosat.* diserte negat, Christum, *qui natura Dominus erat*, *fuisse natura servum.* 2.° Theodoretus *Dial. II.* in eo *Apollinarium* reprehendit, quod Christum appellavit servum, *quod nullus nostrum*, inquit *antea dicere ausus erat.* 3.° Patres Francofordienses, et *Hadrianus I.* utrumque in *Felicis*, et *Elipandi* doctrina aeque damnarunt, et quod Christum dicerent adoptio-

optione Dei filium, et quod servum appellarent. Ergo etc.

Prob. III. ratione Damasceni *Lib. III. de fid. cap.* 21. Nomen servi, sicut et domini, non ad naturam, sed ad personam refertur; non secus ac nomen patris, et filii: *Servitutis, et dominationis vocabula non naturae sunt indicia, sed ex eorum genere, quae sunt ad aliud; quemadmodum paternitatis, et filiationis nomina.* Atqui persona Christi dici serva sine injuria non potest. Ergo etc.

Solvuntur Objecta.

Objic. I. Scripturae vet. Testamenti aliquando Christum appellant servum, ut *Isaiae XLII.* 1. *Ecce servus meus, suscipiam eum*: quae verba de Christo interpretatur *Matthaeus cap. XII.* 18. Et *Isaiae XLIX.* 5. *Et nunc dicit Dominus, formans me ex utero servum sibi.* Ergo.

℟. *Dist. ant.* Improprie, pro eo scilicet, qui servile gerit officium, *trans.* Proprie, *neg.* Cum enim eadem Scriptura, et Patres doceant, Christum non esse servilis conditionis, sed filium; loca illa, in quibus dicitur servus, nonnisi improprie intelligi, atque explanari debent. Ita Patres Francofordienses *Epist. ad Episc. Hisp.* respondent laudatis sacrarum literarum locis, quae a *Felice*, et *Elipando* proferebantur. Sed quia passim jam servi nomen absolute positum servilem potius conditionem significat, tribui illud Christo non oportet. Dixi: *transeat* 1.° Quod in versione LXX. habetur παις *puer*, quod nomen et servum, et filium significat. 2.° Ex eadem versione verba Isaiae ad literam de Israële intelligenda sunt. Licet autem in sensu spirituali, et praecipue referantur ad Christum; non necesse est tamen, ut eodem sensu de Israële, et de Christo dicantur.

Objic. II. Apostolus ait *Philip. II.* 7. filium Dei accepisse *formam servi*. Atqui forma servi est natura servilis. Ergo Christus vere dici potest servus.

℟. *Neg. cons.* Natura enim servilis, quam Verbum assumsit; cum subsistat in persona Verbi, non fecit ut ipsa Christi persona sit serva; ideoque nec ipse Chri-

stus dici possit servus, cum servi nomen non ad naturam, sed ad personam referatur.

Objic. III. Patres cum Arianis praesertim disputantes saepe docent, Christum, ut homo est, esse servum Patris. Ita Ambrosius *in Ps. XXXV.*, Hilarius *Lib. XI. de Trin.* aliiq. Ergo.

℟. *Dist. ant*: Docent, Christum esse servum Patris improprie, *conc*: Proprie, *neg. Denominatione dicitur servus*, inquit Damascenus *Lib. III. de Fid. cap.* 21., *non quod ipse sane hoc existat*; *sed quod propter nos formam servi accepit*, et *servus nobiscum vocatus est.* Arianis itaque objicientibus Scripturae verba, in quibus filius servus Patris appellatur, satis fuit Patribus respondere, loca illa intelligenda esse de Christo homine. Utrum autem proprie, an improprie, non fuerunt solliciti: neque rem ad vivum, ut ajunt, resecuerunt, nondum exorta haeresi Nestoriana.

Q. IV.

An Christus dici possit creatura.

℟. Varias hac de re esse Patrum sententias, aliis ad humanitatem, aliis ad divinitatem Christi animum intendentibus. Certe *Rom. I.* 3. dicitur Christus *factus ex* semine David, et *Gal. IV.* 4. *factus ex muliere.* Et Hieronymus *in cap. II. ad Ephes. Multi*, inquit, *timore, ne Christum creaturam dicere compellantur, totum Christi mysterium negant. Nos libere proclamamus, non esse periculum, eum creaturam dicere, quem vermem, et hominem, et crucifixum, et maledictionem tota spei nostrae fiducia profitemur.* Quibus similia docent *Ambrosius*, *Leo M.*, *Augustinus*, *Damascenus.* Contra vero idem Ambrosius *Lib. I. de Fide ad Gratian. cap.* 6. 7. *et* 9., Hilarius *Lib. VI. de Trin.*, aliique negant, Christum dici posse creaturam.

Nos ergo licet Christum absolute creaturam dici posse fateamur, tamen quia illa locutione Ariani haeretici abutebantur, ab ea abstinendum censemus, nisi addatur explicatio: *secundum naturam humanam.* Ita S. Bonaven-

ventura *in III. Dist. XI. art.* 2. *Q. I.* Estius *ibid.* aliique.

Q. V.

Utrum sicut vera est illa propositio : Deus factus est homo : *ita etiam vera sit isthaec* : homo factus est Deus.

℟. Etiam de hoc varias esse Thologorum opiniones. S. Thomas *P.* 3. *Q. XVI. art.* 7. cui plerique subscribunt, id negat. Scotus affirmat. Patrum etiam sententiae videntur contrariae, Augustinus enim *Lib. I. de Virginit. cap.* 13. *Talis*, inquit *erat illa susceptio, qua Deum hominem faceret, et hominem Deum.* At Damascenus *Lib. III. cap.* 2. *Non hominem deificatum dicimus, sed Deum humanatum. Nam cum esset natura perfectus Deus, factus est perfectus homo* : Nobis verisimilior est sententia *S. Thomae*. Homo enim personam designat. Persona autem Christi ab aeterno, et natura sua Deus est, ac proinde non potest dici factus Deus. Sed si id ita explicetur: factum est in tempore, ut hic homo Deus esset, non videtur omnino negandum, ut etiam supra de praedestinatione diximus.

Q. VI.

An absolute de Christo pronuntiari possit : hic homo incepit esse.

℟. Quamvis et de hac propositione varie Scholastici opinati sint; recte tamen S. Thomas 3. *P. Q. XVI. art.* 9. docet, eam esse rejiciendam; eo quod homo personam, non naturam praecipue significat. Et certe Christus de seipso ait *Joan. VIII.* 58. *Antequam Abraham fieret, ego sum*, et *Joann. XVII.* 5. *Clarifica me, Pater, claritate, quam habui priusquam mundus fieret, apud te.* Et Apostolus *Heb. XIII.* 8. *Jesus Christus heri, et hodie : ipse et in saecula.*

Q. VII.

Quaenam adoratio Christo debeatur.

℟. Cum adoratio ad personam referatur, persona autem Christi divina sit; perspicuum est, Christo deberi adorationem, quae soli Deo convenit; quam Graeci λατρείαν *latriam* vocant; unde Apostolus *Heb. I.* 6. *Cum iterum introducit Primogenitum in orbem terrae, dicit: Et adorent eum omnes Angeli Dei.* Porro cum in una, eademque persona Verbi subsistat divina, humanaque Christi natura, consequens est, ut utrique naturae una eademque adoratio *latriae* debeatur. Sicut enim Regi unus, idemque debetur honor, quacumque veste indutus sit; sic Deo una, eademque adoratio, quamcumque naturam sibi *hypostatice* conjunxerit. Tradunt hanc doctrinam Cyrillus *Apolog. ad Oriental.*, *Epist. ad Evoptium*, *et Anathema. VIII. qui est Can. VIII Conc. Ephes. Si quis audet dicere, assumptum hominem coadorandum Deo Verbo, et conglorificandum, quasi alterum cum altero, et non potius una adoratione colit Emmanuelem, unamque ei glorificationem dependit, juxta quod Verbum caro factum est, anathema sit.* Et Concilium V. *Can. IX. Si quis adorari in duabus naturis dicit Christum, ex quo duae adorationes introducuntur, seorsim Dei Verbo, et seorsim homini, et non una adoratione Deum Verbum incarnatum cum ejus carne adorat, juxta quod Sanctae Dei Ecclesiae ab initio traditum est, anathema sit.* Idem docent Athanasius *Epist. ad Adelphium*, Augustinus *In Psalm. XCVIII.* Leo M. *Serm. VIII. de Quadrag.*, Damascenus *Lib. III. cap.* 8. etc.

Nec movere nos debet quod idem Damascenus ait *Lib. IV cap.* 3. *Caro Filii Dei secundum suam naturam, si dividas subtilibus intelligentiis inadorabilis est* (cultu latriae) *ut creatura.* Item quod S. Thomas 3. *P. Q. XXV. art.* 2. docet, carnem Christi per mentem intellectam seorsim a Verbo adorandam esse cultu inferiori, quam latria. Non, inquam, movere ista nos debent,

bent. Sensus enim *Damasceni*, et Angelici Doctoris est, carnem Christi, si fingatur a Verbo separata, non esse cultu latriae adorandam. Sed quia adoratio carni Christi impenditur, non ut a nobis fingitur, sed ut revera est in Verbo subsistens, ideo illi *latriae* cultum negare nefas est.

Nunc iis explicatis, quae ad unam Christi personam spectabant, contrarius est refutandus error *Eutychetis*.

C A P. VIII.

Ostenditur contra Eutychianos, duas esse in Christo impermixtas, et inconfusas naturas.

UT ab errore *Nestorii* longius declinaret *Eutyches*, in contriarium impegit scopulum, in Christo unicam asserens esse naturam, ut supra diximus. Sicut autem *Nestorium*, ita etiam *Eutychem* recentiores quidam heterodoxi conati sunt ab errore vindicare. Sed adeo explorata est ejus haeresis, non solum ex judicio totius Ecclesiae, verum etiam ex confessione ipsius *Eutychetis* in Concilio Costantinopolitano, et Calcedonensi, ejusque sectatorum, qui adhuc in Oriente perdurant, ut operae pretium non sit, hac in re diutius immorari. Ipsam igitur ejus haeresim refellere aggredimur.

§. I.

PROPOSITIO

Duae sunt in Christo naturae, divina, et humana, integrae, impermixtae, et inconfusae.
Dogma fidei est.

Prob. I. ex iis Scripturae locis, in quibus contra duas priores haereticorum classes probavimus, Christum esse Deum, et hominem. Neque enim illa simul vera esse possunt, , nisi utraque in illa natura integra, non permixta, neque confusa permanserit.

Prob. II. ex iis etiam Scripturae testimoniis, in quibus simul utraque natura, divina, et humana Christo as-

asseritur. *Philip. II.* 6. *Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se aequalem Deo, sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens*: ubi conceptis verbis exprimitur, forma Dei, et forma servi, natura scilicet divina, atque humana. Et *Joan. III.* 13. *Nemo ascendit in caelum, nisi qui descendit de caelo, Filius hominis, qui est in caelo*: quibus verbis mirifice significatur, filium hominis, cujus proprium est ascendere in caelum propter naturam humanam, jam esse in caelo propter immensitatem naturae divinae propriam. Ergo.

Prob. III. *ex. PP.* 1.° Ignatius *Epist. ad Ephesios*: *Verbum*, inquit, *caro factum est, incorporeus in corpore, impassibilis in corpore passibili, immortalis in corpore mortali*, 2.° Hilarius *Lib. IX. de Trin. n.* 11. *Cum sint utraque* (divina scilicet, et humana) *suis gesta naturis, unum tamen Jesum Christum memento esse, qui et utrumque est.* 3.° Augustinus *Lib. II. cont. Maximin. cap.* 10. *Christus una persona est, geminae substantiae, quia Deus, et homo est.* Vide alios apud Petavium *Lib. III. et seqq.*, Bellarminum *Lib. III. de Christo cap.* 3, Natalem Alex. *Hist. Ecc Saec. V. Dissert. XXIV.*

Prob. IV. Speciatim ex *Cyrillo Alexandrino*, quem non solum Eutychiani patronum jactabant, sed etiam erroris accusarunt inter veteres *Theodoretus*, *Ibas*, aliique ejus adversarii, inter recentiores vero *David de Rodon Lib. De Supposito*, Augustinus Saligius *Tract. de Eutychiani mo ante Eutychen*, aliique, quos supra *cap.* 7. commemoravimus. At Cyrillum ab omni erroris labe immunem pronuntiarunt Caelestinus I. *ad Cyrillum et ad Nestorium*, tria Concilia Oecumenica Ephesinum, Chalcedonense, et Constantinopolitanum II., atque omnis postmodum Ecclesia. Ait enim *Epist. IV. ad Nestor. Quamvis naturae sint diversae; vera tamen unione coëuntes unum nobis Christum, et Filium effecerunt. Non quod naturarum differentia propter unionem sublata sit; verum quod divinitas, et humanitas secreta quadam, ineffabilique conjunctione in una persona unum nobis Jesum Christum, et Filium constituerint.* Idipsum

psum repetit locis innumeris, quae vide apud Petavium *Lib. VI. de Incarn. cap.* 6.

Prob. V. ex definitionibus Ecclesiae. Damnata enim est haec haeresis primo in concilio Constantinop. sub *Flaviano*; deinde a *Leone M.* Demum in Concilio Chalcedonensi, et Costantinopolitano. II. catholica veritas contra *Eutychen* definita est, eamque definitionem universa deinceps Ecclesia semper est venerata, atque secuta. Ergo.

Prob. VI. ex Symbolo tum Apostolico, tum Nicaeno. In iis enim Symbolis dicitur Christus Filius Dei Unigenitus ex Patre natus ante omnia saecula, incarnatus, natus ex Virgine, factus homo, passus, crucifixus, mortuus, et sepultus: quae evidenter duplicem naturam ostendunt.

Prob. VII. *ratione Theologica.* Cum *Eutyches* ex duabus esse naturis Christum concederet; profecto duae illae naturae non possunt naturam unam per conjunctionem constituere, nisi aut per conversionem unius in aliam, aut per absumtionem unius, aut per confusionem, sive compositionem; ita scilicet, ut ex duabus tertia quaedam emerserit. Atqui nihil ex his tribus in incarnatione potuit accidere. Nam primo natura divina nequit in humanam mutari cum Deus sit immutabilis; neque humana in divinam, cum repugnet, rem creatam in non creatam converti. Secundo si una natura ab alia absorpta, atque absumta esset, *ex. gr.* humana natura a divina (nam quod natura divina absumta sit, nec amens dixerit); non esset amplius in Christo corpus humanum: ac proinde Christus nec passus, nec mortuus esset: quod recidit in haeresim *Phantasiastarum*. Tertio neque ex divina, et humana natura per confusionem, aut compositionem tertia quaedam potuit emergere, cum repugnet, naturam divinam immutabilem, ac perfectissimam ita confundi, atque componi cum alia, ut aut desinat esse quod antea erat, aut totius compositi pars evadat, cum pars semper toto minor sit. Ergo.

Solvuntur Objectiones.

Objic. I. *Joan. I.* 14. *Verbum caro factum est.* Atqui unum non potest fieri aliud, nisi per conversionem; ut cum in eodem Evangelio *Joan. II.* 9. legitur *aquam vinum factum.* Ergo.

Neg. min. Potest enim unum fieri aliud, aliam naturam assumendo. Sic Verbum naturam humanam accipiens, id quod fuit permansit, et quod non erat assumsit, non commixtionem passus, neque divisionem. *Sicut Verbum*, inquit Augustinus *Serm. XXVII. de temp. cap.* 3., sive *Serm. CLXXXVII. novae edition.*, *quod intra nos concipitur, cum fit vox, et exterius profertur, non mutatur in vocem; sed manet in mentis luce, et assumta carnis voce, procedit ad audientem, et non deserit cogitantem: ita Verbum divinum, in se manens, caro factum est.*

Objic. II. Plures ex PP. Incarnationem vocant *mixtionem*, *mixturam*, *permixtionem* divinae, humanaeque naturae. Sic Tertullianus *Apolog. cap. XXI. Nascitur*, inquit, *homo Deo mixtus.* Augustinus *Epist. ad Volusianum CXXXVII. al. III.* ait, personam Christi esse *mixturam Dei, et hominis*; eademque loquendi ratione usi sunt Irenaeus *Lib. III. cap.* 18., Cyprianus *Lib. de Idolorum vanitate.* Ergo.

R. *Dist. ant.* Vocant Incarnationem mixtionem improprie, ad significandam, ut inquit Cyrillus Alex. *Lib. I. cont. Nest. cap.* 3. *summam unionem*, *conc.* Proprie, et in sensu Eutychiano, *neg.* Itaque ante exortam haeresim Patres impropriam hanc locutionem usurparunt; non tamen in sensu haeretico; ait enim *Augustinus*, post verba in objectione laudata: *si tamen recedat auditor a consuetudine corporum, qua solent duo liquores ita commisceri, ut neuter servet integritatem suam.* At cum Eutychiani eo vocabulo abuterentur, illud posteriores Patres repudiarunt, ut Theodoretus *Dial. II. cont. Eutychian.* laudans etiam *Ambrosium.*

Inst. 1.° Gregorius Nyssenus *Lib. cont. Apollinar. Quidquid*, ait, *in natura nostra infirmum est, et caducum, id Divinitati commixtum in id evasit*; quod *ipsa*

ipsa est divinitas. Et *Orat. IV. cont. Eunom.* ait, ita naturam humanam ex commixtione cum Verbo divinas proprietates induisse, ut si minima *aceti gutta vasto mari misceatur.* Ergo mixtionis voce utuntur in sensu Eutychianorum.

℟. *Neg. cons.* Nyssenus enim in eodem Libro ait, remansisse integras naturae humanae proprietates: *Nos salvam esse naturam humanam Verbo unitam, ex mysterio ipso didicimus, et credimus.* Cum ergo ait, quidquid infirmum, et caducum est in natura nostra, id a divinitate extinctum, loquitur de infirmitatibus, quae ex peccato ortae sunt, quaeque ad hominem redimendum non erant Christo necessariae, imo non decebant, ut concupiscentia, aliaque animi, aut corporis vitia. Hujusmodi enim infirmitates in Christo nec ante passionem fuerunt: post resurrectionem vero, extincta etiam mortalitate, humana Christi natura tantam ex divinitate gloriam accepit, ut licet integra permaneat in *essentialibus* proprietatibus; tamen in *accidentalibus* quodammodo in divinam videatur transformata. Vide Petavium *Lib. X. de Incarn. cap.* 1.

Inst. 2°. Ad explicandam divinae, humanaeque naturae mixturam utuntur Patres exemplo unionis animae, et corporis. *Sicut in unitate personae,* inquit Augustinus (*loc. cit.*) *anima unitur corpori, ut homo sit; ita in unitate personae Deus unitur homini, ut Christus sit. In illa ergo persona mixtura est animae, et corporis; in hac persona est mixtura Dei, et hominis.* Cyrillus item Alex. *Epist. II. ad Successum, et alibi passim,* aliique Patres idem exemplum saepe adhibent. Atqui non aliud adhibebant exemplum, nec aliud sibi volebant Eutychiani, quam Verbum, et humanam naturam esse unum, sicut anima, et corpus unum est. Ergo.

℟. *Dist. maj.* Patres utuntur exemplo animae, et corporis ad explicandam perfecte, et omni ex parte Incarnationem, *neg.* Imperfecte, et aliqua tantum ex parte, *conc.* Patres enim fatentur, Incarnationis mysterium esse singulare, nec ullum habere in rebus creatis exemplum. In eo igitur constat comparatio illa, quod sicut anima, et corpus una persona sunt, et unus homo; ita Verbum, et humana natura unus Christus. Sed in

in eo dispar est utriusque rei ratio, quod anima, et corpus partes sunt non completae ad se invicem ordinatae; ut totum hominem constituant; at Verbum, et natura humana hujusmodi non sunt.

Falsum tamen est, quod ait *Vasquez*, Eutychianos in eo tantum errasse, quod vellent, in Christo remanere quidem integram humanam, divinamque naturam, et nihilominus Christi naturam dicendam esse unam; sicut anima, et corpus dicuntur unus homo, quamvis animae, et corporis integra natura permaneat. Si enim hoc verum esset, jam quaestio inter Eutychianos, atque Catholicos fuisset tantum de nomine; quod absurdissimum est.

Objic. III. Cyrillus Alexandrinus, quo auctore gloriabatur Eutyches *Epist. I. ad Successum* ait; *Post unitionem non dividimus naturas, nec in duos secamus filios illum: qui unus est, et individuus. Sed unum dicimus Filium, et quemadmodum locuti sunt Patres unam naturam Dei Verbi incarnatam* (a). Ergo.

℟. *Neg. cons.* Nomine enim naturae hypostasim, sive personam intelligit Cyrillus, hoc est naturam; quatenus est per hypostasin terminata; non quatenus intellectu ab hypostasi distinguitur; quod ex ejus scopo perspicuum est. Disputabat enim contra *Nestorium*, cujus palmaris error erat, in Christo duas esse personas, et duos filios, sicut duae sunt naturae. Ut ergo probet Cyrillus, unum esse Filium, non duos, ait, unam esse naturam incarnatam, naturam, inquam, sua hypostasi terminatam; si enim loqueretur de natura, prout intellectu ab hypostasi distinguitur, non sequeretur unum esse Filium; cum unitas filiationis nonnisi ab unitate hypostasis repetanda sit.

Id

(a) His, aliisque similibus *Cyrilli* verbis nonnulli, praesertim heterodoxi, contendunt, *Cyrillum* in *Nestorio* excessisse modum, atque in contrarium errorem declinasse, quos supra *Nestorio* favisse, indicavimus. Sed quam immerito id faciant, tum ex iis quae supra diximus, tum ex nostris responsionibus patebit.

Id vero clarius confirmatur ex ipsis *Cyrilli* verbis; non enim ait, unam esse naturam Christi, sed unam esse *naturam Dei Verbi incarnatam*. Cum ergo ait, unam esse naturam Dei Verbi, jam agnoscit integram, et inconfusam naturam divinam, cum addit *incarnatam*, naturam humanam ostendit. Unde haec Cyrilli sententia non tam fovet, quam confodit Eutychianos, ut observant Teodoretus *Dial. II.* Eulogius Alex. *apud Photium Cod. CCXXX.*, aliique. Ipse *Cyrillus* hac ratione mentem suam exposuit, cum hac de re argueretur *Epist. II. ad Successum. Si dicentes unam Verbi naturam tacuissemus, ac minime adjunxissemus incarnatam, excluso propemodo dispensationis mysterio, esset illorum fortasse oratio non inepta. Sed quia et illa in humanitate perfectio, et essentiae nostrae declaratio illata est, cum diximus incarnatam, desinant baculo inniti arundineo.* Hinc Patres Cyrillo antiquiores, imo etiam posteriores, et Eutychianis adversissimi, eadem locutione usi sunt et ipsa Synodus Lateranensis sub Martino I. anno DCXLIX. *Act. V. can.* 5. statuit: *Si quis secundum Sanctos Patres non confitetur, proprie, et secundum veritatem, unam naturam Dei Verbi incarnatam.... condemnatus sit.*

Quam falso autem Eutychiani *Cyrillo* auctore gloriarentur, hinc patet, quod compulsus *Eutyches* a *Basilio Seleuciensi* in Synodo Constantinop. ut fateretur cum *Cyrillo*, et *Athanasio unam naturam Dei Verbi incarnatam*, id pertinaciter detrectavit. Vide *Acta Concilii Chalcedonensis apud Labbè.*

Inst. 1.° Idem Cyrillus *Epist. II. ad Successum*: *Duas quidem, inquit, naturas unitas asserimus; post unionem vero, sublata jam illa in duo divisione, unam esse credimus Filii naturam tamquam unius, sed inhumanatam, et incarnatam.* Atqui dum ait *duas naturas unitas*, intelligit naturam, prout ab hypostasi distinctam; alioquin agnosceret etiam in natura humana hypostasim suam, et duas personas ante unionem, quod in haeresim *Nestorii* recidit. Ergo dum ait, post unionem unam esse naturam Filii, de natura intelligendus est, non de hypostasi.

℟. *Neg. cons.* Sensus enim *Cyrilli* est, quod licet humana Christi natura numquam extiterit ante unionem cum Verbo, tamen cum ordine naturae prius mente concipiatur esse aliquid, quam alteri conjungi, possumus naturam humanam in Christo duplici ratione considerare; primo quidem ut est in se ipsa, deinde ut est Verbo Dei unita. Si priori modo naturam humanam consideremus, jam menti objiciuntur duae naturae; una quidem Verbi divini, quae sine dubio habet Verbi hypostasin; altera, humana, quae et ipsa hypostasin aliquam habere debet vel propriam, vel alienam. At si consideretur haec humana natura prout est Verbo Dei unita, jam sublata illa duplici cogitatione duarum naturarum, unica se menti objicit natura; et persona Verbi non quidem sola, sed *inhumanata*, et *incarnata*, hoc est cum alia natura conjuncta, quae non in se, sed in Verbo subsistit.

Inst. 2.° Idem Cyrillus *Epist. II. ad Successum* ait, naturam divinam, et humanam in Christo sola mentis cogitatione distingui. *Sed ignorant*, inquit, *quaecumque non sola mentis cogitatione distingui solent, eo prorsus etiam in diversitatem distinctam omnifariam, ac privatim a se mutuo separari.* Ergo non reipsa natura humana, atque divina in Christo distinguuntur.

℟. *Dist. ant.* Et distinctionem, quae fit per mentis cogitationem opponit distinctioni, quae intercedit inter res propria hypostasi terminatas, *conc.* Opponit omni distinctioni *reali*, *neg.* Cyrillus itaque ea, quae *hypostatice* conjuncta sunt, ait, sola cogitatione distingui: utiturque ad id probandum exemplo animae, et corporis in homine, quae dicit ita unum hominem costituere, ut sola cogitatione distinguantur. Sicut ergo distinctio animae, et corporis realis est; ita distinctio inter naturam divinam, et humanam.

Objic. IV. Omnis natura existens propriam habet hypostasim: ideoq. tot *subsistentiae* agnoscendae sunt, quot naturae existentes: et vicissim tot naturae; quot hypostases Ergo vel in Christo agnoscitur una persona contra *Nestorium*, et una dicenda est ejus natura; vel duae naturae ponuntur, et duae dicendae sunt personae.

℟.

R. *Dist. ant.* Omnis natura creata, quae modo sibi naturali existit, *conc.* Omnis omnino natura, *neg.* Primum enim natura divina, licet una sit, tres habet hypostases; deinde natura creata modo naturali existens, propriam habet subsistentiam; ideoque nullum est in rebus creatis exemplum alicujus naturae, quae propriam subsistentiam non habeat. At inde non sequitur, creatam naturam a nobiliori persona supernaturaliter assumi non posse, ita ut non sui juris sit, sed alieni.

§. II.

Ostenditur contra Monothelitas, duas in Christo agnoscendas esse voluntates, et operationes.

Adv. I. Ex Eutychiana haeresi prodierunt, ut supra diximus *cap. II.*, *Monothelitae*, qui unam dumtaxat in Christo esse asserebant voluntatem, atque operationem.

II. Observandum autem hic est, *Monothelitas* distinxisse inter ενεργειαν, *operationem*, et θελημα *voluntatem*: eo quod nomine *operationis* non ipsam actionem, sed agendi facultatem intelligebant; at nomine *voluntatis* ipsum volendi actum, quem Scholastici *volitionem* appellant. Licet ergo primi Monothelitae Eutychiani essent; tamen cum in partes suas plures traxerint Catholicos duarum naturarum assertores, ne hos offenderent, non audebant aperte unam operationem ponere in Christo; sed satis habebant, si nec una, nec duae dicerentur. Cum enim natura suis potentiis, seu facultatibus, quae ab illa individuae sunt, spoliari non possit, si aperte una in Christo asseratur ενεργεια, seu operatio, una etiam natura agnosci debet. At duas voluntates, seu θεληματα *volitiones* costanter negabant admitti posse in una persona, nisi ponantur contrariae, quod Christo indignum est.

PRO-

PROPOSITIO

Duae sunt in Christo voluntates, et operationes, divina et humana. Fidei dogma est.

Prob. I. ex Script. De voluntate divina nulla est quaestio. Atqui Christus habuit voluntatem humanam, distinctam a divina voluntate, quae ipsi cum Patre, et Spiritu Sancto communis est. Nam *Matth. XXVI.* 39. ait: *Pater mi, si possibile est, transeat a me calix iste: verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu.* Luc. *XXII.* 42. *Verumtamen non mea voluntas, sed tua fiat.* Joan. VI. 38. *Descendi de caelo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus, qui misit me.* Philipp. II. 8. *Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem* Psal. *XXXIX. In capite libri scriptum est de me, ut facerem voluntatem tuam: Deus meus, volui, et legem tuam in medio cordis mei.* Quae loca apertissime ostendunt voluntatem unam imperantem, alteram obedientem, quae utique non est divina, sed humana. Ergo.

Prob. II. ex PP. 1.° Athanasius *Lib. de Incarnatione Verbi* ait: *Cum dicit Christus: Pater, si fieri potest, transeat etc. duas hic voluntates ostendit, unam videlicet humanam, quae carnis est propria, alteram divinam. Nam humana propter carnis imbecillitatem mortem deprecatur; divina vero ipsius est prompta.* 2.° Nyssenus *Lib. Contradiction. cont. Apollinar.* in *Actis VI. Syn. Act. VIII. Quoniam igitur alia est voluntas humana, alia divina, tamquam ex natura hominis loquitur.* 3.° Augustinus *Lib. III. cont. Maximin. cap. 20. Haec humana voluntas erat proprium aliquod, et tamquam privatum volens.* Idem alii communi consensione docent (a). *Prob.*

(a) Hyppolitu[s] P[...] *ap. Theodoret Dial. II.* Ambrosius *Lib. II. de Fide cap. 7.* Chrisostomus *Hom LXXXII. in Math*, Dionysius *Lib. IV. de div. nom. cap.* [illegible] Basilius *Lib. IV cont. Eunom.*, Cyrillus *Lib. XXXI. Thesauri et al.* Maximus Martyr *in pluribus Opp. contra Monothel.* Hilarius *lib. IX. de Trin.* Vide alios in Actis VI. Synodi.

Prob. III. *ex defin. Eccl.* Simul ac Monothelitarum haeresis erupit, damnata est primum in Concilio Lateranensi sub *Martino I.*; deinde in Concilio VI. Oecumenico. Ergo.

Prob. IV. ratione. Monothelitae illi, qui cum Eutychianis unam in Christo naturam statuebant, revincuntur ex dictis contra Eutychianos. Qui vero cum Catholicis duas asserebant naturas, facile refelluntur. Quaelibet natura suas habet *essentiales* facultates, et actiones; alioquin vera natura non est. Humana vero natura intelligi non potest sine intellectu, et voluntate; alioquin truncus, non humana natura est. Atqui ex concessis Christus veram habuit naturam divinam, atque humanam. Ergo. 2.° Si Christus humanam voluntatem, et operationem non habuisset, non potuisset utique mereri. At Christus revera meritus est, ut suo loco ostendemus inferius. Ergo. 3.° Id Christus assumsit, quod reparavit, et sanavit, ut communiter docent Patres. Humanam autem praecipue voluntatem sanandam susceperat. Ergo etc.

Corollarium.

Ex dictis sequitur, non solum voluntatem superiorem, et rationalem fuisse in Christo, sed etiam inferiorem, et naturalem, sicut in ceteris hominibus; nisi quod haec in Christo perfecte superiori voluntati subjecta fuit, sicut omnes aliae ejus potentiae, et ipsa superior voluntas voluntati divinae; ita, ut unum fuerit in ipso το ηγεμονικον, sive principium regens omnia, atque gubernans.

Solvuntur Objectiones.

Objic. I. Athanasius *Lib. De Salutari Christi adventu*: *Verbum*, inquit .... *ex prima formatione formam hominis in seipso restituit*, *carnem vero suam sine carnalibus cupiditatibus*, *et sine humanis cogitationibus*; *voluntas enim solius Divinitatis erat.* Ergo.

R. Dist. ant Voluntas solius Divinitatis erat in Christo regnans, atque imperans, omnemque noxiam cupiditatem excludens, *conc*, Sola omnino, et omnem opera-

 tio-

tionem, etiam rationalem, laudabilem removens, et *neg.* Ita Athanasium explicat *Theophanes Abbas in Actis VI. Synodi Act. VIII.* et merito; legenti enim totum *Athanasii* Librum constat, illum adversus eos disputare, qui negabant, Verbum divinum humanam naturam integram assumsisse, eo quod alioquin, inquiebant, Verbum etiam peccatum admisisset; unde eorum objectionem proponens Athanasius, *Sed objicitis*, inquit, *si omnia assumsit, omnino quoque mentem; cogitandique vim humanam assumsit; atqui impossibile est, in humanis cogitationibus peccatum non versari.* His ergo respondet, peccatum non esse necessariam naturae proprietatem; ideoque Verbum assumsisse quidem naturam integram, sed a pravis cupiditatibus, et cogitationibus immunem; quia scilicet solius Divinitatis voluntas imperabat.

Objic. II. *Gregorius Nyssenus* scribens contra *Eunomium*, et laudatus in Epistola *Sergii ad Honorium ap. Acta VI. Syn. act. XII.* ait *Divinitas per corpus, quod induit, hominum omnium revera salutem operatur, ut propria carnis sit perpessio, Dei autem operatio.* Ergo una tantum in Christo est operatio divinitatis.

℞. *Dist. ant.* Dei est operatio, quae humanis Christi passionibus, ad hominum redemtionem, meritum, ac dignitatem tribuit, *conc.* Secus, *neg.* Vult igitur *Nyssenus*, humanam Christi naturam passam esse, et in hac passione utique suas edidisse operationes, obediendo scilicet voluntati Patris, aliaque agendo, quae passionem comitata sunt. Sed hanc passionem nullius futuram fuisse pretii ad hominum salutem, nisi Divinitas operata esset, imperando scilicet passionem, eique infinitum propter unionem hypostaticam meritum tribuendo.

Objic. III. *Dionysius*, qui vulgo dicitur *Areopagita Epist. IV. ad Cajum* haec habet: *Ab incarnationis tempore non secundum Deum divina gessit Christus, nec humana secundum hominem: verum Deo viro facto novam quandam theandricam, seu Deivirilem operationem expressit in vita.* Ergo unica fuit in Christo operatio *theandrica*: seu *Deivirilis.*

℞. 1.° Hoc Dionysii loco pessime abusos esse Monothelitas; quippe per turpissimam fraudem voci illi *novam*

eam subsituebant *unam*; et ita textum proferebant, *unam quandam theandricam operationem expressit*: quae quidem fraus tum in Concilio Lateranensi *Act. III.*, tum in Concilio VI. generali *Act. XIV.* detecta, atque explosa est.

℟. 2.° *Dist. ant.* *Nova* haec operatio, quam Dionysius commemorat, unicam operationem in Christo probat, *neg.* Non excludit duas operationes, *conc.* Itaque in Christo triplicis generis operationes agnosci debent divinae, humanae, et *theandricae*. Divinae, quae scilicet ad solam Deitatem pertinent, sunt Spiritum Sanctum una cum Patre spirare, Mundum conservare, etc. Humanae vero, esurire, sitire, pati. Demum *theandricae* sunt divinae, et humanae naturae communes, ut ex.gr. tactu mortuos suscitare. Quamvis dici potest, omnes Christi operationes fuisse *theandricas*, quia nec divinas operationes gessit separatus ab humana natura, nec humanas sine imperio divinitatis. Vide Petavium *Lib. VI. de Incarn. cap. 4. et Lib. VIII. passim.*

Objic. IV Cyrillus Alex. *Lib. IV. in Joan.* ait: Christus *omnipotenti suo jussu*, *ut Deus*, *et rursus tactu sanctae carnis vivificando*, *unam et eamdem utriusque demonstrat operationem.* Ergo.

℟. *Dist. ant.* Unam, et eamdem quoad opus effectum, *conc.* Unam omnino *formaliter*, *neg.* Sensus enim est, in miraculis a Christo editis utramque naturam, divinam et humanam, unum eundemq. effectum fuisse simul operatam.

Objic. V. Non potest adstrui humana voluntas in Christo, quin contraria divinae adstruatur. Ea enim verba: *non mea voluntas*; *sed tua fiat*, aliaque his similia, si de vera, et deliberata voluntate accipiantur, ostendunt, aliud voluisse Christum, aliud Patrem. Atqui hoc est Christo indignum. Ergo.

℟. *Neg.maj.* Ea enim verba: *non mea voluntas etc.* indicant, duplicem fuisse in Christo voluntatem humanam, et utramque Deo subiectam, et consentaneam; 1.° voluntatem inferiorem, et quodammodo naturalem, qua mortem refugiebat; 2.° voluntatem rationalem, qua mori cupiebat, ut Patri obediens homines redimeret. Utraque autem voluntas divinae voluntati consona erat.

Voluit enim Pater, ut Christus et in parte inferiori mortis horrorem experiretur, et in superiori Patris mandato se subjiceret.

Objic. VI. *Actiones sunt suppositorum*, ut fert commune, et jam vetustate tritum Scholarum adagium. Ergo ubi unum est suppositum, ut est in Christo, una debet agnosci operatio.

℞. *Dist. ant.* Actiones sunt suppositorum, quia supposito tribuitur actio, tamquam principio *quod* operatur, et agit, *conc.* Quia a supposito efficitur, tamquam a principio *quo* fit operatio, *neg.* Alioquin dicendum esset, in Deo tres esse operationes *ad extra*, quia personae tres, sive tria supposita sunt. Ubi ergo una est persona, unus est operans; sed si persona illa duas habeat naturas, profecto unus operans duas operationes habebit; quia principium, *quo* operatio elicitur, non suppositum, sed natura est.

Objic. VII. Instrumenti, et principalis agentis una est operatio. Atqui humana Christi natura instrumentum divinitatis appellatur a Patribus. Ergo.

℞. *Dist. maj.* Si instrumentum est inanimum, ut serra in manu artificis, *conc.* Si instrumentum est animatum, ut humana Christi natura, *subdist.* Una est operatio in iis operibus, in quibus ut merum se gerit instrumentum, *conc.* In aliis, *neg.* Instrumentum itaque animatum propriam habet operationem. Nemo enim dixerit, servum non habere operationem propriam, quia ab *Aristotele* servus dicitur domini intrumentum. Fatemur tamen, etiam instrumentum animatum unam habere operationem cum principali agente in eo negotio, in quo merum instrumentum est. Unde inquit S. Thomas 3. *P. Q. XIX. art.* 1. *ad* 2. *Operatio, quae est humanae naturae in Christo, in quantum est instrumentum divinitatis, non est alia ab operatione Divinitatis, non enim est alia salvatio, qua salvat humanitas Christi, et Divinitas ejus. Habet tamen natura humana in Christo, in quantum est natura quaedam, propriam operationem praeter divinam.*

Objic. VIII. Concilium VI. damnavit omnes fere Ecclesiae Patriarchas, *Cyrum* scilicet Alexandrinum, *Sergium*, *Pyrrhum*, et *Paulum* Constantinopolitanos, ipsum

ipsumque Romanum Pontifiem *Honorium*. Ergo pugnavit contra universalis Ecclesiae traditionem.

℟. *Neg. cons.* Quod enim attinet ad *Sergium*, *Pyrrhum*, *Paulum*, *Cyrum*, aliosque Monothelitas, manifestum est, ipsos contra traditionem pugnasse, et Scripturam; ut quid enim tam sollicite curabant, ut nec una, nec duae dicerentur in Christo operationes, nisi quia majorem Catholicorum numerum pertimescebant? Cur vix exorta haeresis statim damnata est in Concilio Hierosolymitano, et Lateranensi?

Quod vero spectat ad *Honorium*, nonnulli putant, Acta VI. Synodi fuisse a Graecis corrupta, insertumque iis nomen Honorii, ut non soli Orientis Patriarchae, sed ipse R. Pontifex damnatus videretur. Ita *Pighius*, *Hosius*, *Baronius*, *Binius*, *Bellarminus*, *Gretserus*, *Duvallius*, *Tannerus*, aliique. Quod quidem commentum facile refellitur: 1.° ex mira consensione omnium Codicum: 2.° ex *Edicto Constantini* Imperatoris, Romanae Cathedrae observantissimi, in quo edicto *Honorium* cum ceteris monothelitis damnat: 3.° ex Conciliis VII. et VIII. oecumenicis, in quibus iterum, et tertio *Honorius* damnatus est: 4.° ex SS. Pontificibus Leone II. *Epist. ad Constantinum apud Labbeum Tom. VI. Concil.*, et Hadriano II. *in Epist. quae ext. in Act. VII. Concil. VIII. apud Labbeum Tom. VIII. Concil.* 5.° denique ex nube testium Graecorum, et Latinorum, quos vide apud *Petavium*, *Vitassium*, *Argentreum*, aliosque.

Alii putant, *Honorium* revera lapsum in haeresim vel ut privatum Doctorem, ut ajunt Theologi, qui Pontificem *ex cathedra* falli posse negant, vel etiam ut Pontificem *ex cathedra*, ut asserunt nonnulli Thelogi, qui illud Pontificis privilegium oppugnant. Nec tamen inde sequi ajunt, ipsam Ecclesiam in errore Monothelitarum haesisse. Sed et isti refutantur ex ipsis *Honorii* verbis; legenti enim ejus Epistolas, quae habentur in Actis VI. Synodi, facile patet, ipsum non negasse voluntates duas, et operationes, divinam, et humanam: sed rejecisse tantum a Christo voluntatem carnis contra voluntatem spiritus concupiscentem; *quia non est assumta*, inquit, *a Salvatore vitiata natura, quae repugnarit*

ret legi mentis ejus; nam lex alia in membris, aut voluntas divisa non fuit, vel contraria Salvatori, quia super legem natus est humanae conditionis. Epist. I. Et *Epist. II.* manifeste duas naturarum duarum operationes distinguit; licet imprudenter postea silentium, pacis quidem studio, ut ipsi videbatur, indicat. Merito igitur *Honorium* ab haeresi purgant *Maximus Martyr*, *Joannes IV. Honorii* successor, et ipse *Joannes Abbas*, qui fuit *Honorio* a Secretis, et Epistolam illam primam *Honorii* ad *Sergium* scripserat. Vide Natalem Alex. *Dissert. II. in Hist. Ec. Saec. VII. P. Orsi* in Opere Romae edito anno 1739. contra *Defensionem Cleri Gallicani*, aliosq.

Tertio alii docent, Synodum VI. VII. et VIII. ipsosque SS. Pontifices, qui *Honorium* damnarunt, *errore facti* lapsos esse, putantes, ejus Epistolas haeretico animo, sensuque compositas. Licet enim Concilia in definiendis fidei controversiis falli non possint; tamen in facto, quod ab hominum testimonio pendet, errare posse constat. Ita sentiunt *Anastasius Bibliothecarius*, *Emmanuel Calecas*, *Joan. Turrecremata*, *Becanus*, *Petavius*, *Gonetus*, *Contensonius*, *Cardinalis de Laurea*, *Fratres Wallemburgici*, illique ipsi, quos pro priore sententia commemoravimus, *Baronius*, *Bellarminus*, *Gretserus*, *Melchior Canus*, *P. Annatus*, aliique innumeri, quorum longissimam seriem texuit *Carolus Witasse*. Vide tamen quae diximus *Lib. II.* de factis dogmaticis.

Verum his omnibus omissis, respondemus, Honorium damnatum, et quidem merito, non ut haereticum; patet enim ex testimoniis supra prolatis, eum ab errore fuisse immunem; sed ut fautorem haereticorum; quia non solum eos non damnavit, sed etiam Catholicis contra eos fortiter dimicantibus, silentium indixit, falsae pacis studio; quamvis a *Sophronio* monitus fuisset, non esse amplius silendi tempus. Hinc Leo II. *Epist. ad Episcopos Hispan. Condemnatione mulctati sunt*, inquit, *Theodorus*, *Cyrus*, *Sergius cum Honorio*, *qui flammam haeretici dogmatis, non ut decuit Apostolicam auctoritatem, incipientem extinxit, sed negligenter confovit.*

§. III.

§. III.

Utrum humana Christi natura defectibus, passionibus, doloribus, corruptibilitati fuerit obnoxia.

Adv. I. Quoniam duas in Christo naturas integras, et non confusas permansisse ostendimus, videamus, utrum humana natura defectibus etiam, passionibus, doloribus, et corruptibilitati fuerit obnoxia. Humanae autem naturae defectus vel ad animum pertinent, vel ad corpus, vel ad utrumque simul. Animi quidem, vel animi simul, corporisque defectus sunt ignorantia, concupiscentia, passiones, peccatum, peccandive potentia. Corporis defectus alii omnibus sunt communes, ut corruptibilitas; alii quibusdam hominibus proprii, ut febres, aliaeque infirmitates ex peculiaribus ortae caussis.

II. Jam quod attinet ad animi defectus: *Gnostici, Ebionitae, Valentiniani, Ariani, Sociniani* ignorantiam Christo tribuerunt. Hos secuti sunt *Eutychiani* quidam, ideo *Agnoëtae* appellati, contra quos scribit Gregorius M. *Lib. VIII. Epist.* 42. Erasmus *in cap. II. Luc.*, et Calvinus *in Harmonia* in eodem errore versati sunt.

III. *Theodorus Mopsuestenus* concupiscentiam etiam spiritui reluctantem Christo tribuit. *Scotus* vero affirmavit, fuisse in Christo saltem peccandi potentiam, quam a natura creata sejungi non posse putat; licet ea potentia numquam ad actum prodire potuerit, propter ejus gratiae plenitudinem, atque beatam, qua fruebatur, visionem.

IV. *Eutychiani* unam tantum agnoscentes Christi naturam, disputare inter se coeperunt, utrum ea natura *passibilis*, et *corruptibilis* foret, an *impassibilis*, et *incorruptibilis*. Haec quaestio eos scidit in partes duas. Nonnulli enim post *Julianum Halicarnassensem* secundum Eutychiana principia, nempe quod humana Christi natura a Divinitate absorpta fuerit, docuerunt, carnem Christi etiam ante resurrectionem fuisse incorruptibilem ipsumq. Christum omnino impassibilem, neque illum, nisi specie tenus passum esse, quod olim *Phantasiastae* somniaverant. Hinc dicti sunt Eutychiani illi ἀφθαρ-

τοδοκηται sive *incorrupticolae*: in quam haeresim etiam *Justinianum* Imperatorem in vitae exitu incidisse, scribit *Evagrius*. Alii vero, post *Severum* Monachum, Christum passibilem, ejusque carnem corruptibilem affirmabant, unde *corrupticolae* dicti sunt. Quare cum unam ponerent in Christo naturam divinam, hinc divinitatem ipsam passam esse docuerunt, ideoque *Theopaschitae* sunt appellati, quorum princeps *Petrus Guapheus*, seu *Fullo* Episcopus Antiochenus *Trisagio* illi *Sanctus Deus*, *Sanctus fortis*, *Sanctus immortalis*, addidit *qui passus es pro nobis*. Hac haeresi infecti sunt *Jacobitae* Eutychiani, qui adhuc in Oriente sunt, de quibus vide Nicephorum *Lib. XVIII. Hist. cap.* 53.

V. Potest autem aliquid dici corruptibile duabus rationibus; vel quia obnoxium est mutationi, quae ad corruptionem tenderet, nisi divina virtute impediretur; vel quia reipsa corrumpi potest, et in prima resolvi elementa. His igitur explicatis, omnia breviter expedienda sunt.

PROPOSITIO I.

Ignorantia, et concupiscentia non fuerunt in Christo homine. Est fidei dogma.

Prob. 1a. *pars I. ex Script. Joan. I.* 14. Christus dicitur *plenus gratiae, et veritatis*. Coloss. II. 3. *In quo sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae absconditi*. Is XI. 2. *Requiescet super eum Spiritus scientiae etc.* Ergo etc.

Prob. II. *ex PP.* 1.° Augustinus *Lib. II. De peccat. merit. cap.* 29. *Ignorantiam*, inquit, *nullo modo crediderim fuisse in homine illo, in quo Verbum caro factum est*. 2.° Ambrosius *Lib. V. de Fide cap.* 8. *Nihil fuit quod ignoraverit Dei filius*. 3.° Denique universa Ecclesia *Agnoëtas* ut haereticos habuit, atque damnavit. Ergo.

Prob. III. *ratione Theologica*. Non fuerunt a Verbo assumti defectus illi, qui nihil ad hominum redemtionem faciebant, ut infra dicemus; imo dedecebant eum,

eum, qui Caput hominum, et Magister futurus erat. Talis erat ignorantia, et concupiscentia. Ergo.

Prob. 2a. *pars I. ex Script. Joan. VIII.* 46. ait ipse Christus: *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Heb. VIII. 26. *Talis decebat ut nobis esset Pontifex, sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus, etc.* Rom. VIII. 3. *Deus Filium suum mittens in similitudinem carnis peccati.* Peccatum autem appellant sacrae literae non modo id, quod veram peccati rationem habet, sed et ipsam concupiscentiam; quia ex peccato est, et ad peccatum inclinat, ut docet Tridentinum. Ergo.

Prob. II. *ex PP.*, qui in laudatum Apostoli locum *Rom.* VIII. observant, Christum non in carne peccati fuisse; sed in similitudine carnis peccati. Tertullianus *Lib. de Carne Christi cap.* 16. *Similitudinem*, inquit, *peccatricis carnis vult intelligi, quod ipsa non peccatrix caro Christi fuit.* Et Augustinus *Lib. I. de Nupt. et Concup. cap.* 12. *Sine qua* (concupiscentia) *concipi voluit qui futurus erat sine peccato, non in carne peccati, sed in similitudine carnis peccati.*

Prob. III. *ratione.* Adam a Deo creatus est ab omni concupiscentiae fomite immunis; concupiscentia vero, qua per peccatum sua ipsius culpa infectus est, in posteros carnali generatione transfudit. Sed Christus non ut ceteri homines ex Adam genitus est, sed virtute Spiritus Sancti, modoque supernaturali. Ergo non potuit in eum transfundi ex Adam concupiscentiae vitium.

Solvuntur Objectiones.

Objic. I. *cont.* 1m. *part.* Christus ipse professus est, se nescire judicii diem. *Marc. XIII.* 32. *De die autem illo vel hora nemo scit, neque Angeli in caelo, neque Filius, nisi solus Pater.* Ergo.

℟. *Dist. ant.* Nescivit judicii diem ut Deus, *neg.* Ut homo, *subdist.* Nescivit scientia naturali, aut etiam supernaturali, sed hominibus revelanda, *conc.* Nescivit omnino, *neg.* Patres itaque; qui ante exortos *Agnoëtas* contra Arium pugnarunt, loco illo abutentem ad oppugnandam Christi divinitatem, satis habuerunt respon-

de-

dere, Christum, ut Deum, judicii diem non ignorasse; esto eum diem ignoraverit, ut homo: quae responsio satis erat ad obstruenda ora Arianorum idonea. Ita Nazianzenus *Orat. XXXVI.*, Hilarius *Lib. IX. de Trin.* Athanasius *Orat IV. cont. Arian.*, aliiq. apud Petavium *Lib. II. de Trin. cap.* 3. Neque in hoc Agnoëtis patrocinantur; isti enim unicam in Christo naturam fingentes, ipsi quodammodo divinitati ignorantiam tribuebant. At posteriorum saeculorum Patres constanter docent, in Christo, etiam ut homine, non fuisse ultimi diei ignorantiam; sed illud dumtaxat naturalibus nescisse viribus. Licet autem judicii diem supernaturali scientia nosceret; tamen quia non acceperat a Patre mandatum id hominibus revelandi, recte potuit affirmare, se nescire diem illum; sicut *Sacerdos* sine mendacio se nescire asserit, quae in Sacramentali confessione audivit; quia scilicet illa novit non ea scientia, quae in usu est apud homines, sed scientia divina, et *incommunicabili.* Hanc interpretationem confirmant verba Christi *Joan. XV.* 15. *Omnia quaecumque audivi a Patre meo, nota feci vobis*: quae verba non significant, Christum non alia audisse a Patre, quam quae Apostolis tradidit; sed non alia audivisse revelanda.

Objic. II. *Matth. VIII.* 10. Christus *miratus est*; et *Joan. XI.* 34. interrogavit: *Ubi posuistis eum?* Atqui admiratio, et interrogatio ex ignoratione proficiscitur. Ergo.

℟. *Dist. maj.* Miratus est proprie, *neg.* Improprie, *conc.* Hoc est ita vultum composuit; ut mirari videretur; idque non ad homines fallendos, sed ad rei novitatem ostendendam. Interrogavit autem humano more, sicut Deus *Gen. III.* 9. *Adam ubi es?* et *Gen. IV.* 9. *Ubi est Abel frater tuus?* ut advertit Chrysostomus *Homil. de Lazaro.*

Objic. III. *Luc. II.* 52. Christus *proficiebat sapientia, et aetate, . . . apud Deum, et homines.* Ergo aliqua prius ignorabat.

℟. *Dist. ant.* Proficiebat quoad usum, *conc.* Quoad habitum, *neg.* Sensus enim est, Christum, quo magis aetate crescebat, eo majora sapientiae suae argumenta exterius ostendisse. Ita Nazianzenus *Orat. XX.*, A-

tha-

thanasius *Orat.III. cont.Arian.*, Cyrillus *Lib.III,cont. Nestor.* aliique. Vide Vellosillum *Adversar. in Ambros. Q.XIII.* Alii docent, Christum profecisse scientia *experimentali*, qua ea, quae jam mente noverat, usu experiebatur; sicut etiam accipiendum est illud Apostoli *Heb.V.* 8., *cum esset Filius Dei, didicit ex iis, quae passus est, obedientiam.* Sed de his plura inferius, ubi de multiplici scientia Christi sermo erit.

Objic. IV. *Isa. VIII.* 4. De Christo praedicitur; *Antequam sciat puer vocare patrem suum, et matrem suam.* Ergo.

℟. *Neg. cons.* Illae enim operationes, quae ab usu membrorum pendebant, ut locutio, paullatim in Christo explicabantur, prout ejus membra ad eas operationes obeundas in dies perfectiora evadebant, sicut in ceteris infantibus accidit: ne forte Christi infantia fictitia videretur. Non ergo ex ignorantia, sed ex imperfectione membrorum factum est, ut Christus non statim ac natus est, loqui, ambulare, aliasque corporeas operationes edere inceperit.

PROPOSITIO II.

Passiones fuerunt in Christo; non tamen quales sunt in nobis rationi, et voluntati reluctantes; sed subditae, et obsequentes ejus voluntati.
Est dogma fidei.

Prob. 1a. *pars.* I. *ex Script.* Fuit in Christo metus, taedium, tristitia. *Marc. XIV. Coepit pavere et taedere ... Tristis est anima mea usque ad mortem.* Ita *Marc. III.* 5. *Circumspiciens eos cum ira.*

Prob. II. *ex PP.* 1.° Athanasius *Orat. III. cont. Arian. Decebat*, inquit, *Dominum humana carne vestitum, hanc totam cum passionibus propriis induere.* 2.° Ambrosius *Lib. II. de Fide cap.* 3. *Quia suscepit animam, suscepit etiam animae passiones.* 3.° Augustinus *in Psal. XCIII: Tristitiam assumsit, quomodo carnem: fuit enim tristis, sicut Evangelium dicit.* Vide alios apud Leontium *Lib.II. cont. Nestor.*

Prob. III. *ratione.* Si passiones, quas Scriptura Christo

sto tribuit, verae non fuissent, posset etiam de veritate carnis ejus dubitari: eadem enim Scriptura, quae illi carnem tribuit, tribuit etiam passiones. Ergo.

Prob. 2a. *pars. ex Script.* Ille non habuit passiones rationi, et voluntati reluctantes, qui illas assumsit quando, et ubi voluit. Atqui passiones Christus assumsit quando, et ubi voluit. *Isa.LIII.* 7. *Oblatus est quia ipse voluit. Jo. X.* 17. *Ego pono animam meam ... Nemo tollit eam a me: sed ego pono eam a meipso.* Et cum Lazarum suscitaturus erat a morte non dicitur: *turbatus est*: sed *turbavit seipsum Joan. XI.* 33.

Prob. II. *ex PP.*, ex quibus unus pro omnibus sufficiat Augustinus *Tract.XLIX. in Joan. Quis enim eum posset, nisi seipsum ipse turbaret? Turbaris tu nolens; turbatus est Christus, quia voluit. Esurivit Jesus, verum est, sed quia voluit: dormivit Jesus, verum est, sed quia voluit. In illius potestate erat vel sic affici, vel non affici.* Idem alii docent.

Prob. III. *ratione.* Quaevis passio rationem praeveniens, eique reluctans, etsi peccatum non est, cum ei voluntas adversatur; est tamen vitium, et perturbatio, recto ordini repugnans, et ex peccato originali promanans. Ergo non potuit esse in Christo, in quo summa innocentia, et sanctitas, et rectus ordo fuit, qualis decebat humanam naturam, hypostatice Verbo conjunctam.

Scholion.

Has passiones, quae voluntati non obluctarentur, sed obsequerentur, merito *Hieronymus* ait, non esse appellandas passiones, sed *propassiones in cap. XXVI. Matth. Ut veritatem probaret assumti hominis, vere contristatus est; sed non passio ejus vere dominabatur animo, verum propassio est.*

Objectiones diluuntur.

Objic. I. *cont.* 1m. *part.* Patres docent, Christum passionis omnino expertem fuisse. Sic enim ait Clemens Alex. *Lib.VI. Strom. Ipse autem passionis erat expers, ut*

ut quem nullus subiret motus affectionis, neque voluptas, neque dolor. Ergo.

℟. *Dist. ant.* Docent, Christum fuisse passionis expertem, et passionis nomen stricte usurpant, pro ea, quae animo dominatur, ut nobis accidit invitis, et reluctantibus, *conc.* Et nomen passionis adhibent in sensu nostro, *neg.* Passio ergo stricte ea est, quam animus patitur invitus; passio enim, sicut et πάθος Graece a patiendo nomen est mutuata.

Inst. Quae secundum voluntatem eveniunt, ea moerorem, atque tristitiam afferre non possunt. Ergo vel dicendum est, hujusmodi passiones contra voluntatem accidisse Christo; quod est contra alteram propositionis partem: vel non fuisse veras: quod est contra primam.

℟. *Neg. ant.* Quae enim natura sua talia sunt, ut rectum, et tranquillum naturae ordinem aliqua ex parte perturbent, non possunt non afferre animo moerorem, licet secundum voluntatem eveniant. Numquid enim si quis voluntarie seipsum cultro lancinaverit, dolorem non sentiet? *Anima, et caro Christi cum Verbo Dei unica persona est, unus Christus est, ac per hoc ubi summa potestus est, secundum voluntatis nutum tractatur infirmitas, hoc est: turbavit semetipsum.* Augustinus *Tract. XLIX. in Joan.*

PROPOSITIO III.

Neque peccatum, neque peccandi potentia, ullo pacto fuerunt in Christo.

Prob. 1a. *pars.* ad fidem pertinens. I. ex Scrip. *Joan. VIII.* 46. ait ipse Christus. *Quis ex vobis arguet me de peccato? I. Pet. II.* 22. *Qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus.* Heb. IV. 15. Tentatus *per omnia pro similitudine absque peccato.*

Prob. II. *ex definitione Ecclesiae.* Concilium enim Ephesinum *Can. X.* ita sanxit: *Si quis dixerit, Christum pro seipso sacrificium obtulisse, et non potius pro nobis (neque enim oblatione indigebat, qui peccatum omnino nescivit) anathema sit.* Ergo.

Prob.

Prob. 2a. *pars.* contra Scotum. I. Christus *Dan. IX.* 24. dicitur *Sanctus Sanctorum*; et *Luc. I.* 35. non modo *Sanctus*, sed *Sanctum*: *quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei.* Quae verba indicant substantiae ipsius Christi sanctitatem; ita ut sicut non potest a calore frigus, ita nec a sanctitate peccatum proficisci.

Prob. II. *ex PP.* 1.° Augustinus *Lib. II. de peccatorum merit. cap.* 11. *In cujus*, inquit, *non tantum divinitate, sed nec in anima, nec in carne, ullum potuit esse peccatum.* 2.° Ante Augustinum Origenes *Lib. II. de Princ. cap.* 4. *Anima illa in Deo posita est, ideo nec convertibilis, aut mutabilis dici potest, quae inconvertibilitatem ex Verbi Dei unitate indesinenter ignita possedit.* 3.° Athanasius *Orat. II. contra Apollinarem*, laudatus a VI. Synodo *Act. VIII.* ait, Christus esse *sanctum natura sua, et immutabilem ad malum.* 4.° Ambrosius *Lib. de incarnat. cap.* 7. *Anima Christi est incapax peccati; quia per unionem facta est impeccabilis.* Idem alii docent (a).

Prob. III. Si esset in Christi humanitate peccandi potentia, posset haec ipsi Verbo tribui; sicut enim actiones omnes, ita et potentiae, quae in natura sunt, tribuuntur supposito. Atqui Verbum divinum habuisse potentiam peccandi valde absurdum est. Ergo.

Objectiones Solvuntur.

Objic. I. Potentia moriendi, aliasque infirmitates subeundi, non repugnat Christo. Ergo nec potentia peccandi.

℟. *Neg. cons. et parit.* Mors enim malum est physicum, quod fieri a Deo non repugnat. At peccatum est

(a) Hyppolytus Martyr. *ap. Athanas. Epist. ad Theodos. Pres.* Dionysius Alex. *Epist. ad Paul. Samos.* Nazianzenus *Orat. XXXVI.*, Cyrillus *de Fide ad Theodos.* Fulgentius *Lib. III. ad Trasym. cap.* 29.

est malum morale, quod magis Deo repugnat, quam frigus calori, aut rotunditas triangulo.

Inst. 1.° Naturae a Verbo assumtae non repugnat libertas. Atqui libertas potentiam peccandi affert. Ergo.

℞. *Dist. maj.* Non repugnat libertas *contrarietatis*, *neg.* Libertas *contradictionis*, *conc.* Libertas contrarietatis est potentia faciendi bonum, et malum, quae potentia Christo repugnat, neque essentiam constituit, sed imperfectionem libertatis, ut ostendit S. Thomas I. P. Q. LXII. *art.* 8. *ad* 3. At libertas *contradictionis* est facultas, qua potest voluntas unum, vel aliud eligere bonum; quae facultas substantiae rationalis perfectio est: ideoque Verbo incarnato non repugnat.

Inst. 2.° Negari non potest, humanam Christi naturam in seipsa spectatam, seclusa scilicet *hypostatica* unione, libertatem *contrarietatis*, ideoque peccandi potentiam habuisse. Atqui Verbum nihil immutavit in assumta natura. Ergo.

℞. *Dist. min.* Nihil immutavit *physicum*, *conc.* Nihil *morale*, *neg.* Potentia itaque peccandi cum non sit aliquid positivum, et physicum, sed defectus creatae voluntatis, personae Verbi incarnati repugnans, licet fuisset in humana Christi natura, si scorsim a Verbo extitisset, non potuit tamen in ea esse, posita unione *hypostatica*.

Scholion.

Ex iis, quae dicta sunt, facile est animadvertere, Christi *αναμαρτησιαν*, sive *impeccantiam*, ab ipsa hypostatica unione repetendam esse; ideoque esse in Christo naturalem et *substantialem*, non *accidentalem* et adventitiam, ut contendit Durandus *in III. Dist. XII. q.* 2., aliiq., qui docent, ex sola Dei beata visione, qua fruebatur anima Christi, oriri ejus impeccantiam, non secus ac accidit in beatis: adeo ut visione illa exclusa, nihil absonum sit, quod anima Christi peccare potuerit. At Patres, ut supra vidimus, non ex visione Dei, non ex gratiae donis, ullove extrinsecus addito Dei beneficio, at ex ipsa hypostatica unione factum affirmant,

mant, ut Christus peccare non potuerit: idque etiam ratio a nobis exposita persuadet.

PROPOSITIO IV.

Corpus Christi doloribus, morti, aliisque defectibus universo hominum generi communibus, ante resurrectionem fuit obnoxium; ideoque corruptibile dici debet. Est dogma fidei.

Prob. I. ex Script. Isa. LIII. 4. *Vere languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit.* Et ab eodem Propheta dicitur Christus *Ibid. vir dolorum, et sciens infirmitatem.* Matth. IV. 2. *Esuriit.* Joan. XIX. 28. *Sitivit.* Joan. IV. 6. *Fatigatus est ex itinere.* Luc. XXII. 43. *factus est in agonia ..... et factus est sudor ejus, sicut guttae sanguinis.* Luc. XXIV. 26. *oportuit pati Christum, et ita intrare in gloriam suam.* Heb. II. 9. *Videmus Jesum propter passionem mortis gloria, et honore coronatum ... debuit per omnia fratribus assimilari, ut misericors fieret ... in eo enim, in quo passus est ipse, et tentatus, potens est et eis, qui tentantur, auxiliari.* Ergo.

Prob. II. ex omnium PP. communi consensione. 1.° Hieronymus *in cap. LIII. Isa. Qui vere*, inquit, *languores nostros, et peccata portavit, non putative, ut vetus, et nova haeresis suspicatur, sed vere crucifixus est, et vere doluit.* 2.° Hilarius *in Psal. LIII. Qui omnia secundum hominem loquitur.* Et *in Psal. LIV. Haec quidem in eum omnia, quae nostrae necessitatis sunt, irruerunt.* Et iterum *in Psal. LVII. Percussus est Dominus, peccata nostra suscipiens, et pro nobis dolens.* Et *Lib. X. de Trin. num.* 67. *Passus quidem est Unigenitus Deus, quae homines pati possunt.* Idem docent *Tertullianus*, *Origenes*; *Basilius*, *Augustinus etc.* (*a*).

(a) Tertullian. *Lib. III. Lib. contra Marcion. cap.* 8. *et alibi.* Origenes *Lib. II. cont. Cels. cap.* 25. Athanasius.

Prob. III. *ratione.* Verbum Divinum carnem assumsit, non solum ut nos a peccato redimeret, sed ut exemplo etiam nos suo roboraret, ut ait Petrus *I. Pet. II.* 21. *Christus passus est pro nobis vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus*; et in tribulationibus fiduciam haberemus in tantum Pontificem, qui potest compati infirmitatibus nostris, utpote omnia passum, et tentatum per omnia pro similitudine absque peccato, ut inquit Apostolus *Heb. IV.* 15. At si Christus non vere dolores humanae naturae assumsisset, neo exemplum nobis, nec eam fiduciam praebuisset. Ergo. Diximus autem in propositione *ante resurrectionem*; nam post resurrectionem tanta facta est humanae naturae immutatio in gloriam quasi unigeniti a Patre, ut veteres, qui de ea loquuntur, Ecclesiae Doctores, nisi intelligerentur commodius, excessisse modum viderentur, dum ajunt, humanam naturam in divinam transformatam, aut conversam, aut *deificatam*.

Objectiones.

Objic. I. Dionysius Alex. *Epist. ad Paulum Samosat. Quaest. I. et II.* ait, Christum eo modo contristatum, et conturbatum, quo dicitur de Patre *Osee XI.* 8. *Conturbata est poenitudo mea*, et de Spiritu Sancto *Ephes. IV.* 30. *Nolite contristare Spiritum Sanctum.* Atqui haec de Patre, et Spiritu Sancto per metaphoram dicuntur, ut patet. Ergo et de Christo.

℟. 1.° hanc Epistolam nonnullos Dionysio abjudicare, ut opus supposititium, imo P. Le Quien *Dissert. II. Damascenica num.* 23. eam tribuere Eutychiano cuidam haeretico.

℟. 2.° *Dist. maj.* Eodem modo dicuntur de Christo tristitia, et turbatio, ac de Patre, et Spiritu Sancto,

 si

Lib. de Incarnat. n. 44. Ambrosius *in Luc. Lib. X. ad cap. XXII.* Basilius *Lib. de gratiar. act. in actis Conc. Later. I. Act. III.* Augustinus *Epist.* 146. *al.* 205. *ad Consentium.* Fulgentius *de Incarn. cap.* 8.

si sermo est de divina Christi persona, et natura, *conc.* Si de humana natura, *neg.* Disputabat enim *Dionysius*, si genuina esset Epistola illa, contra *Samosatenum*, qui ex iis Scripturae locis, in quibus Christus conturbatus, et tristatus dicitur, inferebat, illum non esse Deum. Contra ea Dionysius objiciebat alia Scripturae loca, in quibus et Pater, et Spiritus Sanctus contristari, et turbari dicuntur, ex quibus non potest quidquam contra utriusque divinitatem concludi. Hoc satis erat tunc ad revincendum haereticum.

Inst. In eadem Epistola *ad Quaest. IV.* idem Dionysius ait, sanguinem Christi eo modo fuisse effusum, quomodo dicitur de Spiritu Sancto *Joel. II. 28. Effundam spiritum meum super omnem carnem.* Ergo.

℟. *Dist. ant.* Eodem modo fuisse effusum, quoad actualem sanguinis corruptionem, quam *Paulus Samosatensis* ex effusione necessario sequi contendebat, *conc.* Quoad effusionem ipsam, *neg.* *Paulus* itaque *Samosatensis*, ex iis Verbis Christi: *Hic est calix sanguinis mei, qui pro vobis effundetur*, necessario sequi affirmabat, sanguinem Christi corruptioni actuali fuisse obnoxium. Contra *Dionysius* reponebat, etiam de Spiritu Sancto dictum esse: *effundam de spiritu meo etc.* et tamen absurdum esse, inde inferre, Spiritum Sanctum corruptioni esse obnoxium. Hoc autem ad infringendam *Samosatensis* cavillationem satis erat.

Objic. II. Hilarius *Lib. X. de Trin. n. 23.* de Christo ait: *In quo quamvis aut ictus incideret; aut vulnus descenderet; aut nodi concurrerent, aut suspensio elevaret, afferrent quidem haec impetum passionis, non tamen dolorem passionis inferrent*: atque ad id declarandum utitur exemplo aquae, ignis, aeris, quae licet verberentur, aut perforentur, doloris tamen omnino expertes sunt. Addit ibidem, corpus Domini longe diversas a nostro corpore habuisse qualitates, quippe quod de Spiritu Sancto conceptum est, undas pedibus sicco vestigio calcavit, in monte gloriosum apparuit, etc. Atqui *Hilarii* scripta *inoffenso pede decurri* posse Hieronymus testatur *Epist. LVII. al. VII. ad Lactam.* Ergo.

℟.

℟. 1.° Ob haec, et similia *Hilarii* loca sane difficilia, nonnullos eum hac in parte erroris accusare, ut Claudianum Mamertum *Lib. II. de statu animae cap.* 9., Berengarium *apud Lanfrancum Epist. L.*, Joannem Praepositum, Baronium *ad an.* DLXIII, aliosq. Sed *Hilarium* ab errore vindicant non solum generalis illa *Hieronymi* laus, quae in objectione posita est, imo et commendatio *Gelasii Papae*, et *Augustini*; verum etiam Lanfrancus *loc. cit.*, Philippus Abbas *Bonae Spei Lib. contra Joan. Praepositum*, Hunaldus electus arbiter controversiae inter *Philippum*, et *Joan. Praepositum*, Petrus Lombardus III. *Sent. Dist.* 15., S. Thomas P. 3. *Q.* XV. *art.* 5. *et* 6., S. Bonaventura *in III. Dist. XVI. art.* 1. *Q. I.*, et communis Theologorum consensus; quibus accedunt Maurini Patres in *Praefatione ad Hilarium*, et D. Cellier *Tom. V.* Alii media incedunt via; putant enim, *Hilarium* revera errasse in Libris *de Trinitate*, sed in *Commentariis super Psalmos* mutasse sententiam. Ita *Petavius*, aliique.

℟. 2.° *Dist. maj.* Docet *Hilarius*, ictus, et vulnera dolorem passionis Christo non intulisse in natura divina, *conc.* In natura humana, *subdist.* Non intulisse dolorem passionis proprie dictae, quae scilicet advenit invitae, ac reluctanti voluntati, *conc.* Dolorem passionis cujuscumque, *neg.* Loca enim *Hilarii*, quae de industria protulimus in confirmationem *propositionis*, aliaque permulta, quae proferri possent, S. Doctorem ab omni erroris suspicione vindicant non solum in Commentariis *in Psalmos*, ut concedit *Petavius*; sed etiam in *Libris de Trinitate*: suadentque, benigne accipienda esse verba quaedam paulo duriora, quae ipsi aliis in locis exciderunt. Hinc cum ille contra Arianos pugnaret, qui Christi Divinitatem negabant ob passionem, et dolores, quibus fuit obnoxius, recte possumus ejus verba intelligere vel de divina Christi natura, quae sine dubio pati, aut dolere non potuit; vel si de humana intelligantur, sensus est, Christum non fuisse obnoxium ex necessitate ineluctabili doloribus, et passionibus, quae invitam, et reluctantem ejus voluntatem obruerent. Non enim poterat natura illa, quae de Spiritu Sancto concepta erat ab omni pecca-

to immunis, et hypostatice Verbo conjuncta, talibus obrui doloribus invita, cum praesertim tactu solo fugaret febres, mortuos suscitaret, super aquas ambularet, etc. Idque vel exinde confirmari potest apertius, quod aliquando perspicue *Hilarius* dolorem a passione distinguit, atque illum invito, hanc volenti animo docet accidere; ex quo efficitur, numquam Christum eo sensu dolere potuisse, quo *Hilarius* doloris nomen usurpat. Hinc *cap. XXXI. in Matth.* ait: *Pro his rogat, dicens: transeat a me calix, idest, quomodo a me bibitur, ita ab iis* (scilicet discipulis) *bibatur sine spei diffidentia, sine sensu doloris, sine motu mortis.* Atqui nemo dixerit, martyres sine ullo doloris sensu, aut metu mortis subiisse martyrium, sed tantum sine sensu doloris dejiciente, atque opprimente animum. Ergo eodem sensu intelligendus est *Hilarius* de Christo loquens.

PROPOSITIO V.

Si corruptibilitas accipiatur pro vera corporis dissolutione in sua elementa, non fuit in Christo. Est dogma fidei.

Prob. 1.° *ex Ps. XV. Nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem.* 2.° Non decebat, ut corpus illud, quod a Spiritu S. formatum, nulla labe pollutum, Verbo Dei hypostatice conjunctum erat, putresceret, et dissolveretur, cum nec ipsum Adami corpus fuisset corruptioni obnoxium, nisi peccato maculatum, et contaminatum esset. Ergo.

PROPOSITIO VI.

Defectus, qui ex peculiaribus causis oriuntur, nec toti humanae naturae communes sunt, ut caecitas, claudicatio, febres etc. non fuerunt in Christo.

Prob. 1.° Quia hujusmodi defectus, qui ordinarie vel ex peccato, vel ex causarum secundarum concursu ortum habent, non decebant corpus per summam sapientiam a Spiritu S. auctore formatum. 2.° Quia hujusmod

modi defectus non erant ad salutem humani generis necessarii. Ergo.

Scholion.

Quamvis, salva fide, disputetur inter Theologos, utrum passiones, dolores, et ipsa mors Christo acciderint per miraculum, an vero naturaliter, ita ut ad senectutem etiam; et a senectute ad mortem fuisset perventurus, nisi in cruce mori voluisset, ut opinatur Augustinus *Lib. II. de Pecc. merit. et remiss. cap.* 29., tamen utraque sententia conciliari facile poterit, si dicamus, per miraculum quidem generatim factum esse, ut ex unione hypostatica, ac beata visione non emanaret in corpus, aliasque Christi potentias ea vis, qua ab omni fieret passione vacuus, atque immunis: sed quia non censetur miraculum quod fit secundum generalem quandam legem ab ipso Deo constitutam, idcirco singulas passiones, dolores, ipsamque mortem Christo naturaliter accidisse; non sine consensu tamen voluntatis, quae potuisset illas, si ita ei placuisset, cohibere; unde ait *Joan. X.* 8. *Nemo tollit eam* (animam meam) *a me: sed ego pono eam a me ipso*. Et in cruce inclinato capite spiritum voluntarius emisit. Haec sententia videtur Scripturae congruentior, ex qua scimus, ita Patrem statuisse, ut Christus per passionem, et mortem, incorruptionem, et gloriam mereretur *Luc. XXIV.* 26. *Nonne haec oportuit pati Christum, et ita intrare in gloriam suam?* Heb. II. 9. *Videmus Jesum propter passionem mortis gloria, et honore coronatum*. Quod quidem non satis constaret, si Christus incorruptionem, et gloriam ex ipsa unione hypostatica, et visione beata habuisset.

§. IV.

Utrum humana Christi natura exornata fuerit scientia, aliisque gratiarum donis.

Adv. I. Quoniam in Christo nullam fuisse ignorantiam in intellectu, nullam in voluntate peccandi potentiam

tiam supra docuimus: et aliunde ostendimus contra Monothelitas, et intellectus, et voluntatis humanae proprias operationes a divina distinctas agnoscendas esse; expendendum nunc est, quae, et quotuplex in eo fuerit scientia quoad intellectum, et gratia quoad voluntatem, quo posset operationes etiam humanas eo modo peragere, quo Filium Dei decebat.

II. Hugo Victorinus *Tom. III. Tract De sapientia animae Christi* solam in Christo scientiam agnovit divinam, putans, scientiam quamcumque creatam fuisse ipsi inutilem, fulgente scientia illa infinita, qua pollebat, ut Deus.

III. Scientia autem creata triplex esse potest, *beata*, quae in clara Dei visione sita est, *infusa*, quae in objecta fertur supernaturalia; et *acquisita*, quae res naturales respicit, et ingenio acquiri potest, licet *per accidens* a Deo infundatur, ut Adae infusam fuisse Theologi docent; semper tamen acquisita dicitur, ut a scientia infusa distinguatur, quae nonnisi per infusionem haberi potest. Utrum ergo triplex haec in Christo scientia fuerit, et quam late patuerit, quaerendum est.

IV. Gratiae vero dona, ut sequenti Libro dicemus, alia sunt *gratis data*, sive in aliorum utilitatem; ut miracula patrandi virtus; alia *gratum facientia*, ut gratia *habitualis*, et *actualis*, virtutes infusae, et dona Spiritus Sancti

PROPOSITIO I.

In Christo fuit scientia beata a primo conceptionis momento, qua novit divinam essentiam, et futura saltem usque ad diem judicii; non tamen Dei essentiam, nec omnia possibilia comprehendit.

Prob. 1a. *pars*, quae apud omnes Catholicos certa est, licet dogma fidei non sit. 1.° *Jo. III.* 13. *Nemo ascendit in caelum, nisi qui descendit de caelo, filius hominis, qui est in caelo.* Ubi Christus etiam ut homo dicitur esse in caelo: quod visionem Dei beatam videtur ostendere, ut observat Augustinus *Epit. CLXXXVII. al. LVII.* exemplo latronis, cui Christus jam jam mori-

riturus promisit, eadem die fore secum in Paradiso *Luc. XXII.* 43., licet ejus anima in Limbum, quem vocant, sive in eum inferorum locum, ubi animae piorum manebant, descensura esset. Idque magis patet ex ipsius Christi scopo, qui laudatis verbis *Nicodemo* suadere voluit veritatem testimonii sui, quod intantum ab aliorum Prophetarum testimonio distabat, ut illi quidem dicerent, quae per revelationem audierant, ipse vero, quae videbat: *Quod scimus loquimur, et quod vidimus testamur.* .... *Qui de caelo venit super omnes est. Et quod vidit, et audivit, hoc testatur.* Addi potest et illud *Joan. I.* 14: *Vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti a Patre, plenum gratiae et veritatis*; qui enim habet veritatis, sive scientiae plenitudinem, ei sine dubio beata scientia negari nequit. Ergo.

Prob. II. ex *Augustino*, qui *Lib. IV. de Consens. Evang cap. ult.* scribit, hominem, cujus susceptione Verbum caro factum est, longe a ceteris distare, quod nemini praeter illum in hac vita videre Deum fuerit concessum. Idem docent Fulgentius *Respons. ad Ferrand.*, S. Thomas 3. *P. Q. IX. art.* 1. *et al.* etc.

Prob. III. Ipsa dignitas Christi, qui ad revelandas hominibus res divinas advenerat, postulare videbatur; ut seipsum, et res, quas praedicabat, clare cognosceret, non poterat autem clare noscere seipsum, et res divinas, nisi personam Verbi, et Dei decreta clare videret, ac proinde divinam naturam, a qua persona Verbi, et decreta divina reipsa distincta non sunt. Ergo. Vide Canum *Lib. XII. de Loc. cap.* 13. *et* 1.

Prob. 2a. *pars.* In lumine gloriae plura, vel pauciora vident beati, prout eorum status, et officium postulat, ut *Lib. III. cap.* 9. §. 7. diximus. Cum ergo Christus constitutus sit Doctor, Judex, Caput hominum, et Angelorum, cui omnia Pater subjecit, ejus status postulabat, ut omnia cognosceret, ipsa etiam secreta cordium; unde dicitur *Joan. XXI.* 17. *Domine, tu omnia nosti: tu scis, quia amo te*; Et *Jo. II.* 25. *Ipse enim sciebat quid esset in homine.* Ergo etc. Diximus autem *usque ad diem judicii*; quia completo Mediatoris, et Judicis officio, nulla ratio evidenter ostendit, ani-

animam Christi omnia per totam aeternitatem futura noscere debuisse.

Quod autem Christus perfectissima hac scientia a primo conceptionis suae momento donatus fuerit, probatur ex omnium Theologorum consensione, et illo Apostoli *Heb.X.* 5. *Ingrediens mundum dicit ... Holocautomata pro peccato non tibi placuerunt, etc.* quae perfectam in Christo scientiam ostendunt primo illo momento, quo humanam naturam Verbum assumsit.

Prob. 3a. *pars.* Comprehendere Deum, et in Deo omnia possibilia, actus est infinitae virtutis. Atqui natura creata hujusmodi actus capax esse non potest, ut ostendimus *Lib III. cap.* 9. Ergo etc. Hinc merito damnata est in Concilio Basileensi adhuc legitimo *Sess. II.* sententia illa *Augustini Romani* (a). *Anima Christi Deum videt tam clare, et intense, quam clare, et intense Deus videt seipsum:* quae propositio, ut sonat, falsa est, licet eam, aliasque pariter in Concilio illo damnatas recto sensu scripsisse Auctorem, ostendere conetur Bertius *Lib. XXVI. cap. IX.*, cujus pium erga fratrem studium non reprehendimus.

Solvuntur Objectiones.

Dices. I. cont. 1m. *part.* Christus, ut supra ostendimus §. *III. h. c.* doloribus, et passionibus fuit obnoxius. Certe tantus fuit ejus in passione dolor, ut sola cogitatione perterrefactus sudore sanguineo manaverit, et apparuerit *Angelus de caelo, confortans eum Luc. XXII.* 43. imo in cruce pendens exclamaverit: *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* Denique *Joan. VII.* 39. Christus ante resurrectionem *nondum fuerat glorificatus.* Atqui ex beata visione summum sequitur gaudium, quod omnem tristitiam, ac dolorem expellit; sicut summus calor excludit omne frigus. Ergo:

℟. *Dis. maj.* Doloribus, et passionibus obnoxius fuit Christus quoad corpus, et inferiores animae potentias, *conc.* Quoad voluntatem, sive superiorem animae partem, *neg. Dist.* etiam *min.* Summum gaudium omnem ex-

(a) Augustinensis familiae Generalis ministri.

expellit tristitiam in ea parte, in qua est gaudium, *conc.* In parte inferiori, *subdist.* Si Deus non cohibeat in parte superiori gaudium, ne torrens voluptatis sponte sua in inferiorem partem redundet, *conc*, Secus, *neg*. Itaque Christus erat viator simul, et comprehensor: comprehensor quidem in superiori animae parte: viator vero in corpore, et inferioribus animae potentiis. Licet autem ex summo gaudio, quo in superiori parte fruebatur, naturaliter manare debuisset etiam in inferiores animae potentias summa voluptas, atque immortalitas; tamen ut ostenderet veritatem assumtae infirmitatis, et Deo pro peccatis satisfaceret, voluit Christus, ut ex superiori animae parte torrens ille voluptatis non efflueret in inferiores, in quibus et passus est, et doluit, et confortatus est ab Angelo, et clamavit ad Patrem, et nondum erat ante resurrectionem glorificatus. Impie autem Calvinus verba illa Christi morientis: *Deus meus, Deus meus etc.* ait ex desperationis motu prodiisse; quam insaniam refutant non solum Catholici; sed et ipsi Protestantes. *Vide Estium, Maldonatum etc. Vossium Lib. II. Harmon. Evang. cap.* 9, *Grotium in Matth.*, *Glassium Lib. V. Tract. II. cap.* 5.

Dices II. Fulgentius *in Resp. ad Ferrand.* ait: *Non existimo, illi animae in aliquo plenam divinitatis deesse notitiam, cujus una est persona cum Verbo, quam sic sapientia suscepit, ut eadem sapientia ipsa sit.* Cui concinit Isidorus *cap. XLVIII. in Exod.* apud S. Thomam 3. *P. Q. X. art.* 1. *Sola sibi integre nota est Trinitas, et humanitati susceptae.* Ergo.

℟. *Neg. cons.* Verba enim *Fulgentii*, et *Isidori* intelligi commode possunt, ac debent de anima Christi quatenus subsistente in persona Verbi, quod sine dubio Deum comprehendit; sicut propter *communicationem idiomatum* dicitur: *Christus homo est aeternus, immensus etc.* Vel explicari possunt cum *S. Thoma* de excellentissima scientia, qualis decebat animam a Verbo assumtam, quae scientia nulli praeterea data sit.

PRO-

PROPOSITIO II.

Habuit Christus et scientiam infusam, qua objecta omnia supernaturalia, et naturalia, quae jam per scientiam beatam videbat in Verbo, vidit etiam in seipsis: atque ideo scientia, quae dicitur acquisita quoad substantiam, fuit in eo infusa, quoad modum; nec caruit scientia, quae dicitur experimentalis.

Prob. 1a. *pars* contra *Alensem*, *Bonaventuram*, aliosque, qui scientiam tantum beatam, et acquisitam in Christo agnoscunt: I. ex Scriptura. *Joan. I.* 14. dicitur Christus *plenus veritatis*, sive scientiae: et Apostolus *Coloss. II.* 3. inquit; *in quo sunt omnes thesauri sapientiae, et scientiae* Dei *absconditi. Isaias* quoque *cap. XI.* 2. dona Spiritus Sancti, quae ad intellectum pertinent, in Christo permansura praedicit. *Requiescet super eum Spiritus Domini: spiritus sapientiae, et intellectus, spiritus consilii ... spiritus scientiae*: haec autem dona a lumine gloriae distincta sunt. Ergo.

Prob. II. *ratione.* Decuit, ut anima Christi a Verbo assumta omnibus iis perfectionibus esset ornata, cujus erat capax, et quae aliis creaturis rationalibus dignitate minoribus concessa sunt. Atqui anima Christi praeter scientiam beatam capax erat scientiae infusae; eaque scientia etiam Angelis concessa fuit, ut suo loco vidimus ex *Augustino*, qui hinc concludit, fuisse in Angelis visionem *matutinam* ex lumine gloriae, et *vespertinam* ex scientia infusa. Ergo.

Prob. 2a. *pars*. Scientia *acquisita* ea est, quae objecta attingit naturalia modo humanae naturae proprio, quaeque per naturales vires comparari potest, ut philosophia aliaeque scientiae naturales. Atqui Christus per scientiam infusam objecta omnia naturalia novit modo humanae naturae convenienti, ne *secundus Adam* inferior esset primo, cui eadem scientia infusa fuit. Imo tanto major, et perfectior haec scientia esse debuit in *secundo Adam*, quanto major, et sublimior hic doctor huma-

mani generis futurus erat, da quo ait. *Isaias LV.* 4. *Ecce testem populi dedi eum, ducem ac preceptorem gentibus.* Et videmus in Evangelio, ipsum hac scientia saepe fuisse usum, qua ex causis effectus, ex effectibus causas, et comparationes ex rebus naturalibus deducebat. Ergo.

Prob. 3a. *pars.* Scientia *experimentalis* ea est, qua id, quod intellectu antea perspiciebatur, per sensus, aliasque potentias actu perspicitur. Atqui Christus hac scientia non caruit, cum nova in dies objecta sensibus, atque immaginatione perciperet. Unde Apcstolus ait *Heb. V.* 8. *Cum esset Filius Dei didicit ex iis, quae passus est, obedientiam.* Ergo.

Dic. I. *cont.* 1m. *part.* Scientia infusa animae Christi est omnino otiosa, et supervacanea, praesente lumine gloriae, quo res longe clarius, et perfectius videbat in Verbo. Ergo non est in Christo agnoscenda.

℟. *Neg. ant.* Nam 1.° cum Christus comprehensor simul est, et viator, utraque ei scientia conveniebat, ut posset agere modo beatis, et viatoribus proprio, atque ita mereri. 2.° Non decebat, ut anima Christi omnibus iis careret donis, atque perfectionibus, quarum capax erat, et quae cum lumine gloriae non repugnabant.

Dices. II. *cont.* 2m. *et* 3m. *part.* Maxime decebat, ut omnes Christi actiones essent supernaturales. Ergo non fuit in eo neque naturalis, neque experimentalis scientia.

℟. *Dist. ant.* Ut essent supernaturales quoad *principium eliciens*, *neg.* alioquin Christo denegandus esset usus oculorum, aurium, aliarumque omnium potentiarum, ita ut natura humana in eo truncus esset potius, quam homo. Quoad principium imperans, *conc.*

Scholion,

Fuisse in Christo scientiam acquisitam, seu quae propriis actibus acquiri potest, inter omnes Theologos exploratum est. Sed utrum eam scientiam ab initio infusam habuerit, ut nos asseruimus, an propriis actibus comparaverit, disputatur. Non solum enim Thomistae fere

fere omnes, sed et *Vasquez, Becanus*; aliique docent, Christum propriis actibus naturalem hanc scientiam comparasse, ne otiosus, et supervacuus in eo intellectus esse videretur; atque eo trahunt quod dicitur *Luc. II.* 52. *Et Jesus proficiebat sapientia et aetate*; non advertentes, Evangelistam ibi non solum sapientia, sed etiam gratia Christum profecisse dicere, cum apud omnes constet Catholicos, Christum a primo conceptionis momento omnem gratiae plenitudinem accepisse; ita ut profectus ille intelligendus videatur de externis actibus, quibus in dies magis, ac magis sapientiam, et gratiam, qua plenus erat, manifestam omnibus, ac perspicuam faciebat. Caeterum ea quaestio utrinque agitari potest *S. Thomas* varie ea de re scripsit *in Sententias*, et *in Summa*: nec desunt Patrum loca, quae Thomistarum sententiae videntur suffragari. Nos verisimiliorem partem secuti sumus. Universam hanc doctrinam de Christi scientia vide fuse pertractatam apud Gonet *Tom. IV. Tract. de Incarn. a Disp. XV. ad XVIII.* inter Scholasticos; et inter Dogmaticos apud Petavium *Lib. XI. de Incarn.*

PROPOSITIO III.

Habuit Christus a primo conceptionis momento omnem gratiae plenitudinem; hoc est gratias omnes gratis datas, gratiam actualem, et habitualem, virtutes infusas (excepta fide) et dona Spiritus Sancti.

Prob. I. generatim ex Script. *Joan. I.* 14. *Vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti a Patre, plenum gratiae, et veritatis*; et v. 16. *De plenitudine ejus nos omnes accepimus.* 2.° De gratiis gratis datis res est ex Evangelio manifesta, ipsum innumera patrasse miracula, quae nemo alius fecerat, et ipso carnis, aut vestis contactu fugasse morbos, *quia virtus de illo exibat, et sanabat omnes. Luc. I.* 35. *Quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei*: quae verba explicans Bernardus *Hom. IV. in Missus est*, ait: *Posuit indefinite sanctum*

ctum, quia quidquid illud sit, quod Virgo genuit, Sanctum procul dubio, ac singulariter Sanctum est per Spiritus sanctificationem, et per Verbi assumtionem. 4.° Virtutes infusas, et maxime heroicas, in eo fuisse, singulae Evangelii paginae testantur. 5.° Dona Spiritus Sancti in eo permanentia recenset Isaias *cap. XI.* 2. *Requiescet super eum Spiritus Domini: spiritus sapientiae, et intellectus, spiritus consilii, et fortitudinis: spiritus scientiae, et pietatis, et replebit eum spiritus timoris Domini*: timoris, inquam, filialis, quo Deum maxime reverebatur. 5.° Gratiam etiam actualem, seu illustrationem intellectus, et motionem voluntatis assiduam in eo fuisse, ex iis quae in *Lib. VII.* de Gratia dicturi sumus, manifestum est; sicut enim oculus quamvis perfectissime sanus sine lumine cernere non potest; sic homo quamvis perfectissime justificatus, atque exornatus virtutibus; nisi gratia actuali moveatur, sancte agere non potest. Quod autem hanc gratiarum plenitudinem a primo conceptionis momento habuerit Christus, non solum ex illis evincitur *Lucae verbis*: *quod nascetur ex te sanctum*; verum etiam ex eo, quod multo magis Christo gratiae plenitudo tribui ab initio debuit, quam aliis sanctis, quos in utero gratia caelestis implevit, ut *Jeremiam, Baptistam* etc. *Jerem. I. Luc. I.*

Diximus autem: *excepta fide, et spe*: quia hae virtutes, ut suo loco dicemus, simul cum lumine gloriae, quo Christus fruebatur, esse non possunt. Item poenitentia, cum ad peccatum referatur, cujus Christus non erat capax, in eo proprie esse non poterat.

Dices. Christus gloriam corporis, et exaltationem sui nominis sperabat. Ergo etiam spes in illo erat.

℟. *Dist. ant.* Sperabat, sive expectabat, ut rem certo futuram, *conc.* Sperabat Spe Theologica, *neg.* Objectum enim spei primarium est Deus per visionem beatam possidendus; cum ergo Christus ea visione jam frueretur, non erat quid speraret, *nam quod videt quis, quid sperat? Rom. VIII.* 24. Ablato autem *primario* virtutis *objecto*, ipsa aufertur virtus. Resurrectionem ergo, et gloriam sui nominis certissime expectabat; sicut beati sine spe, sed ex virtute charitatis corporum suorum resurrectionem expectant.

Q. I.

Q. I. *Quomodo gratia Christi dividitur?*

℟. Dividitur 1.° in *substantialem*, *et accidentalem*. *Substantialis* est ipsa humanae naturae unio cum Verbo, per quam Christus homo est Deus, ideoque sanctus, etc. *Accidentalis* vero est ipsa plenitudo gratiarum, quae naturae illi divinitus tributae sunt.

Dividitur 2.° gratia *accidentalis* in gratiam Christi, ut persona singularis est, et prout est caput hominum, de cujus scilicet plenitudine omnes accipiunt; sicut ex capite in totum corpus spiritus vitae diffunditur. Non est quidem diversae speciei utraque haec gratia; sicut aqua fontis non est ab aqua rivi inde decurrentis diversa; sed eadem gratia pro diversa ratione, qua vel ad sanctificandam illam singularem naturam refertur, vel ad sanctificandos ex ejus merito omnes homines, vel gratia hominis singularis dicitur, vel gratia capitis.

Dividitur 3.° gratia Christi, prout est homo singularis, in gratiam gratis datam habitualem, actualem, virtutes infusas, et bona Spiritus Sancti.

Q. II. *Utrum proprium Christi sit habere plenitudinem gratiarum?*

℟. Si plenitudo ad ipsam gratiam referatur, ut scilicet tanta sit quanta major esse non possit ex ordinaria Dei potentia, habere hanc plenitudinem, proprium Christi est. Si vero plenitudo referatur ad *subjectum*, ut scilicet tantam habeat gratiam, quantam pro ratione sui status accipere potest, etiam de aliis sanctis dicitur in Scripturis, eos gratia fuisse plenos. Sic Stephanus *Act. VI.* 8. *plenus* fuisse dicitur *gratia, et fortitudine*. Joannes Baptista *Luc. I.* 15. replendus esse dicitur Spiritu Sancto ex utero matris suae: et B. V. *gratiâ plena* salutatur ab Angelo *Luc. I.* 28. Non tamen eadem fuit plenitudo *Stephani*, ac *Praecursoris*; nec istius tanta fuit, quanta in Deipara, neque in hac tanta, quanta in unigenito Filio Dei, si plenitudo ad ipsam gratiam referatur: sicut non eadem vasis, rivuli, fluminis, ac maris plenitudo est.

Q. III *Gratia Christi potest ne dici infinita?*

℟. Non potest dici *physice*, sive *intensive*, ut ajunt, infinita, sicut cum paucis sentit Maldonatus *in cap. II. Luc.* 42., cum Deus illam extraordinaria potentia

tia possit augere. Sed dici potest infinita *moraliter*; quia ex potentia ordinaria non potest Deus alicui majorem tribuere gratiam, quam Unigenito Filio suo largitus sit.

Q. IV. *Utrum dogma fidei sit, Christum habituali gratia, aliisque supra dictis fuisse exornatum?*

℟. Esse quidem communem Catholicorum doctrinam Scripturae, et Patrum auctoritate suffultam; non esse tamen dogma fidei, nisi quod diximus de donis Spiritus Sancti, quae Scriptura aperte tradit in Christo permansisse.

Q. V. *Cuinam usui futura erat in Christo illa gratiae accidentalis plenitudo, cum ipse esset sanctus ex hypostatica unione cum Verbo?*

℟. 1.° Putat Vasquez *in* 3. *P. disp. XLI. cap.* 3. *et* 5. gratiarum plenitudinem non fuisse necessariam ad sanctificandam Christi animam, quae jam per *substantialem* gratiam sancta erat; sed tantum ut esset in eo principium efficiendi supernaturales actus modo humanae naturae convenienti.

℟. 2.° Theologi communiter docent, necessariam fuisse gratiam accidentalem in anima Christi duabus ex causis; tum ut illa sanctificaretur eo modo, quo membra capiti possent esse similia; tum ut actus supernaturales efficeret eo modo, ac ratione quae humanae naturae congrueret. Vide ista fuse, et subtiliter pertractata apud *Gonetum*, *Petavium*, *Tommassinum*. Nos enim haec parcius sumus prosecuti; tum ne brevitatis institutae limites praetergrederemur; tum quia, nondum explicato Tractatu de gratia, multa scitu necessaria tironibus solent negotium facessere.

§. V.

Utrum Christus per passionem, aliaque opera naturae humanae meruerit.

Adv. Quoniam adversus Eutychianos ostendimus in Christo passiones, atque operationes duas, et voluntates, divinam et humanam; Christum passione, aliisque operibus meruisse, fide divina certum est. Sed utrum

prae-

meruerit a primo conceptionis momento, et post mortem, *ex. gr.* per vulnus lateri ejus jam mortui inflictum; item, utrum meruerit per actus charitatis, qua Deum, utpote beatus, necessario diligebat; denique utrum meruerit sibi, vel saltem mereri potuerit gloriam *essentialem*, quae in visione Dei sita est, atque etiam gratiam *habitualem*, salva fide, in Scholis catholicis disputatur.

PROPOSITIO I.

Dogma fidei est, Christum per passionem, aliaque opera sua bona meruisse.

Prob. I. *ex Scriptura*, quae innmera hujus doctrinae testimonia suppeditat. *Is. LIII.* 11. *Pro eo quod laboravit; videbit, et satiabitur* . . . hoc est, ut explicat *Hieronymus*: *videbit ecclesias in toto orbe consurgere, et earum saturabitur fide.* Philipp. II. 8. *Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod et Deus exaltavit illum etc.* Heb. V. 9. *Factus est omnibus obtemperantibus sibi causa salutis aeternae.* Ergo etc.

Prob. II. ex perpetua Ecclesiae traditione, atque consensu, quae orationes omnes suas per Christum Dominum, seu per merita Christi ad Deum dirigit. Hinc Concilium Trid. *Sess. VI. cap.* 7. hanc universalis Ecclesiae fidem declarans, ait, Christum sua passione *causam meritoriam* fuisse nostrae justificationis: Et *can. X. et XXVI.* contrarium sentientibus anathema dicit. Ergo.

Prob. III. *ratione.* Conditiones ad meritum requisitae ad tria summa capita revocari possunt, ut suo loco dicemus. 1.° Ut persona sit Deo grata, scilicet sanctificante gratia praedita, et *in statu viae*. 2.° Ut opus sit supernaturaliter bonum, ac liberum. 3.° Ut adjunctam habeat Dei promissionem. Haec tria in Christi passione, aliisque operibus non desunt. Persona enim Deo erat gratissima. Opera autem ejus supernaturaliter bona erant; unde ait ipse Christus: *Ego, quae placita sunt ei* (nempe Patri) *facio semper Joan. VIII.* 29.; imo et libera, *oblatus est enim, quia ipse voluit*;

luit: *Is. LIII.* 7. Et *Joan. X.* 18. *Nemo tollit animam meam a me: sed ego pono eam a me ipso: et potestatem habeo ponendi eam, et potestatem habeo iterum sumendi eam.* Denique praecessit etiam Dei promissio. *Is. LIII.* 10. *Si posuerit pro peccato animam suam videbit semen longaevum; et voluntas Domini in manu ejus dirigetur.* Ergo.

Solvuntur Objecta.

Objic. I. Christus a primo suae conceptionis momento fuit *comprehensor*, hoc est lumine gloriae perfusus. Atqui beati mereri amplius non possunt. Ergo nec Christus.

℟. *Dist. maj.* Fuit comprehensor simul et viator, *conc.* Comprehensor tantum, *neg.* Cum ergo Deus terminum meriti posuerit finem hujus vitae mortalis, Christus profecto, qui in corpore, aliisque potentiis animae passibilis erat ante mortem, meriti quoque capax erat.

Objic. II. Ubi non est libertas, nec meritum esse potest. *Ubi necessitas*, inquit Hieronymus *Lib. II. cont. Jovin.*, *nec corona, nec damnatio. Nemo vituperatione, suppliciove dignus est, qui id non facit, quod facere non potest*, inquit Augustinus *Lib. de duabus animabus, cap. XI.* Et Summi Pontifices *Innoc. X.* et *Alex. VII.* eam propositionem *num. III.* inter quinque famosas damnarunt: *Ad merendum et demerendum in statu naturae lapsae non requiritur libertas a necessitate, sed sufficit libertas a coactione.* Atqui Christus in subeunda morte, aliisque bonis operibus faciendis liber non fuit; mandatum enim accepit a Patre, ut ipsemet testatur *Joan. X.* 18. *Hoc mandatum accepi a Patre meo:* et *Joan. XIV.* 31. *Sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio.* Et *Joan. VIII.* 28. *A meipso facio nihil*; quod mandatum transgredi non poterat, cum peccati nullo modo capax esset, ut supra ostendimus. Ergo nullum in eo meritum.

℟. 10. *Neg. min.* Cum enim haec duo constent fide divina, 1°. Christum revera meruisse; 2.° ad meritum requiri libertatem arbitrii, certissime tenendum est, mandatum, quod Christus a Patre accepit, tale fuisse

 ut

ut etiam posita ejus omnimoda peccandi impotentia, non perimeret arbitrii libertatem, licet explicare nesciamus nec cujus naturae fuerit arcanum illud, et mysterii plenum mandatum, nec modum, quo cum ejus libertate conciliari debeat. Haec responsio difficultatem omnino destruit, et novis ratiocinationibus praecludit aditum.

R. 2.° Ad explicandum quomodo cum Christi *impeccantia* stare possit necessaria ad meritum libertas, varias Theologi inire vias, quarum unaquaeque suas habet ambages, quae non facile extricari possunt.

1o. *Petavius* nodum secat, affirmans, nihil fuisse Christo a Patre praeceptum; sed omnia sua sponte elegisse; quae opinio Scripturarum, et Patrum auctoritati non cohaeret. Apostolus enim ait, Christum factum fuisse *obedientem usque ad mortem crucis*: quae obedientia praeceptum evidenter ostendit; atque idem manifestum est ex aliis Scripturae, et Patrum locis, quae longa serie recenset *Thomassinus*.

2.° *Vasquez*, aliique concedunt, Christo praeceptum fuisse a Patre de morte subeunda, aliisque ad hominum redemtionem faciendis; sed praeceptum illud spectare tantum *substantiam* operis, non vero circumstantias loci, temporis, finis, denique actus magis, minusque intensi; ita ut in iis circumstantiis eligendis Christus liber fuerit. Sed haec etiam sententia sacris literis non videtur consentanea, quae singulas mortis Christi circumstantias a Deo definitas, atque a Prophetis praedictas ostendunt. Ait enim Petrus *Act. IV. 27. Convenerunt in civitate ista adversus Sanctum, puerum tuum Jesum, quem unxisti, Herodes, et Pontius Pilatus cum gentibus, et populis Israel facere, quae manus tua, et consilium tuum decreverunt fieri.* Ipsa hora mortis definita erat. *Joan. XIII. 1. Sciens Jesus, quia venit hora ejus.* Et alibi: *nondum venerat hora ejus. Haec est hora vestra; propterea veni in horam hanc etc.* Idem etiam Patres docent. Adde quod in hac hypothesi Christus meruisset tantum in electione circumstantiarum, non vero in ipsa morte: quod absurdum est.

3.° *Cardinalis de Lugo* putat, Christo praeceptam a Patre mortem cum facultate petendi *dispensationem*, si vellet,

vellet, quam tamen libere noluit petere. Atque in eum sensum intelligit quod dicitur *Matth. XXVI.* 53. *An putas, quia non possum rogare Patrem meum, et exhibebit mihi modo plusquam duodecim legiones Angelorum?* non advertens quod sequitur: *Quomodo ergo implebuntur Scripturae, quia sic oportet fieri?* quae verba satis ostendunt, potuisse quidem Christum a Patre rogare Angelorum opem, si hoc esset voluntati Patris consentaneum, et oraculis prophetarum. Sed revera non fuisse consentaneum.

4.° *Ludovicus Habert*, aliique fatentur, Christum non fuisse liberum *libertate contrarietatis*, quae efficiendi bonum, et malum facultas est; potentia enim peccandi defectus, et impotentia libertatis est, nec requiritur ad meritum; sed contendunt, fuisse in Christo libertatem *contradictionis*, non quidem *quoad specificationem*, cum omnia a Patre praecepta essent, nec possent sine peccato praetermitti, sed *quoad exercitium*, seu quoad modum obediendi praecepto; quia scilicet sponte Christus inimicis suis ivit obviam, a quibus se sciebat, occidendum. Quae quidem exercitii libertas ad meritum, et demeritum sufficit; ut patet exemplo *S. Apolloniae* apud Dionysium Alex. *Epist. ad Fab. Antioch. ap. Euseb.*, et rei suspendio damnati, qui carnificem praeveniendo seipsum de scala dejiceret. Haec explicatio recidit in sententiam *Vasquesii*, de qua supra diximus.

5.° Sunt qui putent, in eo constare Christi libertatem, quod ita animo comparatus fuerit, ut mortem pro hominibus oppeteret, etiamsi hoc ei non fuisset a Patre mandatum. Sed meritum non est in animi dispositione, sed in opere. Opus autem erat praeceptum, neque omitti sine peccato poterat.

6.° *Contensonus* cum pluribus Thomistis docet, numquam necessitatem inferre potuisse voluntati Christi praeceptum illud, cujus *objectum*, mors scilicet Crucis, non erat necessarium, cum alia ratione Deus salvos facere homines potuisset. Voluntas enim non potest ferri necessario nisi in bonum, quod ab intellectu necessarium esse cognoscitur, quale est beatitudo, vel bonum in genere. Cum ergo mors in se ipsa bonum necessarium non esset, non poterat a voluntate Christi necessario

appeti. Sed cum Christus mortem consideraret, non ut erat in seipsa, sed ut erat a Patre praecepta, non satis intelligitur, quo pacto in hac sententia Christi libertas constare possit.

Praeterea in omnibus his sententiis illud est commune incommodum, quod quaecumque eligatur, explicabitur quidem aliquo pacto Christi libertas in exequendis Dei praeceptis *positivis*, sed in observatione legis naturalis, praesertim de dilectione Dei, et proximi, quae lex necessaria est, nullaque dispensatione tolli potest, Christi libertas, et meritum nullo modo explicabitur.

7.° *Ludovicus Thomassinus* censet, Christum non fuisse liberum libertate *indifferentiae*, sed solum libertate a coactione, quia sponte, et summa cum delectatione, ac dilectione praecepta Patris observabat: et nihilominus meruisse; quia ad merendum, et demerendum necessaria quidem est libertas a necessitate, seu libertas *indifferentiae*, sed in *statu naturae lapsae*; Christus autem in statu naturae lapsae non erat. Haec tamen explicatio suis etiam urgetur difficultatibus sane non mediocribus, praesertim generali illa Hieronymi, aliorumque Patrum sententia: *ubi necessitas, nec corona, nec damnatio.*

8.° Nostra sententia non quidem nova, sed paullo aliter explicata huc redit: cum in Christo una persona sit volens, atque operans per voluntates duas, atque operationes, tanta est inter utramque voluntatem concordia, ut voluntas humana non sit capax legis propriae dictae: si enim Apostolus *I. Tim. I.* 9. de quocumque homine justo in tanta infirmitate vitae hujus dicere non dubitat, *Lex justo non est posita, sed injustis . . . et peccatoribus*; multo magis id de Christo sentiendum est, in quo unus et idem Dei filius vult idem objectum voluntate divina, quae non distinguitur a voluntate Patris, et voluntate humana. Sicut ergo objectum illud libere vult voluntate divina, quia non est necessarium; ita libere vult voluntate humana; tum quia objectum illud necessarium non est; tum quia idem Verbum movet voluntatem humanam modo ipsius naturae congruo, hoc est libere. Sed quia voluntas divina major, et prior, et domina est, ideo improprie dicitur *lex praeceptum*, *mandatum*.

PRO-

PROPOSITIO II.

Christus non solum per exteriora opera, sed etiam per interiores charitatis actus meruit.

Prob. I. contra Vasquez *Disp. LXXIV. cap.* 3. Omnis exterior actus eatenus tantum bonus est, et praemium meretur aeternum, quatenus a charitate imperatur. Si ergo charitatis actus in Christo vim merendi externis actibus tribuebat, multo magis ipse merebatur; nam ex communi Philosophorum effato: *propter quod unumquodque tale, et illud magis per se.* Hinc S. Thomas 1a. 2ae *Q. CXIV. art.* 4. docet, meritum per se primo reperiri in actu charitatis, in actibus vero aliorum virtutum, quatenus pendent, et moventur a charitate. Ergo.

Dices. Christus necessario Deum diligebat; utpote beatus: imo ex nostra sententia, quae paulo ante explicata est *num.* 8.°, si voluntas humana Christi libera erat, quia consentanea voluntati Verbi, quae objecta non necessaria libere eligit; sequitur, illa objecta, quae necessario diliguntur a Verbo, necessario etiam diligi a voluntate Christi humana; ac proinde, sicut Deus non libere diligit seipsum, ita nec humana voluntas Christi libere diligebat Deum. Ergo etc.

℟. *Dist. ant.* Necessario Deum diligebat, quatenus illustrabatur scientia beata, *conc.* Scientia infusa, *neg.* Amor ergo ille, qui oriebatur in Christo ex visione Dei, non liber, nec meriti capax erat; sed quia praeter beatam, scientiam, habuit etiam infusam, profecto amor ex hac scientia excitatus liber fuit. Et quamvis disputetur inter Theologos, utrum agnosci debeat in Christo duplex charitatis actus, alter ex scientia beata, alter ex infusa, imo quamvis charitas beatorum non sit alterius speciei a charitate viatorum: tamen si unus idemque actus charitatis ponatur in Christo, cum ille e duobus principiis oriatur, erit *virtualiter* ut ajunt, duplex.

Ad. 2m. *Neg. sequel. ant.* Diximus enim, voluntatem Christi humanam in exterioribus actibus fuisse liberam; duabus ex caussis; tum quia consentanea erat voluntati

Verbi

Verbi, quae actus illos libere elegit, tum quia idem Verbum movebat humanam voluntatem modo ipsius naturae congruo. Cum igitur haec sit conditio voluntatis illustratae scientia beata, et infusa, viatoribus congrua, ut Deum necessario, et libere amet, non quidem libertate *contrarietatis*, sed libertate *specificationis*, et *exercitii*, quatenus ab una, vel altera scientia regitur, hoc modo Verbum voluntatem humanam ad amandum Deum incitabat, et movebat.

PROPOSITIO III.

Christus meruit a primo conceptionis momento usque ad ultimum vitae terminum.

Prob. 1a. *pars* contra *Alensem*, *Durandum*, *Bonaventuram*, qui contrariam sententiam probabiliorem putant. Apostolus *Heb. X.* 5. ait, Christum in ipso momento, quo Verbum humanam naturam assumsit, perfecte seipsum Patri hostiam obtulisse, suo tempore mactandam. *Ideo ingrediens mundum dicit: hostiam, et oblationem noluisti; corpus autem aptasti mihi . . . tunc dixi: ecce venio: in capite libri scriptum est de me, ut faciam, Deus, voluntatem tuam . . . in qua voluntate sanctificati sumus per oblationem corporis Jesu Christi semel.* Ergo.

Prob. 2a. *pars*. 1.° Idem Apostolus *Heb. X.* 14. ait, Christum *una oblatione*, quae in cruce facta est, *consummasse in sempiternum sanctificatos*, hoc est opus redemtionis perfecisse. Hoc autem falsum esset, si adhuc post mortem alia promeritus fuisset. Ergo. 2.° Finis vitae generatim a Deo statutus est, ut meritorum meta; sicut ipse Christus de se ait *Joan. X.* 4. *Me oportet operari opera ejus, qui misit me, donec dies est: venit nox, quando nemo potest operari*: quae verba SS. Patres intelligunt de meritis bonorum operum, quae tantum in hac vita, non vero post mortem comparari possunt. Ergo etc.

Dices. cont. 1m. *part.* Actus deliberatus, qualis est ad meritum necessarius, supponit, prius extitisse intellectionem, et amorem finis, inquisitionem *mediorum*, consilium

de

de iisdem mediis eligendis. Ergo fieri non potest in ipso momento, quo humana natura esse incipit. Ergo etc.

℟. *Dist. ant.* Et hi actus requirunt tantummodo successionem naturae, et ordinis, *conc.* Successionem temporis, ita ut non possint esse simul; *subdist.* In natura, quae non est a primo instanti praedita omnimoda scientia speculatrice, et *practica*, *conc.* In natura humana Christi, *neg.* Fatemur ergo, rationalem naturam creatam aliqua temporis successione indigere, ut libere agat, si non habeat a primo momento scientiam omnem, quae ad actum necessaria est; sed non talis erat humana Christi naturá; unde in actu deliberato Christi a primo conceptionis momento fuerunt simul intellectio, atque amor finis; et consilium de mediis eligendis, quorum unum altero prius fuit natura, et ordine, non tempore.

Dices. cont. 2m. *part.* Patres docent, vulnus illud, quod Christi jam mortui lateri inflictum est, nobis fuisse salubre, indeque sacramenta Ecclesiae manavisse, imo ipsam Ecclesiam e Christi mortui latere formatam; sicut ex Adam dormientis latere formata est Heva. Praeterea Apostolus *Heb. VII.* 25. et *Rom. VIII.* 34. ait, Christum etiam nunc interpellare pro nobis Patrem: in ipsa autem oratione meritum inesse aliquod, ex *Augustini* principiis perspicuum est; ait enim *Epist. XCIV. al CV. Neque remissio peccatorum sine aliquo merito est, si fides hanc impetrat.* Ergo etiam post mortem Christus meritus est, et meretur.

℟. *Neg. cons.* Quod enim pertinet ad vulnus, quo latus Christi apertum est, non fuit in illo meritum, sed figura quaedam ostendens, sacramenta, et Ecclesiam ex merito mortis Christi esse constituta: atque id sibi volunt Patres. Meruit tamen praemium ea voluntas, qua Christus, antequam moreretur, hanc sibi injuriam inferendam libere voluit. Quod vero ad orationem attinet, non est in ea meritum proprie dictum, sed applicatio tantum ejus meriti, quod in passione comparatum est. *Augustinus* autem vel intelligendus est de merito sensu latiori; vel considerat fidem, et orationem, tamquam opus aliquod bonum, quod non secus, ac alia bona opera peccatorem adhuc in statu viae positum ad justificationem disponit, illamque *de congruo* meretur.

PROPOSITIO IV.

Christus nec unionem hypostaticam, nec visionem Dei, nec gratiam habitualem, aliasque a primo conceptionis momento sibi donatas, ullo modo meruit, nec mereri potuit.

Prob. *prop*. quae quatenus affirmat, non meruisse Christum unionem hypostaticam, est dogma fidei; quoad alias vero gratias *accidentales* impugnatur ab *Altissiodorensi Lib. I. Tract. I. cap*. 7. paucisq. aliis Theologis. Quod est principium, et causa omnis meriti, id omnino ex merito comparari non potest, ut fert commune Theologorum axioma; quia caussa non potest posterior esse, et produci a suo effectu. Sed unio hypostatica, quae necessario etiam visionem Dei postulabat, aliasque gratias *accidentales*, quibus anima Christi ornata fuit a primo conceptionis momento, fuerunt in eo principium, et causa omnis meriti. Ergo.

PROPOSITIO V.

Christus sibi meruit gloriam corporis, et nominis sui exaltationem. Est dogma fidei.

Prob. contra Calvinum *Lib. II. Instit. cap*. 17. §. 6. ex Scriptura. *Luc. LXIV*. 26. *Nonne haec oportuit Christum pati, et ita intrare in gloriam suam?* Et Apostolus *Heb. II*. 9. *Videmus*, inquit; *Jesum propter passionem mortis, gloria, et honore coronatum*. Et *Philip. II*. 8. *Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod et Deus exaltavit illum, et donavit illi nomen, quod est super omne nomen: ut in nomine Jesu omne genu flectatur caelestium, terrestrium, et infernorum*. Ad rem Augustinus *Tract. CIV. in Joan. Humilitas*, inquit, *claritatis est meritum, claritas humilitatis est praemium*. Risu autem excipienda est *Calvini* evasio, qui verba illa; *propter quod*, quae aperte meritum signifi-

cant

cant, explicat de ordine temporis, quasi dicas: *post quod*. Ergo.

Dices. Scriptura in eo commendat charitatem Christi, quod totum se pro nobis impenderit. Ergo nihil meruit sibi, ne propriam potius gloriam, quam hominum salutem quaesisse videatur.

℞. *Neg. cons.* Tum quia in eo maxime eluxit ejus charitas, quod gloriam, quae ipsi jam tamquam filio Dei debebatur, habere noluit, nisi per mortem, quam primario pro nobis sustinuit; tum quia gloria capitis in totius corporis gloriam redundat; Christiq. exaltatio, nostra etiam exaltatio est, et nostrum bonum.

PROPOSITIO IV.

Christus meruit hominibus vitam aeternam, et omnes gratias, per quas illam consequi possent. Angelis vero nec gratiam, nec gloriam essentialem, sed accidentalem tantum.

***Prob.* 1a. *pars*, quae est dogma fidei, I. generatim ex illo Joannis *cap. I.* 16.** *De plenitudine ejus nos omnes accepimus*; et Apostoli *Ephes. I.* 3. *Benedixit nos in omni benedictione spirituali in caelestibus in Christo. Spirituali*, inquit; temporalia enim bona, quae saepe ob infirmitatem nostram impedimento nobis sunt ad salutem; eatenus nobis promeruit, nosque ab illo, et per illum in necessitatibus nostris postulare possumus, quatenus ex Dei ordinatione, possunt nobis esse salutis aeternae instrumenta. Et idem Apostolus comparans Christum Adamo *Rom. V.* 18. *sicut*, inquit, *per unius delictum in omnes homines in condemnationem: sic et per unius justitiam in omnes homines in justificationem vitae.*

Prob. II. Sigillatim. De vita aeterna ait Apostolus *Rom. VI.* 23. *Gratia Dei vita aeterna in Christo Jesu Domino nostro*. De praedestinatione, quae est omnium gratiarum radix *Ephes. I.* 5. *Qui praedestinavit nos in adoptionem filiorum per Jesum Christum*. De vocatione, quae est primus praedestinationis effectus *II. Tim. I.* 9. *Vocavit* (nos) *vocatione sua sancta ... quae data est*

est nobis in Christo. De justificatione *I. Joan. I.* 7. *Sanguis Jesu Christi, Filii ejus, emundat nos ab omni peccato.* De omnibus denique operibus vitam aeternam merentibus *Joan. XV.* 5. *Qui manet in me, et ego in eo hic fert fructum multum: quia sine me nihil potestis facere.* Ergo etc. Eadem est omnium Patrum, et Conciliorum doctrina.

Haec autem intelligenda sunt etiam de iis hominibus, qui Christi adventum praecesserunt. Generalis enim Apostoli sententia est *Rom. V.* quod sicut ex uno homine Adam in omnes homines manavit peccatum; et mors, ita per unum Christum in omnes homines gratia, et vita aeterna; unde et Petrus *Act. IV.* 12. ait: *Non est in alio aliquos salus. Nec enim aliud nomen est sub caelo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri.*

Prob. 2a. *pars.* Gratia Angelis, sicut et primo homini ante lapsum data est beneficio Creatoris, non merito Redemtoris; ideoque Augustinus de Adamo ante lapsum loquens *Lib. de Cor. et grat. cap.* 11. ait: *ille in illis bonis Christi morte non eguit*; tum quia ita decebat sapientiam Conditoris, ut naturae ad gloriam ordinatae gratiam largiretur; tum quia nullum erat malum, a quo redimendi, sive liberandi essent; tum denique quia si non peccasset homo, ut ostendemus inferius, Verbum Dei non esset caro factum. Ex gratia autem sibi tributa Angeli boni gloriam meruerunt.

Quod autem *accidentales* gratias, quae consectaria quaedam incarnationis sunt, Christus Angelis meruerit, patet ex Apostolo *Ephes. III.* 10. ubi ait: *Ut innotescat per Ecclesiam principatibus, et potestatibus in caelestibus multiformis sapientia Dei*: et ex Evangelio habemus *Luc. XV.* 10. *gaudium esse coram Angelis Dei super uno peccatore poenitentiam agente*; ac proinde multo majus ipsis erit gaudium de universae Ecclesiae vocatione, sanctificatione, et gloria.

PRO-

RROPOSITIO VII.

Opera Christi meritum in se habuerunt infinitum.

Prob. contra Scotistas. Ratio mertiti aestimatur ex sanctitate, et dignitate operantis. Atqui Christus dignitatem habuit infinitam ex persona Verbi; et ipsa Christi humana natura, ex unione hypostatica sanctitatem habuit *substantialem*, quae infinita est. Ergo. Hinc Clemens VI *Extrav. Unigenitus, de Poenit. et Remis.* ait de Ecclesiae thesauro: *De cujus consumtione, aut diminutione non est aliquatenus formidandum; propter infinita merita Christi.* Ergo.

Dices 1.° Operibus Christi non est a Deo redditum praemium infinitum: imo nec reddi poterat; quia repugnat, esse aliquid creatum simpliciter infinitum. Ergo Christi merita non fuerunt simpliciter infinita; alioquin dicendum esset, Deum aut noluisse, aut non potuisse operibus Christi aequale praemium retribuere, quorum primum injustitiae est, alterum infirmitatis.

℟. *Neg. ant.* Praemium enim Christo redditum est, ut non solum ipse exaltaretur super omne nomen, sive super creaturas omnes quotcumque, et quantaecumque ponantur aliae aliis majores usque in infinitum; sed etiam ut per eum salvae fieri possent quaecumque, et quantocumque numero cogitentur rationales creaturae; ita ut si infiniti essent mundi, infinitaeque in eis creaturae, per Christum salvae fieri possent, si ipse vellet. Quod autem revera tot creaturae non fiant salvae, non pendet id quidem ex defectu meritorum Christi quasi non sufficiant ad plures servandos; sed a voluntaria, et libera meritorum ejus applicatione, et dispositione ipsarum creaturarum, quae recipiendi infinitum effectum meritorum Christi capaces non sunt.

Dices. 2.° Christus vel meruit ut Deus, vel ut homo. Non poterat mereri ut Deus, quod patet. Meruit ergo ut homo; atqui ut homo gratiam sanctificantem, et dignitatem non habuit infinitam. Ergo.

℟. Christum meruisse ut hominem in persona divina subsistentem, a qua persona sanctitatem *substantialem* ha-

habebat infinitam, et infinitam dignitatem, ideoque meritum infinitum.

§. IV.

Expediuntur nonnullae quaestiones, quae ex duplici Christi natura oriuntur.

Q. I. *Utrum Christus dici debeat unum, vel duo?*

℟. 1.° Extra controversiam Christus unus est, non duo, cum una in eo persona sit. Sed cum natura duplex sit, ambiguum videri poterat, an Christus dicendus fit *unum quid*, vel duo *neutro genere*; genus enim neutrum naturam designat. Accedunt nonnulla Patrum loca, quae rem faciunt impeditam. Augustinus enim *Lib. I. de Trin. cap. 7. et 10. et alibi* ait, Christum esse *aliud propter Verbum, et aliud propter hominem, et aliud esse Filium Dei, aliud filium hominis*: quibus similia scribit Hilarius *Lib. IX de Trin.*

℟. 2.° Christum etiam *neutro genere* dicendum esse *unum*, non *duo*; licet in eo duae sint naturae. Natura enim creata non praedicatur de persona; quia non dicitur Petrus est natura humana; sed Petrus est homo. Ergo non potest affirmari, Christum esse duo quaedam; sensus enim esset: Christum esse duas naturas: quae propositio non explicans unitatem personae, in pravum sensum trahi posset. Vide S. Thomam 3. *P. Q. XVII. art.* 1. Patrum ergo sententiae, quae in contrarium objiciuntur, *impropriae sunt*, inquit Estius *in III. Dist. VI.* §.3., *et commodam postulant interpretationem. Sensus enim est, in Christo esse, vel Christum in se habere aliud, atque aliud; idest aliam atque aliam naturam.*

Q. II. *An persona Christi dici debeat composita?*

℟. Plerosque Scholasticorum principes, ut *Bonaventuram*, *Scotum*, aliosque, non satis hanc loquendi rationem probare. Compositum enim dicitur totum ex pluribus constans partibus. At persona Christi est ipsum Dei Verbum simplicissimum, quod in alterius compositionem per modum partis venire nequit.

At contra Patres saepe sine ulla ambiguitate personam

nam Christi dicunt esse compositam. Sic Damascenus *Lib. III. de Fide cap. 4. In Domino nostro*, inquit, *Jesu unam hypostasim ex utraque compositam*: cui concinit ipse Augustinus *Lib. XIII. de Trin. cap. 17. et Tract. XLIX. in Joan.*, Athanasius *Lib. Quod unus sit Christus*, et alii. Quare S. Thomas 3. *P. Q. II. art. 4.* hanc locutionem probat, et explicat eo sensu, quod licet persona Verbi post incarnationem simplicissima sit, ut erat ab aeterno, nec habere possit rationem partis; tamen est composita non quidem ex natura divina, et humana, sed cum natura humana: unde dicitur haec compositio *cum his*, non *ex his*.

Q. III. *Utrum vera sit haec propositio*: *Natura divina naturam humanam assumsit, vel incarnata est?*

R. Hanc propositionem probat SS. Patrum auctoritas. Ait enim Fulgentius *Lib. de Fide ad Pet. cap. 2. Illa natura, quae semper genita manet ex Patre, suscepit naturam nostram sine peccato ex matre.* Idem etiam habet Cyrillus *in Epist. ad Successum*, *et alibi apud Conc. Chalced. Act.* 1. Similia alii docent. Cum enim divina Verbi natura non distinguatur reipsa a persona: sicut persona Verbi, ita et natura dici potest incarnata, hoc est natura divina subsistens in persona Verbi carnem assumsit.

Cave tamen dicas: *natura divina facta est caro, vel homo.* Sensus enim hujus propositionis est, naturam divinam in carnem, vel in naturam humanam esse conversam: quod sine dubio falsum est, et haereticum.

Q. IV. *Utrum orthodoxa sit haec propositio*: *Unus de Trinitate passus est.*

℟. 1.° Cum Eutychiani *Theopaschitae*, duce *Petro Fullone*, ipsam Divinitatem passam esse blasphemarent Monachi quidam Scythae, qui hanc propositionem, *Unus de Trinitate passus est*, tuebantur, imo et addendam esse contendebant professioni fidei, eamque ob causam Romam venerant ad S. Pontificem, in suspicionem adducti Eutychianae haereseos, et ab *Hormisda* rejecti sunt, ut constat ex ejusdem Pontificis *Epistola ad Possessorem.* Sed cum hinc Nestoriani quidam Monachi *Acoemetae* inferrent, Romanam sedem non agnoscere unam in Christo personam, *Joannes II.* ab *Justiniano* Imperatore com-

commonefactus anno DXXXIII. eam propositionem, *unus de Trinitate passus est carne*, approbavit, *Epist. ad Senatores*: Imo eandem, ut catoholicam sanxit V. Synodus *Can. X. Si quis non confitetur, Dominum nostrum Jesum Christum, qui crucifixus est carne, Deum esse verum, et Dominum gloriae, et unum de S. Trinitate, talis anathema sit.* Magnas itaque haec propositio turbas saec. VI. in Ecclesia excitavit.

℟. 2.° Propositionem illam esse orthodoxam. Cum enim *Unus de Trinitate* personam, non naturam designet, sensus est, secundam Trinitatis personam incarnatam, et passam esse. Sed ad vitandam Eutychianae haereseos suspicionem, addendum est: *secundum carnem.*

3.° De fide Scytharum Monachorum, qui ab *Hormisda* rejecti sunt, variam esse eruditorum sententiam. Illos Eutychianae haereseos accusant *Baronius*, et *Bellarminus*. At Catholicos pronunciant *Petavius*, *Natalis Alex.*, *Vasquez*, *Norisius* (*a*), alique a *Norisio* ipso laudati: quae sententia verisimilior est; tum quia *Hormisdas* in Epistola ad *Possessorem* non eos damnat haereseos, sed temerariae novitatis, contumaciae, et superbiae; tumquia ipsi Synodum Chalcedonensem sucipiebant, nec aliter asserebant, Unum de Trinitate passum, nisi addendo: *secundum carnem.* Vide *Norisium* in Erudito Libello de hac propositione.

CAP-

(a) Petavius *Lib. V. cap.* 2., Natalis Alex. *Dissert. II. saec. VI.*, Vasquez *in* 3. *P. Disp. XV. cap.* 3.

C A P. IX.

Confutatur haeresis Socinianorum de satisfactione, redemtione, ac mediatione Christi.

NUnc expeditis iis, quae ad duplicem Christi naturam unamque personam divinam pertinebant, quarta jam haereticorum classis, ut principio proposuimus refutanda est. Omnes quidem veteres haeretici, qui Christum merum hominem fuisse autumabant, ex consequenti negabant, eum pro peccatis hominum Deo Patri satisfecisse. Sed omnium audacissimi Sociniani, veterum haereticorum pestes excitando, docuerunt 1.° Christum non vere satisfecisse justitiae Dei offerendo scilicet se ipsum vadem, atque sponsorem pro peccatis hominum; sed improprie, quatenus veniam nobis gratis obtinuit: 2.° non proprie homines redemisse, et salvos fecisse, persoluto pretio sui sanguinis, sed improprie; quia praedicatione, et exemplo eos ad Deum reduxit: 3.° nec proprie esse mediatorem, sed improprie, quatenus Deum pro hominibus orat, iisque vicissim divinam legem renunciat: 4.° non proprie pro hominibus mortuum esse, hoc est loco eorum tamquam victima piacularis, sed in eorum commodum; ut scilicet patientiae, et fortitudinis praeberet exemplum. Habentur haec apud Socinum tum in *Praelectionibus Theologicis*, tum in opere *de Christo Servatore*; Smalcium *Lib. de divin. Christi cap.* 11., Crellium (*Respons. ad Grotium*) aliosque Socinianos. Nihil ergo magis Christo tribuunt, quam Prophetis, et Martyribus tribui possit.

II. Adeo autem in hac haeresi *Faustus Socinus* obfirmatus est, ut scibere ausus sit *Lib. de Christo Servatore Part.* 3. *Ego quidem etiamsi non semel sed saepe id in sacris monumentis scriptum extaret* (nempe Christum vere pro nobis satisfecisse) *non idcirco tamen ita rem prorsus se habere crederem, ut vos opinamini.* Quae verba incredulum potius hominem, et Gentilem, quam haereticum produnt. Ejus autem systema non solum catholici, sed haeretici etiam scriptis exagitarunt, ut *Grotius*, *Vossius*, *Hoornbekius*, *Vitsius* aliique, licet *Gro-*

tius

tius postea lectione librorum *Crellii* labefactatus, in Socinianorum partes inclinare visus sit.

III. Calvinistae fatentur quidem contra Socinianos, Christum pro hominibus vere satisfecisse; contendunt tamen, non pro omnibus, sed pro solis praedestinatis pretium sanguinis Christi fuisse persolutum. In eandem sententiam concessit *Jansenius*; unde illa propositio ab *Innocentio X.* et *Alexandro* VII. damnata est: *Semipelagianum est dicere, Christum pro omnibus mortuum esse, aut sanguinem fudisse*; mortuus enim est tantum pro praedestinatis.

IV. Tandem Scholastici disputant, utrum satisfactio Christi fuerit ex justitia, an ex virtute alia: item utrum fuerit ad strictam, rigidamque justitiam exacta, et injuriae Dei aequivalens. Haec igitur omnia singillatim pertractanda sunt.

§. I.

PROPOSITIO

Christus vere, et proprie Deo pro peccatis hominum satisfecit, eosque redemit, persoluto pretio sui sanguinis in ara crucis, in qua, ut verus novae legis Pontifex, semetipsum obtulit pro nobis, hoc est vice nostra, sacrificium expiationis. Est fidei dogma.

Prob. I. *ex Script.* Ad veram, et propriam satisfactionem, et redemtionem tria omnino necessaria sunt: 1.° ut quis se vadem, ac sponsorem personae laesae offerat ad patiendum pro reo, ejusque oblationem persona laesa accipiat: 2.° ut revera pro reo, hoc est loco rei patiatur. 3.° ut ex hac sponsoris poena placata sit persona laesa, reoque reconciliata. Atqui haec tria esse in passione, et morte Christi, Scriptura demonstrat. Ergo.

Prob. min. 1.° Christus se obtulit Patri vadem, ac sponsorem ad perferendum pro hominibus supplicium ejusque oblationem Pater accepit. Nam *Isaiae LIII.* 7. *Oblatus est quia ipse voluit.* Et ab Apostolo *Heb. VII.* 22. dicitur Christus *sponsor melioris testamenti.* En Christi oblationem, quam a primo suae conceptionis; me-

momento factam esse ; docet idem Apostolus *Heb. X* 5. *Ingrediens in mundum dicit : hostiam , et oblationem noluisti : corpus autem aptasti mihi ... Tunc dixi ecce venio ... Deus meus volui , etc.* Eam autem oblationem Pater accepit. *Posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum ... et Dominus voluit conterere eum in infirmitate. Isaiae ibid. v.* 6.

2.° Christus revera pertulit pro reis supplicium. *Is. LIII.* 4. *Vere languores nostros ipse tulit , et dolores nostros ipse portavit ... vulneratus est propter iniquitates nostras , attritus est propter scelera nostra.* Et *I. Petri II.* 24. *Peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum : ut peccatis mortui , justitiae vivamus.*

4.° Hoc Christi supplicio placatus Deus, atque hominibus reconciliatus est : *Isaiae ibid. Disciplina pacis nostrae super eum , et livore ejus sanati sumus.* Et *I. Pet. ibid. Cujus livore sanati estis.* Ergo.

Prob. II. Ille vere , et proprie pro hominibus satis fecit , vereque eos redemit, qui non solum praedicatione , et exemplo, sed persoluto pretio eos emit a peccati , et poenae servitute. Atqui Christus , persoluto vere et proprie pretio , quod Graeci λυτρον, et αντιλυτρον dicunt, emit peccatores de peccati , et poenae servitute. *Matth. XX.* 28. *Filius hominis venit dare animam suam, redemptionem (λυτρον) pro multis.* Ephes. *I.* 7. *In quo habemus redemptionem (απολυτρωσιν) per sanguinem ejus, remissionem peccatorum.* I. Tim. II. 6. *Qui dedit redemptionem (αντιλυτρον) semetipsum pro omnibus* ; patet autem , praepositionem αντι in verbo αντιλυτρον manifeste permutationem rei pro pretio significare. *Galat. III.* 13. *Christus nos redemit (εξηγορασε mercatus est) de maledicto legis factus pro nobis maledictum,* hoc est , crucifixus. I. Cor. VI. 20. *Empti enim estis pretio magno.* I. Petri I. 18. *Scientes, quod non corruptibilibus auro, vel argento redempti estis de vana vestra conversatione paternae traditionis : sed pretioso sanguine quasi agni immaculati Christi , et incontaminati* : quibus verbis sane apertissimis docet Petrus , ita nos pretioso Christi sanguine redemtos esse ut solent redimi auro , et argento servi venales. Ergo.

Prob. III. Ille vere, et proprie pro hominibus, hoc est loco hominum mortuus est, qui verum, et proprium sacrificium Deo Patri obtulit, semetipsum scilicet suumque sanguinem; eoque sacrificio homines Deo reconciliavit. Atqui id egit Christus in cruce. Nam Apostolus *Heb.V.* 5. docet 1.° Christum esse Pontificem secundum ordinem Melchisedech ab ipso Deo electum. *Sic et Christus non semetipsum clarificavit, ut Pontifex fieret: sed qui locutus est ad eum: Filius meus es tu; ego hodie genui te. Quemadmodum et in alio loco dicit: Tu es sacerdos in aeternum, secundum ordinem Melchisedech.* Docet 2.° ex communi omnium gentium sensu, Sacerdotem institutum esse ad offerendum Deo sacrificium pro peccatis. Ibid.v.1. *Omnis namque Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in iis, quae sunt ad Deum, ut offerat dona, et sacrificia pro peccatis*, sacrificia inquam, in quibus victimae loco hominum nocentium caedebantur, unde *Levit.XVII.* 11. dicitur: *sanguis pro animae piaculo sit*: et *Lev.XVI.* 21. hirco emissario universa peccata populi imprecabatur Sacerdos. Hinc 3.° infert, etiam Christum, utpote Sacerdotem, habere debuisse victimam aliquam, quam pro peccato offerret. *Cap.VIII.*3. *Omnis Pontifex ad offerendum munera, et hostias constituitur: unde necesse est et hunc habere aliquid, quod offerat*, non quidem pro se, sed pro populo. *Heb.VIII.* 26.: *Talis enim decebat, ut nobis esset Pontifex, sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus, et excelsior caelis factus: qui non habet necessitatem quotidie, quemadmodum Sacerdotes, prius pro suis delictis hostias offerre, deinde pro populi.* 4.° Expendit quaenam piacularis victima pro peccatis populi tantum Pontificem et Dei majestatem deceret, ostenditque, non esse victimas legales, et terrenas. *Si ergo esset super terram, nec esset sacerdos: cum essent, qui offerrent secundum legem munera. qui exemplari, et umbrae deserviunt caelestium.* Sensus est: Si Christus offerre vellet legales victimas, non posset esse sacerdos; tum quia non ex tribu Levi ortus est; tum quia victimae illae umbrae erant, et figurae futuri sacrificii per Christum offerendi. Quapropter concludit 5.° *Cap. X.* 5. non aliam victimam decuisse Christum, quam seipsum

sum, ut esset simul Sacerdos, et victima, qua victima Deo reconciliati sumus. *Ideo ingrediens mundum dicit: Hostiam, et oblationem noluisti: corpus autem aptasti mihi: holocautomata pro peccato non tibi placuerunt. Tunc dixi: Ecce venio: in capite Libri scriptum est de me: ut faciam, Deus, voluntatem tuam ... in qua voluntate santificati sumus per oblationem Corporis Christi.* Nihil clarius, et solidius hoc Apostoli ratiocinio ad obstruenda ora Socinianorum. Ex eo enim patet, Christum vere in Cruce sacrificium piaculare obtulisse, quo homines Deo reconciliati sunt; unde dicitur etiam ab eodem Apostolo Christus *factus pro nobis peccatum II. Cor. V.* 21., idest hostia pro peccato: quo sensu etiam ait Oseas: *peccata populi mei comedent*; idest victimas pro peccato oblatas.

Prob. IV. ex omnibus locis, in quibus Christus mortuus dicitur pro nobis, pro omnibus, pro multis, et in Graeco textu habetur particula ἀντι, quae permutationem unius pro alio significat, ut demonstrat *Grotius* ex innumeris Scripturae locis (a).

Traditionem autem Socinianis objicere supervacaneum est, cum fateantur, eam sibi adversari: sed pro more suo contemnant. Juvat tamen aliquos ejus testes proferre. 1.° Tertullianus. *cont. Judaeos cap.* 13. *Christum,* inquit, *oportebat pro omnibus gentibus fieri sacrificium, qui tamquam ovis ad victimam ductus est.* 2.° Origenes *Hom. XXIV. in Num. Si non fuisset peccatum, non necesse fuerat, filium Dei agnum fieri . . . . . verum quoniam peccati necessitas propitiationem requirit; et propitiatio non fit, nisi per hostiam, necessarium fuit, provideri hostiam pro peccato.* 3.° Chrysostomus *in cap. III. ad Galat. n.*3. explicans illud *factus pro nobis maledictum,* ait: *Perinde faciens, ac si morti adjudicatum quempiam, alius insons, illius damnati vice sponte mori volens, eripiat. Sic et Christus fecit.* Denique hanc

(a) *Matth. II. 22. Matth. XVI. 27. Luc. XI. 11. I. Cor. XI. 25. Heb. XII. 16. I. Pet. III. 9. etc.*

hanc universalis Ecclesiae perpetuam fidem Concilium Tridentinum *Sess. VI. cap.* 7. sancivit, declarans, Christum esse *causam meritoriam* nostrae justificationis, et *pro nobis Deo Patri satisfecisse.*

Prob. V. Theologica ratione. Si Christus non magis Servator noster esset, quam praedicatione, et exemplo, etiam de martyribus, et Prophetis dici possent, quae de Christo Servatore, et Redemptore dicuntur in Scripturis, cum praesertim Christus ex Socinianis merus homo fuerit. Atqui hoc absurdum esse nemo non videt. Ergo.

Diluuntur Objecta.

Infinitus essem, si omnes Socinianorum cavillationes proponere, et exufflare vellem. Praecipuas dissolvam: et primo eas, quas contra recitata a nobis Scripturae loca comminiscuntur.

Objic. I. In vaticinio Isaiae *Cap. LIII.* dicitur Christus tulisse languores nostros: *vere languores nostros ipse tulit.* Verbum autem Hebraicum duo significat, ferre, et auferre; et de Deo ipso dicitur *Exod. XXXIV.* 7. ferre populi peccata, hoc est sustinere, et auferre. Ambiguum est ergo, quo sensu Isaias, et post eum Petrus *Epist. I. cap. II.* dixerit, Christum peccata nostra tulisse. Atqui hanc ambiguitatem solvit *Matthaeus VIII.* 17. ubi ait, tunc adimpletum esse quod praedictum erat ab Isaia, cum Christus ab aegrotis infirmitates depulit, eos per miraculum sanando. Ergo.

℟. *ad* 1m. *Neg. cons.* Licet enim verbum ferre in Scripturis esset ambiguum, tamen ex *Isaiae* contextu manifestum est, ibi usurpari eo sensu; quod Christus in se suscepit peccatorum nostrorum poenas, pro nobis, seu loco nostro eas luendo, ut legenti patet.

℟. *ad* 2.° *Dist. ant. Matthaeus* ait, cum Christus aegrotos sanavit, impletum esse Isaiae vaticinium quoad unam sui partem, *conc:* Quoad alteram, et praecipuam, *neg.* Cum enim Christus venerit ad suscipiendas in se peccati poenas, ut eas a nobis depelleret; poenae autem peccati aliae ad animum pertineant, aliae ad corpus, fit hinc, ut impletum sit ex parte *Isaiae* vaticinium, cum Chri-

Christus morbos corporis, qui erant peccati vel effectus, vel figura, ab aegrotis abstulit; sed hoc non efficit, ut illud sit unicum, vel praecipuum Christi munus ab *Isaia* praenunciatum. Miracula enim illa, quibus Christus daemones, et morbos abigebat, non ipsi fuerunt dedecori, sed gloriae; at *Isaias* dicit, Christum tulisse peccata nostra per suam ignominiam, passionem, et mortem: *Nos putavimus eum, quasi leprosum, et percussum a Domino: ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras etc.*

Idem ergo dicendum est de verbis Petri *Ep. I. cap. II.* . tum quia *Isaiae* verba adhibet, ideoque intelligendus est eodem sensu, quo *Isaias*; tum quia verbum *αναφερει*, seu *perferre*, quo Petrus utitur, cum ait, Christum *pertulisse peccata nostra in corpore suo super lignum*, ex toto contextu constat, intelligendum hoc sensu, quod Christus tamquam piacularis victima, peccatis nostris onusta, in crucem, tamquam in aram sublatus, Deum nobis reddiderit propitium.

Objic. II. Deus ipse *Is XLVIII. 17. et. LXIII. 16. et alibi* dicitur *redemptor Israel*: et tamen id per metaphoram intelligitur; eo quod populum liberaverit. Imo ipse Moyses *Act. VII.* 35. dicitur *Redemptor υλτροτης*. Ergo etiam cum Christus dicitur homines redemisse pretio, seu λυτρω sui sanguinis, potest haec locutio per metaphoram explanari. Idem dicendum est de voce *mediatoris*; nam etiam Moyses dicitur *Mediator* inter Deum, et populum *Galat. III.* 19., licet non proprie mortuus pro populo fuerit.

℟. *Neg. cons. et parit.* Dissimilitudo enim tum *subjecti*, tum *modi*, quo Deus Pater, et Christus dicuntur homines redemisse, ostendunt diverso sensu rem esse intelligendam. Dissimilitudo quidem *subjecti*; quia Deus Pater capax non est verae, et propriae redemtionis faciendae, ut capax erat Christus in natura assumta. Dissimilitudo etiam *modi*; quia numquam Deus aut *Moyses* dicitur redemisse Istrael soluto aliquo pretio; λυτρω, vel αντιλυτρω, quod permutationem unius pro alio significat.

Idem dicas de nomine, atque officio *Mediatoris*. Numquam enim Moyses dicitur eo sensu mediator, quasi dederit semetipsum απολυτρωσιν, αντιλυτρον pro populo,

sicut dicitur de Christo *I. Tim. II.* 5. *Unus Deus, unus et Mediator Dei et hominum homo Christus Jesus, qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus.* Et auget argumenti vim nomen *Unus*; si enim Christus esset mediator eo sensu, quo Moyses, aliive viri sancti, *Unus mediator* non esset

Objic. Apostolus *in Epist. ad Hebraeos* explicat, quo sensu Christus Sacerdos sacrificium obtulerit; nempe quod in Caelum ingressus sit, sicut summus Sacerdos quotannis ingrediebatur in *Sancta Sanctorum, ut appareat vultui Dei intercedendo pro nobis Heb. IX.* 24. Ergo non satisfaciendo, sed intercedendo Christus sacrificium offert improprie dictum.

℟. *Dist. ant.* Et hoc intelligendum est de applicatione fructus illius sacrificii, quod in ara crucis consummatum est, *conc.* De ipso sacrificio, quasi non aliud sacrificium Christus pro nobis offerat, quam orationem, *neg.*, Apostolus itaque docet, sacrificium Christi in ara crucis fuisse consummatum, atque perfectum; ait enim, *Quemadmodum statutum est hominibus semel mori ... sic et Christus semel oblatus est ad multorum exhaurienda peccata Heb. IX.* 27. et *Heb. X.* 14. *Una oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos.* Ut autem hujus oblationis fructus tribuatur, sive applicetur hominibus, ingressus est Christus tabernaculum non manufactum, ipsum scilicet caelum; eoque attulit non sanguinem hircorum, aut vitulorum, quem summus Sacerdos in Sancta Sanctorum inferebat, sed proprium sanguinem, quo conspersus apparuit vultui Dei pro nobis.

Objic. IV. Quo sensu Christus pro nobis sit mortuus, ipse explicat *Joan. X.* 11. ubi ait, se animam suam pro ovibus ponere, sicut *bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis*: et Joannes *Ep. I. cap. III.* 16. ubi ait, *debere nos pro fratribus animas ponere, sicut Christus animam suam pro nobis posuit.* Atqui nec pastor satisfacit pro ovibus, cum ad illas servandas periculo mortis objicitur; nec nos pro fratribus, satisfacimus, cum pro eorum anima vitam corporis parvi pendimus. Ergo.

℟. *Neg. maj.* Comparationes enim illae ad hoc tantum institutae sunt, ut nos ad charitatem inflammemus

exem-

exemplo Christi, a quo tamen longo intervallo distant. Numquam enim nos, aut quicumque pastor dicitur in scripturis dare animam suam, ut solvat fratres, aut oves a maledicto, et reconciliet Deo, oblato sanguine, ut pretio redemtionis; quae quidem de Christo dicuntur.

Objic. V. *I. Pet. II.* 21. Christus eo sensu passus dicitur pro nobis, ut nobis praeberet exemplum: *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus.* Ergo non passus est, ut pro nobis satisfaceret.

℟. *Dist. ant.* Et hic finis fuit passionis Christi *secundarius*, *conc.* Praecipuus, *neg.* Imo non ait Petrus; *Christus passus est pro nobis, ut vobis relinqueret exemplum*, sed: *passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum*, idest in ipsa passione, quam pro nobis satisfaciendo sustinuit, reliquit etiam omnibus patientiae, charitatis, atque omnium virtutum exempla.

Objic. VI. Gratuita remissio, et condigna satisfactio secum invicem pugnant. Atqui Deus dicitur in Scripturis gratis peccata remittere. Sic *Matth. XVIII.* 23. *et seq.* Christus comparat Deum homini illi Regi, qui servo debitori gratis decem millia talenta donavit. Imo Scripturae nobis Deum exhibent non iratum adversus peccatorem, ita ut placandus fuerit victima aliqua piaculari, sed paterna erga illum charitate affectum. *Ezech. XXXIII.* 11. *Nolo mortem impii, sed ut convertatur ... et vivat,* Joann. III. 16. *Sic Deus dilexit mundum; ut Filium suum Unigenitum daret.* Nec aliud a peccatore Deus expectat, nisi poenitentiam, ut statim peccatorum ejus obliviscatur. *Si impius egerit poenitentiam ... vita vivet .... omnium iniquitatum ejus, quas operatus est, non recordabor* *Ezech. XVIII.* 21. Jerem. *XVIII.* 8. Ergo.

℟. *Dist. ant.* Remissio, et satisfactio repugnant, si erga unam, eandemque personam exerceantur, *conc.* Si reo remittatur peccatum, sed exigatur poena a sponsore, quem ipse Deus ex misericordia reo dedit, *neg.* Est igitur in satisfactione Christi misericordia, et justitia. *Justitia et pax osculatae sunt Psal. LXXXIV.* Justitia quidem, quia a Christo sponsore debita satisfactio Deo est

est exhibita: misericordia vero, quia Deus a peccatore non poposcit poenas, quas juste poterat infligere; sed dedit ei potius mediatorem, et sponsorem, ipsum Filium suum, qui satisfacere pro illo posset. Ex his patet, quo sensu Scripturae nobis exhibent Deum benevolum simul, et iratum contra peccatores: benevolum quidem in locis in objectione laudatis; iratum vero in aliis *Rom. I.* 18. *Revelatur ira Dei de caelo super omnem impietatem.* Ephes. II. 3. *Eramus natura filii irae.* Ex ira ergo, sive zelo justitiae placandus erat, ideoque satisfactionem exegit; ex benevolentia autem ipse mediatorem dedit, accepit satisfactionem, eamque per gratiam peccatori applicat, ut possit poenitentiam agere, Deoque reconciliari.

Inst. Quando totum exigitur a sponsore, fictitia est remissio, quae fit debitori; nihil enim remissum est a creditore, sed mutata est tantummodo persona, quae solveret. Ergo.

℟. *Dist. ant.* Si agatur de simplici restitutione debiti pecuniarii, *conc.* Si de satisfactione pro injuria illata, *neg.* Hoc interest inter restitutionem pecuniae debitae, et satisfactionem pro irrogata injuria, quod in restitutione pecuniae, cum creditor suum accepit, a quocumque facta sit solutio, nullum amplius contra debitorem jus habet. At in satisfactione pro injuria semper jus habet offensus, ut ab illo sibi satisfiat, a quo injuria illata est; et misericordia erga eum utitur, si satisfactionem accipiat ab alio exhibitam, praesertim si ipse laesus mediatorem dedit, qui satisfaceret, et gratiam, per quam satisfactio a mediatore exhibita reo applicetur.

Objic. VII. Injustum est, innocentem, qualis erat Christus, sanctus, innocens, impollutus, plecti pro reo. Ergo etc.

℟. *Dist. ant.* Si ipse innocens non possit, nec velit se pro reo sponsorem constituere, *conc.* Si ipse innocens possit, et velit se pro reo exhibere vadem, ac sponsorem, *neg.* Itaque Christus, utpote Deus, ac proinde sui ipsius dominus, poterat se pro hominibus vadem dare, et revera id voluit; *oblatus est* enim *quia ipse voluit Is. LIII.* 7. Non ergo injustum fuit, ut

Deus

Deus proprio filio suo non pepercerit, sed pro nobis omnibus illum tradiderit. Rom. VIII, 32.

Inst. Leges divinae, et humanae, imo ipsa naturae lex vetat, innocentem pro reo sponsorem fieri, et pro illo plecti capitali poena. Leges quidem divinae; nam ipse Deus *Deut. XXIV. 16.* jubet: *Non occidentur patres pro filiis, nec filii pro patribus, sed unusquisque pro peccato suo morietur.* Ezech. XVIII. 20. *Anima, quae peccaverit, ipsa morietur.* Leges etiam humanae; apud Graecos enim, ut testatur Plato *Lib. IX. de Legib.*, et Romanos, ut videre est in Codice legum Romanarum, hujusmodi sponsiones, et sponsores vetabantur. Denique id vetat ipsa naturae lex; quis enim ferat, ut dimittatur reus, qui reipublicae nocet, et poenae addicatur innocens, qui bono publico vivit? Ergo etc.

℟. *Dist. ant.* Si agatur de puro homine, *conc.* Si de Deo homine, qualis est Christus, *neg.* Leges igitur vetant, innocentem hominem pro reo sponsorem fieri; 1.° quia homo non est suae vitae dominus; atque ideo sicut ipse peccat, si sibi mortem consciscat, ita peccat judex, si eum volentem morti addicat; 2.° quia mors innocentis pro reo nullum bonum affert reipublicae, sed magnum incommodum; aufert enim e medio civem bonum, reipublicae utilem; dimittit vero noxium. At Christus 1.° suae vitae est dominus, et arbiter, quia Deus est; imo potestatem habuit a morte resurgendi. *Joan. X. 18. Nemo tollit animam meam a me: sed ego pono eam a meipso, et potestatem habeo ponendi eam, et potestatem habeo iterum sumendi eam.* 2.° Ejus mors sanctificationem, et vitam aeternam hominibus promeruit *Heb. X. 14. Una oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos.*

Objic. VIII. Si Christus vere, et proprie satisfecisset, vera esset doctrina Lutheranorum, Calvinistarum, aliorumque, qui docent, supervacaneas, et inutiles prorsus esse satisfactiones nostras pro peccatis. Atqui hoc Catholici negant. Ergo.

℟. *Neg. seq. maj.* Licet enim ad placandum Deum non sit alia satisfactio necessaria post satisfactionem Christi, qui *unica oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos*; necessaria tamen est satisfactio nostra

stra ad fructum satisfactionis Christi percipiendum, sive nobis applicandum. Ut enim reus cum eo, quem laesit, redeat in gratiam, non satis est, ut alius pro ipso satisfaciat; sed requiritur etiam, ut ipse reus cum sponsore suo conjungatur, utque ita beneficium, sive fructum satisfactionis referat. Conjunguntur autem cum Christo infantes quidem per baptismum; adulti vero per alia Sacramenta; et per opera *satisfactoria*, quae vim, et effectum habent ex merito satisfactionis Christi; ita ut tantum absit, quod Christi satisfactio a debito satisfaciendi nos liberaverit. quin potius ipsa nostris operibus virtutem satisfaciendi conciliet. Unde ait Apostolus *Coloss. I.* 24. *Adimpleo ea, quae desunt passionum Christi, in carne mea*; non quod aliquid passioni Christi ad plenam, atque perfectam satisfactionem defuerit; sed quia requiritur adhuc, ut homines illam sibi applicent per bona opera, assimilantes se Christo, configurati morti ejus; eo quod voluit Christus, ut satisfactio sua ignavis, et nolentibus Deo reconciliari per opera *satisfactoria*, non prodesset.

Inst. Cum creditori satisfactum est, nihil adhuc remanet a debitore solvendum. Ergo.

℞. *Dist. ant. ut supra.* Cum agitur de restitutione debiti, *conc.* Cum de vera satisfactione, quae fiat pro injuria Deo illata, *neg.* In restitutione enim debiti, rei ad rem aequalitas fieri debet; ac proinde cum creditor rem suam accepit, injustus est, si aliud exigit a debitore. At in satisfactione proprie dicta, potest persona laesa eam accipere ea conditione, ut ipse reus cum sponsore concordet per opera quaedam, quae nullum ex se meritum habent, sed hauriunt virtutem applicandi reo satisfactionem oblatam a sponsore, ex ipsius merito satisfactionis.

Objic. IX. Definiri non potest, e cujus potestate homines redemti sint. Non quidem a potestate Dei, hoc enim esset tyrannidis speciem Deo tribuere. Nec a potestate Diaboli; tum quia diabolus, cum creatura Dei sit, imo et ipse servus poenae, nullum jus habebat in homines; tum quia si hoc verum est, dicendum esset, pretiosum Christi sanguinem persolutum esse diabolo, quod ridiculum est, nedum impiissimum asserere. Ergo

go etc. Utitur hoc argumento *Petrus Abaelardus*, et post eum *Socinus*.

℞. Patres uno ore docent, hominem redemtum e potestate Diaboli, unde inquit Augustinus *Lib XIII. de Trin. cap.* 13.: *placuisse Deo, ut propter emendum hominem de diaboli potestate, non potentia diabolus, sed justitia vinceretur.* Hunc autem tyrannicum dominatum diabolus in homines exercebat, non ut dominus, sed ut minister justitiae Dei, qui subdiderat potestati diaboli eos, qui per peccatum servituti ejus sese addixerant, ut docet Leo M. *Serm. II. de Nat. cap.* 3. *et Epist. ad Flavian. cap.* 2 *et* 3. Pretium ergo sanguinis Christi non diabolo, sed justitiae Dei persolutum est, cui justitiae simul ac satisfactum est, diabolus e juro suo excidit. Vide Joan. Driedonem *Tract. III. de Captiv. et redempt. gen. hum.*, et Laurentium Berti *Lib XXVIII.*, qui copiosissime de satisfactione Christi pertractant, et Socinianorum argumenta refellunt: praeterea *Claudium Typhanium*, *Petavium*, *Tournely etc.*

Corollarium.

Habentes ergo Pontificem magnum Jesum Filium Dei, qui postquam una oblatione in Cruce redemtionem nostram consummavit; resurgens ex mortuis penetravit caelos, neque per sanguinem hircorum, aut vitulorum, sed per proprium sanguinem introivit semel in sancta, ut appareat vultui Dei pro nobis, ibique perpetuo Patrem pro nobis interpellat; adeamus cum fiducia ad thronum Dei. Nihil enim est, quod per tantum Pontificem impetrare non possimus, modo ipsi toto corde conjungamur, ejusque imitari exempla, et mandata servare studeamus: nihil contra est, quod sine eo possimus a Deo Patre expectare.

§. II.

§. II.

Utrum satisfactio Christi fuerit ex rigore justitiae.

Adv. I. Quamquam Catholici omnes docent contra Socinianos, Christum vere, et proprie pro hominibus satisfecisse; disputant tamen Scholastici, 1.° utrum satisfecerit Christus ex vera justitia, an ex misericordia, et bonitate Dei; 2.° utrum ex stricta, ac rigida justitia satisfecerit.

II. Ad strictam autem, rigidamque justitiam conditiones omnino necessariae sunt sex. 1.° ut exhibita satisfactio sit injuriae aequivalens. 2.° ut sit voluntaria. 3.° ut sit ex propriis bonis. 4.° ut sit ex bonis alias indebitis. 5.° ut sit *ad alterum*; nemo enim sibi ipsi satisfacit. 6.° ut persona laesa satisfactionem exhibitam non possit respuere.

III. Scotistae igitur docent, satisfactionem Christi non fuisse ad strictos justitiae apices; putant enim, in ea defuisse aliquas ex conditionibus paulo ante dictis. At contra Thomistae satisfactionem Christi esse volunt ex stricta, rigidaque justitia; eo quod nulla ei conditio defuerit ex iis, quae supra positae sunt, eandemque sententiam *Tournely*, *Witasse*, *L' Herminier*, *Sylvius*, *Suarez*, aliique permulti sequuntur Theologi.

PROPOSITIO I.

Satisfactio Christi fuit ex vera justitia.

Prob. I. *ex Script. Rom. III.* 25. *Quem proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius, ad ostensionem justitiae suae.* Ergo etc.

Prob. II. *ex PP.* 1.° Augustinus *Lib. XIII. de Trin. Non autem*, inquit, *Diabolus potentia Dei, sed justitia superandus fuit.* 2.° Leo M. *Serm. XII. de Pass. Ad dominationem diaboli destruendam magis usus est justitia rationis, quam potestate virtutis.* Alios omittimus.

Prob. III. *ratione.* Christus, ut ostendimus contra Socinianos §. 1. vere, et proprie pro peccatis nostris

prk-

pretium sui sanguinis persolvit; pretium autem illud, ut infra demonstrabimus, non solum aequivalens fuit, sed etiam redundans. Atqui solutio hujusmodi ad veram justitiam pertinet. Ergo etc.

Dices. Inter Deum, et hominem, inter Patrem, et Filium vera justitia non est. Ergo.

℟. *Dist. ant.* Non est vera justitia inter Deum, et purum hominem, nec inter Patrem, et Filium, qui bona propria non habet, *conc.* Non est vera justitia inter Deum, et Christum, qui est Deus homo; inter Patrem, et Filium, qui praeter naturam divinam, habet sibi propriam humanam naturam hypostatice conjunctam, *neg.* Cum igitur Christus satisfecerit ut homo Deus per actiones *theandricas*, profecto ut Deus habebat aequalitatem, ut homo bona propria, quae offerre poterat, quae duo ad veram justitiam requiruntur.

PROPOSITIO II.

Christi satisfactio non solum aequivalens fuit; sed etiam excedens, ac redundans.

Prob. I. *ex Script.* I. Joan. II. 2. *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris: non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi.* Psal. CXXIX. *Copiosa apud eum redemptio*: Rom. V. 20. *Ubi abundavit delictum, seperabundavit gratia.* Ergo etc.

Prob. II. *ex PP.* 1.° *Cyrillus Hieros.* Cathec. XIII. *Non tanta*, inquit, *erat peccantium iniquitas, quanta pro illis morientis justitia: non tantum nos peccavimus, quantum ille juste egit.* 2.° Chrysostomus *Hom. X. in cap. V. ad Rom. Christus*, ait, *non modo tantum juvit, quantum laeserat Adam, sed et multo plenius ... multo enim plura iis, quae debebamus, rependit Christus, atque adeo tanto plura, quauto mare immensum ad pusillam aquae guttam comparatum majus esse possit.* Clemens VI. (in Extravag. *Unigenitus de Poenit. et Remis.*) *Non guttam sanguinis modicam, quae propter unionem ad Verbum pro redemtione totius* ge-

generis humani suffecisset, *sed copiose velut quoddam profluvium noscitur effudisse* (a).

Prob. III. *ratione*. Persona Christi, quae se subjecit, et humiliavit in humana natura; et ex qua meritum derivatum est in satisfactionem Christi, est dignitatis simpliciter infinitae. Malitia vero peccati non simpliciter, et absolute, sed tantum extrinsecus, et ratione *objecti* infinita est. Ergo Christi satisfactio, quae ex persona Christi infinitum hausit meritum, non solum aequivalens peccato est, verum etiam redundans.

Solvuntur Objecta.

Objic. I. Christus satisfecit per actiones humanas. Atqui hujusmodi actionum finitum est meritum. Ergo satisfactio Christi non fuit infinita; ac proinde non fuit peccato acquivalens.

℞. *Dist. maj.* Christus satisfecit per actiones humanas, non imperatas a persona Verbi, *neg.* Imperatas ab ipsa persona Verbi, quae per naturam assumtam se se subjecit passioni, *conc.* Quare *neg. min. et cons.* Actiones itaque Christi, per quas satisfaciebat, non erant puri hominis, sed *theandricae*; quia per eas ipse Dei Filius *humiliavit semetipsum*, *factus obediens usque ad mortem Philip. II.* 8. Ex persona autem Verbi infinitum in actiones Christi meritum derivatum est.

Inst. 1.° Persona Verbi se subjicere atque humiliare non poterat. Ergo.

℞. *Dist. ant.* In natura divina, *conc.* In natura assumta, nempe humana, *neg.* ut patet ex supra laudatis Apostoli verbis.

Inst. 2.° Si ex persona Verbi meritum infinitum in Christi actiones fuisset derivatum, Christus per unicam, eamque vel minimam ex suis actionibus pro peccato satisfecisset; quia meritum ex persona Verbi derivatum in quamcumque vel minimam Christi actionem fuisset in-

(a) Adde Naziánz. *Or. XLII.* Anselm. *De conc. Virg. cap.* 22.

infinitum. Ergo supervacue passus, et mortuus pro peccatis fuisset.

℟. *Dist. ant.* Per quamcumque actionem satisfecisset, si ita ei placuisset, *conc.* Secus, *neg.* Quamvis itaque vel unica Christi oratio ad redimendum humanum genus suffecisset; voluit tamen Christus ad ostendendam nimiam charitatem suam, et peccati magnitudinem, ut in sacrificio crucis consummaretur redemtio nostra; aliae vero ejus actiones eatenus ad satisfactionem pertinerent, quatenus ad sacrificium illud ex Christi voluntate erant ordinatae. Sic enim statutum erat, ut *mors nisi a morte superari non posset*, ut loquitur Augustinus *Serm. CI. de Temp.*

Inst. 3.° Quidquid creatum est, non est infinitum; sed meritum actionum Christi est aliquid creatum. Ergo.

℟. *Neg. min.* Meritum enim non est aliquid physicum, sed *morale*, scilicet aestimatio rei alicujus; ac proinde neque creatum est, neque increatum.

Inst. 4.° Poena peccato debita est mors aeterna peccantis. Atqui Christus non tot pertulit mortes, quot sunt homines, et multo minus mortem aeternam. Ergo.

℟. *Neg. cons.* Una enim Christi mors, imo una ejus quaecumque oratio majoris dignitatis est, ac pretii propter personam Verbi, quam mors temporalis, et aeterna omnium hominum.

Objic. II. Si Christus abunde satisfecisset, frustra essent satisfactiones nostrae, frustra sacramenta: denique falso diceret Apostolus *Colos. I.* 24. *Adimpleo ea, quae desunt passionum Christi, in carne mea.* Ergo.

℟. *Neg. ant.* Jam enim supra diximus, haec esse necessaria, non ad satisfactionem perficiendam, sed applicandam hominibus.

Objic. III. Si Christus abunde satisfecisset, 1.° injustus esset Deus, qui plus exegit quam debebatur: 2.° injuste adhuc dominarentur in nobis tot aerumnae, et ipsa mors, quae peccati poena est: imo injuste prorsus damnarentur tot hominum millia, pro quibus a Christo abunde satisfactum est.

℟. *Neg. seq. Ad 1m.* respondeo, justitiam Dei aequivalentem satisfactionem exegisse; sed quia satisfactio non poterat esse aequivalens, nisi esset a persona infinitae di-

dignitatis; persona autem haec non poterat exhibere satisfactionem nisi infinitam, ac redundantem; ideo injustus non est Deus, qui hanc satisfactionem accepit. *Ad* 2m. dico, hujus vitae aerumnas remanere non ad poenam, sed ad *agonem justitiae*, et majus hominum bonum, ut fuse prosequitur Augustinus *Lib. II. de pecct merit. cap.* 31. *et seq. Ad* 3m. Tot hominum millia perire, non quia pro iis sufficiens satisfactio, imo et abundans exhibita non est; sed quia sua culpa, et justo, occultoque judicio Dei, noluit ipsis Christus efficaciter pretium suae redemtionis applicari.

Ex hac autem propositione consequitur, nullum esse tam grave scelus, quod alicui debeat veniae desperationem injicere: nullumque esse tam magnum bonum, modo sit nobis ad salutem necessarium, quod per Christi merita, ac satisfactionem sperare a Deo non possimus.

PROPOSITIO III.

Satisfactio Christi fuit ex stricta, et rigida justitia.

Prob. Ad strictam, ac rigidam justitiam conditiones omnino requiruntur sex, ut supra diximus; nempe ut sit aequivalens, voluntaria, ex propriis, ex indebitis, ad alterum, et non possit a persona laesa respui. Atqui sex illae conditiones in satisfactione Christi sunt. Ergo.

Prob. min. 1.° Satisfactio Christi fuit aequivalens, imo et abundans, ut paulo ante demonstravimus *Prop.* II. 2.° Voluntaria fuit, *oblatus est* enim, *quia ipse voluit Is. LIII.* 7. 3.° *et* 4.° Fuit ex propriis, et indebitis; persona enim Verbi, quae per humanas Christi actiones satisfaciebat, nullius potestati subjecta erat, plenum habuit suarum actionum dominium, nec ulli quidquam debebat, et praecipue immunis erat a debito mortis, quae est peccati stipendium, cujus Christus omnino capax non erat: 5.° Fuit *ad alterum*; licet enim persona Christi una sit, eaque divina, quae cum Patre, et Spiritu S. per peccatum laesa fuerat, et satisfactionem accipere debebat; tamen cum eadem persona natu-

rae

ras duas haberet, ac *terminaret*, quae distinctas habent actiones, et voluntates, spectari potest ut *virtute* duplex, ac proinde persona Verbi, quatenus naturam humanam terminabat, sibi ipsi, prout terminanti naturam divinam satisfecit. Cum enim una persona duo habet distincta jura, et veluti patrimonia, potest ex uno alteri satisfacere. 6.° Denique satisfactionem Christi non poterat Deus non accipere; non solum quia infinita erat, et redundans (hoc enim non sufficit, ut qui laesus est teneatur satisfactionem a sponsore exhibitam accipere); verum etiam quia ipse Deus sponsorem hunc miserat, ut satisfaceret, ejusque voluntas sponsoris non est a voluntate Patris distincta. Ergo. etc.

Solvuntur Objecta.

Objic. I Satisfactio Christi non fuit ex propriis. Christus enim satisfecit ut homo; passus, et mortuus est ut homo. Atqui natura Christi humana, omnesque ejus humanae actiones sub Dei mancipio erant. Ergo non erant propriae, ac proinde non satisfecit ex propriis, et ex consequenti non ex rigore justitiae.

℟. *Ad* 1m. *neg. ant. Ad* 2m. *Dist. maj.* Satisfecit ut homo tantum, *neg.* Ut homo Deus, *conc.* Ipsa enim persona Verbi, quae sub nullius erat mancipio, se subjecit ei, per quam satisfecit, passioni. Porro sicut persona Verbi, ita et ejus actiones tum divinae, tum humanae sub nullius erant mancipio.

Inst, Dignitas illa, ac meritum, quod ex persona Verbi in actiones Christi humanas redundabat, Dei donum erat, a quo unio hypostatica effecta est. Ergo.

℟. *Dist. ant.* Erat Dei donum, quatenus *unionem hypostaticam* supponebat, quae eximium gratiae Dei donum est, *conc.* Erat Dei donum *formaliter*, sive natura sua, *neg.* Itaque fatemur, unionem hypostaticam humanae naturae cum Verbo fuisse Dei donum. At posita unione illa, ipsa persona Verbi infinitum in humanas Christi actiones meritum necessario derivabat.

Objic. II. Quidquid creatum est, Deo debetur titulo religionis, servitutis, gratique animi. Atqui actiones Chri-

sti humanae creatae erant. Ergo non erant indebitae, et proinde Christus non satisfecit ex indebitis.

℟. 1.° *Sylvius*, *Suarez*, aliique respondent, ex eo quod Christi actiones Deo debitae essent ex grati animi officio, religione, obedientia, non sequi; ut non potuerit Christus per eas ex justitia satisfacere; nihil enim vetat, inquiunt, unum, eundemque actum ad plures pertinere virtutes; ut si quis ex praecepto superioris creditori suo indigenti restituat, nondum adveniente solutionis tempore; ejus actio ad obedientiam, charitatem, et justitiam pertinebit. Quod quidem eo magis verum est, si actionis meritum infinitum sit, adeoq. non possit ita uno exhauriri titulo, ut non aliis etiam titulis aptari valeat.

℟. 2.° *Dist. min.* Actiones Christi creatae erant quoad earum naturam (*a*), *conc.* Quoad meritum, quod ex ipsa hauriunt persona Verbi, quae per actiones illas Deo se subjecit, *neg.* Persona ergo Verbi, quae satisfactionem per naturam humanam offerebat, nulli subjecta, nec debita erat sive quoad substantiam, sive quoad actiones suas.

Objic. III. Unius ad seipsum satisfactio non est *ad alterum.* Atqui Christus unam habens cum Patre naturam, quae peccato laesa erat; etiam sibi satisfecit. Ergo.

℟. *Dist. maj.* Si ejus persona propter distinctas naturas, earumque jura, et proprietates non sit virtute duplex, *conc.* Secus, *neg.* Responsio patet ex supra dictis.

Inst. Pater, et filius censentur una persona. Atqui Christus, etiam ut homo, Filius est Patris naturalis.

℟. *Dist. maj.* Si jura non habeant distincta; *conc.* Secus, *neg.*

Objic. IV. Qui laesus est potest ab ipso reo statisfactionem exigere, nec tenetur eam accipere, quae exhibetur a sponsore; et in hoc supra diximus, eluce-

(a) Sive *entitatem.*

cere misericordiam Dei erga homines. Ergo poterat Deus non accipere Christi satisfactionem. Hoc argumento *Cardinalis de Lugo*, aliique Theologi moti sunt, ut satisfactionem Christi, ex rigore justitiae non fuisse, affirmarent.

R. *Dist ant.* Si sponsor non sit ab ipsa missus persona laesa, ejusque satisfactio non sit infinita, ideoque redundans, *conc.* Secus, *neg* Itaq. cum Christus a Deo missus sit eo consilio, ut pro nobis satisfaceret, nec habeat voluntatem a Deo discordem, imo nec distinctam (si voluntas ejus divina spectetur) absurdum est, Patrem potuisse Christi satisfactionem non accipere. In eo igitur diximus elucere misericordiam Dei, quod ipse contentus fuit satisfactione a mediatore aliquo exhibita, quam ab ipso homine exigere potuisset, eumque mediatorem ipse misit; unde ait Apostolus *II. Cor. V.* 19. *Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi.* Adde quod satisfactio a Christo sponsore exhibita infinitae dignitatis, et meriti est redundantis; ideoque etiam ex eo capite rejici a Deo quodammodo non potuit.

Scholion.

Conditiones ad strictam, rigidamque justitiam posuimus sex, ut in omnium Theologorum systemate nostrae sententiae constaret veritas. Sed animadvertendum est gravissimos Theologos sextam conditionem non putare necessariam. Nam ut observat *Sylvius*, quamvis mercator *ex gr.* non teneatur mercem suam vendere, et pretium pro ea oblatum accipere; tamen si vendere voluerit, et accipere pretium, vera constabit justitia inter ipsum, et emtorem, modo pretium justum sit, et merci aequivalens. Quod multo magis verum est, si agatur de justitia Dei, quae longe sublimior est justitia hominum. Sicut enim in Deo vera sapientia est, sine ulla tamen ratiocinatione; ita vera justitia est sine ulla obligatione. Unde Theologi passim docent, Deum non posse constitui debitorem, nisi ex sua ipsius liberrima promissione, aut *ex suppositione ordinationis divinae*, ut loquitur S. Thomas 2.*a* 2.*ae* *Q. CXIV. art.* 1. *et al.* Vide Card. de Lauraea *Tom. II. in* 3. *P. Disp.*

M 2 *XX.*

XX. art. 1., Suarez *Disp. IV. sect.* 5. *et Lib. XII. de Grat. cap.* 7., Franciscum Macedo *Collat. V. Differentia IV.*, P. Berti *Lib. XXVIII. cap.* 6, Salmanticenses *Disp.* 1. *Dub.* 8. aliosque ibi laudatos. Nihil ergo deperit de stricta justitia satisfactionis Christi, si dicamus, Deum ex supremo dominatu, qui nulli debito potest esse subjectus, libere eam accepisse, modo constet, illam fuisse voluntariam, aequivalentem, ex propriis, ex indebitis, et ad alterum.

§. III.

Utrum Christus pro omnibus hominibus satisfecerit.

Adv. I. Praetermissis antiquioribus haereticis, qui Christum etiam pro damnatis hominibus, imo et pro daemonibus, et astris juxta *Platonem* animatis, mortuum esse somniarunt, quem errorem *Origeni*, *et Didymo Alexandrino* a Patribus tributum, confutavimus superiori Libro *part.* 2. *cap.* 8., duo sunt hac in re contrarii haereticorum errores, inter quos media est catholicae doctrinae veritas. *Semipelagiani* ita Christum mortuum esse pro omnibus affirmabant, ut quantum in ipso erat, omnium hominum salutem nullo discrimine operari voluerit. Hinc neminem sua gratia praevenire, sed expectare quinam uti velit beneficio redemtionis ejus, seu habeat initium aliquod fidei, et bonae voluntatis per naturales liberi arbitrii vires. Quos ergo sic viderit affectos, eis gratiam largiri, qua adjuti mandata servent, et salvi fiant. Hanc haeresim in *Lib. VII.* confutabimus.

II. Contra Calvinistae, aliique haeretici *Saec. XVI.* contenderunt, Christum pro solis praedestinatis esse mortuum. His accessit *Jansenius*, cujus damnata est celebris illa thesis, *num. V.* ab Innoc. X. et Alex. VII. *Semipelagianum est dicere, Christum pro omnibus mortuum esse, aut sanguinem fudisse.*

III. Catholici inter hos medii docent 1.° Christum non pro solis praedestinatis, sed etiam pro aliis satisfecisse

cisse ; non tantum propter sufficiens (a) pretium (id enim non diffitentur haeretici : imo hac ratione etiam pro daemonibus mortuus dici posset) sed etiam quia non solis praedestinatis, sed etiam aliis pretium suae satisfactionis prodesse voluit, non modo quoad gratias illas temporales fidei, aut justificationis, quas accipiunt, sed etiam quoad ipsam vitam aeternam ; 2.° mortuum esse pro omnibus omnino hominibus, non solum quia pretium obtulit sufficiens redimendis omnibus, sed etiam quia vere, et sincere *antecedenti* voluntate omnibus pretium mortis suae prodesse, sive applicari voluit. Primum tamen illud pertinet ad fidem, nempe Christum non pro solis praedestinatis satisfecisse. Alterum vero, nempe Christum voluisse omnibus, nemine excepto, applicari suae redemtionis pretium, dogma fidei non est : 3.° speciali quadam, et efficaci voluntate mortuum esse pro salute praedestinatorum.

PROPOSITIO I.

Christum non pro solis praedestinatis, sed etiam pro aliis esse mortuum, dogma fidei est.

Prob. I. ex definitione *Innoc. X.*, quam universa jam recepit Ecclesia. In ea quippe damnatur inter Jansenianas haec prop. *num. V. Semipelagianum est dicere Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse, aut sanguinem fudisse.* Quam propositionem damnavit Pontifex ut *impiam*, *blasphemam*, *contumeliosam*, *divinae pietati derogantem*, *et haereticam*, si eo sensu intelligatur *ut Christus pro salute dumtaxat praedestinatorum mortuus sit.*

Prob. haec definitio I. ex Scripturis, ex quibus constat, Christum mortuum esse etiam pro iis, qui pereunt, ac proinde praedestinati non sunt. Apostolus *Rom. XIV.* 15. *Noli cibo tuo illum perdere, pro quo Chri-*

(a) Schol. *Sufficientiam pretii.*

Christus mortuus est. Et I. Cor. VIII. 11. Et *peribit infirmus in tua scientia frater, propter quem Christus mortuus est?* Petrus etiam *Epist. II. cap. II.* 1. *In vobis*, inquit, *erunt magistri mendaces, qui introducent sectas perditionis, et eum, qui emit eos, Dominum negant, superducentes sibi celerem perditionem.* Ergo.

Prob. II. *ex PP.* Augustinus, quem maxime patronum sui dogmatis jactant adversarii, pluribus in locis docet, Christum non solum pro electis, sed et pro reprobis esse mortuum; ut cum ait de Juda *Enarrat. in Psal LXVIII. Projecit pretium argenti, quo ab illo Dominus venditus erat, nec agnovit pretium, quo ipse a Domino redemtus erat.*

Prob. III. ex Scripturis, et PP. in altera propositione producendis. Ergo etc.

PROPOSITIO II.

Christus pro omnibus omnino hominibus sanguinem effudit, non solum propter pretium sufficiens, sed etiam propter antecedentem voluntatem omnes homines salvos faciendi.

Prob. I. *ex Script.* Joan. III. 16. *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret: non enim misit Deus filium suum in mundum, ut judicet mundum sed ut salvetur mundus, per ipsum.* Et Apostolus *II. Cor. V.* 14. *Æstimantes hoc, quoniam si unus pro omnibus mortuus est; ergo omnes mortui sunt.* Et *I. Tim. II.* 1. *et seq.* vult idem Apostolus, ut orationes fiant *pro omnibus hominibus*; *Hoc enim bonum est*, inquit, *et acceptum coram Salvatore nostro Deo, qui omnes homines vult salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire. Unus enim Deus; unus et mediator Dei, et hominum homo Christus Jesus, qui dedit redemtionem semetipsum pro omnibus.* Nihil est hoc testu clarius. *I. Joan. II.* 2. *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris: non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi.* Ergo.

Prob. II. *ex PP.* 1.° Origenes *Lib. I. cont. Cels. Pro humano*, inquit, *genere tanta pertulit Christus, ut quan-*

quantum in ipso erat, Graeci omnes, ac barbari a malitia desciscerent. 2.° Nazianzenus *Orat. XXV. Per quos* (Christi labores) *omnes reformati sumus, nullo penitus excepto, qui eidem Adamo participavimus.* 3.° Leo M. *Serm. XX. seu I. de Nat. cap. I. Dominus noster peccati, mortisque destructor sicut nullum a reatu liberum reperit, ita liberandis omnibus venit.* 4.° Augustinus *Lib. VI. cont. Julian. cap. 4. Ex hoc probavit Apostolus, omnes mortuos esse, quia pro omnibus mortuus est unus.* Idem centies alibi repetit S. Doctor, et post eum Prosper, aliique (*a*).

Prob. III. *Ex Conc. Trid: Sess. VI. cap. 3. Etsi Christus pro omnibus mortuus est, non omnes tamen mortis ejus beneficium recipiunt.* Et Ecclesia universa in hymnis Jesum appellat *Redemtorem omnium.* Ergo.

PROPOSITIO III.

Christus speciali quadam, et efficaci ratione pro electis sanguinem fudit.

Prob. I. *ex Script.* Christus *Joan. X.* 15. *Animam meam*, inquit, *pono pro ovibus meis*; quaenam autem illae oves sint, explicat *v.* 27. *oves meae vocem meam audiunt: et ego cognosco eas, et sequuntur me: et ego vitam aeternam do eis: et non peribunt in aeternum, et non rapiet eas quisquam de manu mea.* Et *Joan. XVII.* 9. Christus ipse sic Patrem alloquitur: *Non pro mundo rogo, sed pro his, quos dedisti mihi.* Apostolus etiam *Ephes. V.* 25. *Christus dilexit Ecclesiam, et seipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret, mundans lavacro aquae in verbo vitae, ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ec-*

(a) Augustinus *Lib. XX. de Civ. cap. 6. Lib. II. Op. Imp n.* 175. in *Psal. LXI. et alibi.* Prosper *Praef. ad Oject. Vincent.* Cyrillus *Hieros. Catech. XIII.* Ambrosius *lib. de de Jacob cap.* 6. Bernardus *Serm. in Psal. Qui habitas, et alii.*

Ecclesiam, non habentem maculam, aut rugam: quae omnia nonnisi praedestinatis quadrant. Ergo

Prob. II. *ex PP.* 1.° Augustinus *Serm. de Nat. S. Vinc. Quando*, inquit, *perit, qui Christi sanguine redemtus est?* 2.° Prosper *ad Object. IX. Gallor. Cum itaque rectissime dicatur pro totius mundi redemtione crucifixus, potest tamen dici pro his tantum crucifixus, quibus mors ipsius profuit.*

Prob. III. *ratione.* Apostolus ait, Christum pro sua reverentia a Patre exauditum esse *Heb. V.* 7. Et ipse Christus Patrem alloquens, ait *Joan. XI.* 42. *Ego autem sciebam quia semper me audis.* Ergo si pro omnibus efficaci oratione in Cruce precatus esset, et omnibus absolute redemtionis suae fructum ad aeternam prodesse salutem voluisset, omnes omnino homines salvi fierent, quod falsum est. Ergo.

Scholion.

Duo sunt, quæ tamquam fidei dogmata hoc in loco haberi debent Primum est, Christum non solum pro prædestinatis esse mortuum, sed etiam pro aliis, quales sunt saltem, ii qui aliquod mortis ejus percipiunt fructum, ut fidem, et justificationem, quam tamen culpa sua abjiciunt. Idque fide certum est contra Calvinistas; qui asserunt, reprobos etsi aliquando credere, ac justificari videantur, numquam tamen revera credere, nec passionis Christi fructum ullum capere; quam insaniam in *Lib. VII.* confutabimus. 2.° Alterum est, pro omnibus omnino, etiam pro iis, qui nullum passionis Christi fructum accipiunt, ut sunt infantes in utero materno morientes, Christum aliquo sensu mortuum esse. Id enim Scripturarum, Patrum, et Conciliorum auctoritate apertissime declaratum est.

Sed disputatur inter Catholicos, utrum Christus eo tantum sensu mortuus sit pro omnibus, iis etiam, qui nullum passionis ejus emolumentum accipiunt, quod pro omnibus sufficiens obtulerit pretium, an quod revera pretium illud omnibus prodesse voluerit. Cum enim voluntas Christi voluntati Patris perfectissime fuerit consentanea; sicut quæstio est inter Theologos, utrum voluntas illa antecedens, qua Deus *vult omnes* ho-

homines salvos fieri I. Tim. II. 4. sit vera, an per metaphoram; ita etiam quaestio est; utrum Christus voluntate antecedenti voluerit omnibus omnino hominibus mortis suae pretium vere applicari. Nonnulli, praesertim ex Thomistis id negant, nos in Propositione affirmavimus ex communiori Catholicorum sententia. Loca enim Scripturarum, et Patrum, quae supra protulimus, non de sufficienti dumtaxat pretio possunt intelligi; ait enim Apostolus *I. Tim. II.* 3. bonum esse, et acceptum coram Salvatore nostro Deo, ut pro omnibus oremus, quia ipse Deus vult omnes homines salvos fieri, et Christus dedit semetipsum redemtionem pro omnibus; quae Apostoli ratiocinatio vix ullius videretur esse ponderis, si Christus non vere, ac sincere voluerit antecedenti saltem voluntate redemtionem suam prodesse omnibus. Idem alia Scripturarum, et Patrum loca evidenter insinuant. Adde, voluntatem Christi de omnium salute adeo fuisse sinceram, ut videns Jerusalem fleverit, eo quod non cognovisset tempus visitationis suae *Luc. XIX.* 41. Fletus enim ille nonnisi ex vehementi desiderio salutis eorum, qui damnandi erant, oriri potuit.

Solvuntur Objecta.

Objiciunt I. loca illa Scripturarum, et Patrum, quibus supra probavimus, Christum speciali quadam ratione mortuum esse pro electis, ex quibus inferunt, Christum pro electis dumtaxat, non pro aliis sanguinem effudisse. Sed facile est respondere, Christum speciali quodam modo, seu absoluta, et efficaci voluntate pro electis tantum esse mortuum; id tamen non efficit, eum non esse mortuum etiam pro aliis omnibus voluntate *antecedenti*; ex qua voluntate per meritum mortis suae sufficientia auxilia parari iis voluit, quibus salvi esse possent, nisi aut ipsi pervicaci voluntate beneficium illud respuerent, quales sunt adulti, qui damnantur, aut aliae causae impedirent, quominus acciperent, (ut in infantibus accidit, qui sine baptismo moriuntur) quas causas Deus effectu suo carere noluit, quia non

erant

erant illi justo, sed occulto Dei judicio, ex numero praedestinatorum.

Objic. II. Ipse Christus *Matth. XXVI.* 28. ait, sanguinem suum *pro multis* effundendum. Ergo non pro omnibus.

℟. *Neg. cons.* Vox enim *multi* in Scripturis aliquando accipitur pro magna totius parte, ut cum dicitur *Joan. IV.* 39. *Multi crediderunt in eum Samaritanorum*: aliquando vero pro tota hominum collectione, ut cum Apostolus ait *Rom. V.* 19. *Per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi.* Porro in hoc posteriori sensu accipienda esse Verba Christi *Matth. XXVI.* 28. ediscimus tum ex Apostolo *II. Cor. V.* 15. *pro omnibus mortuus est Christus*; tum ex perpetua Patrum traditione. Posset etiam responderi, Christum voluntate *antecedenti*, atque sufficienti mortuum esse pro omnibus, voluntate vero efficaci, et absoluta pro multis. *Si consideretur sufficientia*, inquit S. Tomas *in Cap. XXVI. Matth. ipse est propitiatio pro peccatis totius mundi, sed si consideremus effectum, minorem habet effectum, in iis nempe, qui salvantur, et hoc ex culpa hominum.*

Objic. III. Augustinus *Lib. XXI. de Civ. cap.* 24. haec habet: *Si de aliquibus ita certa esset* (Ecclesia) *qui licet adhuc in hac vita sint constituti tamen praedestinati sunt in aeternum ignem ire cum diabolo; tam pro eis non oraret, quam nec pro ipso* (diabolo). Atqui Christus certe noverat quinam reprobi essent. Ergo pro iis non oravit, nec sanguinem effudit.

℟. *Dist. ant.* Ecclesia non oraret pro reprobis, si eos nosset; non oraret, inquam oratione absoluta, et efficaci de qua eo in loco agit *Augustinus, conc.* Oratione conditionali, *neg.* Disputat enim ibi *Augustinus* contra eos, qui docebant, in die judicii impios omnes salvos futuros esse propter orationes Sanctorum; docet autem absurdum esse, Sanctos orare (utique oratione absoluta, et efficaci), contra absolutam Dei voluntatem, quae immutabilis est. Objicientibus autem adversariis, Ecclesiam absolute orare pro omnibus, inter quos sine dubio reprobi multi sunt, respondet; Ecclesiam nescire, quinam sunt absoluta Dei voluntate reje-

eti,

eti, quos si nosset, pro iis non oraret efficaci illa, et absoluta oratione, qua nunc pro omnibus orat.

Inst. Ecclesia ne sub conditione quidem orat pro diabolo. Atqui ex *Augustino* Ecclesia non magis oraret pro reprobis, si eos nosset, quam pro diabolo. Ergo.

℟. *Dist maj.* Nullo modo orat pro diabolo, quia jam damnatus est, *conc.* Quia reprobus tantum est, *neg.* Igitur quod ad absolutam, et efficacem orationem attinet, de qua ibi disputat *Augustinus* non magis Ecclesia oraret pro reprobis, si eos nosset, quam pro diabolo. Sed quia illi, donec vivunt, capaces sunt misericordiæ Dei, et vitae æternæ, nec nisi culpa sua pereunt, quod de diabolo jam domnato dici non potest; nihil obstat, quominus pro iis, sub conditione saltem, preces ad Deum fundantur, ut cordis eorum duritiem frangat; est enim hoc pietatis officium bonum, et acceptum coram Salvatore nostro Deo, et ipse Christus licet absolutam Dei voluntatem esse sciret, ut pro hominibus in cruce moreretur; oravit tamen dicens: *Pater, si possibile est, transeat a me calix iste.* Matth XXVI. 39.

Objic. IV. Idem Augustinus *Lib. I de adulter. conjug. cap.* 15. *Omnis*, inquit; *qui Christi sanguine redemtus est, homo est: non tamen omnis, qui homo est, etiam Christi sanguine redemtus est.* Et *Prosper* respondens Objectionibus *Vincentii* (quem Lirinensem esse affirmant eruditi) contra doctrinam *Augustini*, *ad primam Objectionem; Quod Dominus noster Jesus Christus non pro omnium salute, et redemtione sit passus*, sic ait: *contra vulnus originalis peccati verum, et potens, ac singulare remedium est mors Filii Dei. Quod ergo ad magnitudinem, et potentiam pretii, et quod ad unam pertinent causam generis humani, sanguis Christi redemtio est totius mundi, sed qui hoc saeculum sine fide Christi, et sine regenerationis sacramento pertranseunt, redemtioni alieni sunt.* Quibus verbis satis ostendit, hoc tantum sensu Christum mortuum esse pro omnibus, quod pretium obtulit pro omnibus sufficiens, et quod una est causa totius humani generis. Denique Bernardus *Epist. CIX.* haec *Abaelardo* exprobrat: *Non potes gratias agere cum redemtis, quia non es redemtus.*

tus. Ergo non pro omnibus, sed pro solis praedestinatis mortuus est Christus.

℟. *Dist. Cons.* Pro solis praedestinatis mortuus est speciali, et efficaci ratione, *conc.* Secus, *neg.* Quamvis Christus redemtionis pretium pro omnibus obtulerit; qui tamen eo non utuntur, dicuntur non redemti, hoc est non consecuti redemtionis effectum, sicut qui captivi apud barbaros detinentur, si pretio redemtionis pro iis soluto uti nolint, dicuntur non redemti. Hac adhibita distinctione, facile conciliari possunt Patrum loca, quae videntur esse contraria. Ad rem Prosper *Ad Object. IX. Gallor. Qui dicit, quod non pro totius mundi redemtione salvator sit crucifixus, non ad sacramenti* (hoc est sanguinis Christi) *virtutem, sed ad infidelium respicit partem, cum sanguis Domini nostri Jesu Christi pretium totius mundi sit, a quo pretio extranei sunt, qui aut delectati servitute redimi noluerunt; aut post redemtionem ad eamdem sunt servitutem reversi.* Ad *Bernardi* vero locum peculiaris praeterea responsio est, illum loqui contra *Abaelardum*, qui negabat, Christum vere, et proprie homines redemisse. Unde contra illum arguens concludebat *Bernardus*, ipsum *Abaelardum* redemtum non esse, atque idcirco non posse gratias agere cum redemtis; alioquin unde sciebat, *Abaelardum* adhuc viventem non esse praedestinatum?

Objic. V. Qui praedestinati non sunt, non recipiunt ex morte Christi fructum, nisi gratias quasdam temporales, quas non omnes, sed aliqui e reprobis accipiunt, ut vocationem, fidem, justificationem. Ergo dicendum est cum *Jansenio Lib. III. de Grat. Salvat. cap.* 25. eo sensu pro iis mortuum esse Christum, quatenus gratias temporales iis obtinuit; quod vero pertinet ad aeternam salutem non magis pro iis mortuum esse, quam pro diabolo.

℟. *Neg. cons.* Cum enim gratia sit semen gloriae, et *fons aquae salientis in vitam aeternam Joan. IV.* 14. nec Deus umquam justificatos velit deserere, nisi ab iis deseratur, ut suo loco ostendemus; absurdum est, nedum impium asserere, Christum eo sensu pro nonnullis reprobis esse mortuum, ut impetraret iis temporales gratias,

tias, sine ulla antecedenti voluntate perducendi eos ad gloriam.

Inst. Ista antecedens Christi voluntas concors est voluntati Patris, qua *vult omnes homines salvos fieri*; utrumque enim conjungit Apostolus *I. Tim. II.* nempe Deum velle omnes homines salvos fieri, et Christum dedisse semetipsum redemtionem pro omnibus. Atqui ex Augustino *Lib. de corr., et grat. cap.* 15. *et Enchirid. cap.* 10. *et* 13 *et al.* illa Patris voluntas intelligenda est vel per metaphoram; quia Deus facit, nos id velle; vel de *generibus singulorum*; quia scilicet ex omni statu hominum vult Deus aliquos salvos fieri; vel per *distributionem accommodam*, quia nemo fit salvus, nisi ex voluntate Dei: et ex S. Thoma illa Dei voluntas est *secundum quid.* et *mera velleitas.* Ergo.

℟. *Dist. min.* Si voluntas illa referatur ad actualem gratiae largitionem, donum perseverantiae, et ipsam gloriam, *conc.* Si referatur ad praeparationem auxiliorum, quibus omnes salvi esse possent, si vellent; quae auxilia nonnulli in tempore non accipiunt, vel quia ea respuunt, vel quia occulto, et justo Dei judicio illis privantur, *neg.* Vide quae diximus *Lib. III.* de voluntate Dei *antecedenti* ad salutem perducendi omnes homines.

C A P. X.

De Incarnationis essentia, et proprietatibus.

§. I.

De essentia Incarnationis.

Adv. Ex iis, quae hucusque de Christo disputata sunt, facile est Incarnationis definire naturam; ejusque proprietates, ut erat propositum *Cap. II.* §. 4. explicare. Secundum nominis quidem vim incarnatio est unio Verbi cum carne, ut ait *Joan. I.* 14. *Verbum caro factum est*, unde et Graeci Patres eam dixerunt *ενσαρκωσιν*. Sed quia non solam carnem Verbum assumsisse ostendimus, ideo in hoc nomine, sicut et in

verbis

verbis Evangelistae, *caro* per *Synecdochen* totam significat humanam naturam. Quod non est in Scripturis insuetum. Legimus enim *Gen. VI.* 12 *Omnis caro corruperati viam suam*, et *Luc. III.* 6. *Videbit omnis caro salutare Dei.* At nonnulli Graeci Patres, ut haereticorum errores praecaverent, incarnationem dixerunt *ἐνανθρώπησιν*, *inhumanationem*. Ceterum ut absoluta habeatur Incarnationis definitio, sit.

PROPOSITIO

Incarnatio recte definitur: Unio hypostatica Verbi divini cum humana natura vera, tota, et integra in unitatem personae, ad redimendum vere, et proprie genus humanum.

Prob. et expl. Dicitur 1.° *Unio hypostatica*, ut nomine incarnationis significetur non illa Dei operatio, qua divinam, humanamque naturam mire conjunxit, quae quidem operatio toti Trinitati communis est; sed illius operationis effectus, sive *terminus*. Quemadmodum si tres homines operentur, ad unum ex ipsis veste induendum, operatio quidem tribus est communis, sed vestis assumtio unius est; 2.° *Verbi divini*, contra *Patripassianos* haereticos. 3.° *cum humana natura*, non persona, contra *Nestorium*, qui duplicem in Christo personam invexit divinam, et humanam; 4.° *cum humana natura vera, tota, et integra*, contra eos haereticos, qui negabant vel Verbum assumsisse veram carnem, ut *Phantasiastae*, vel carnem nostrae similem ex *Maria* Virgine, ut *Valentiniani*, vel assumsisse animam rationalem, ut *Ariani*, et *Apollinaristae*. 5.° *in unitatem personae*, contra *Nestorium* simul et *Eutychen*; quorum ille duas in Christo esse personas affirmabat, hic vero asserebat, incarnationem esse factam in unitatem naturae. 6.° *ad redimendum vere, et proprie genus humanum*, contra Socinianos.

Juvat autem hic quaestiones aliquas inter Theologos agitatas breviter expedire.

Q.

Q. I. *Quid est unio hypostatica formaliter, sive natura sua?*

℟. Très sunt hac in re Scholasticorum opiniones. Nonnulli putant, *unionem hypostaticam* esse qualitatem aliquam supernaturalem, quam dicunt *gratiam unionis*, quae divinam personam, humanamque naturam in Christo connectit. Alii vero, ut *Suarez*, et *Vasquez* asserunt, esse *modum* quemdam *substantialem* distinctum ab utroque extremo. Alii denique, ut *Cajetanus*, *Alvarez*, aliique post *S. Thomam* verisimilius docent, nihil esse medium inter Verbum, et naturam humanam, quod illa nectat; ideoque unionem hypostaticam non aliud esse, quam relationem humanae naturae ad personam Verbi, in qua sine ullo *medio* subsistit, sicut anima rationalis sine ullo *substantiali medio* conjungitur corpori. Vide *S. Thomam in III. Dist. II. Q.* 2. *art.* 2.

Q. II. *Quid est unio hypostatica* active *spectata*, *quae* unitio *dici solet*, *seu per quam Dei actionem Verbum carni conjunctum est?*

℟. Licet reipsa una sit; et simplicissima Dei actio, tamen cum termini varii sint, ideoque distinguantur *ex gr.* creatio ex nihilo, productio ex jam extante materia etc. ideo censent Theologi nonnulli, creationem animae Christi, generationem corporis, et utriusque *unitionem* cum Verbo tres esse distinctos actus, quorum tres diversi distinguuntur termini. Alii vero, nostro quidem judicio melius docent, unam esse; eandemque actionem, qua natura Christi humana creata est, et Verbo conjuncta. Omnis enim creatio aliquam *subsistentiam* rei creatae dare debet; cum fingi non possit res ulla creata, quae nullum habeat *suppositum*. Cum ergo naturae humanae in Christo suppositum sit ipsum Dei Verbum, consequens esse videtur, per unam eandemque actionem Deum naturam Christi humanam et creasse, et Verbo conjunxisse. Atque id congruentius videtur sententiae Patrum. Inquit enim Leo M. *Epist. XI. ad Julian. Natura nostra non sic assumta est, ut prius creata, postea assumeretur, sed ut ipsa assumtione crearetur.*

Q. III. *Utrum unio hypostatica omnium maxima sit?*

℟. Affirmant omnes Theologi, uno fortassis excepto Du-

Durando, post unionem trium SS. Trinitatis Personarum, *unionem hypostaticam* maximam esse omnium, quae excogitari possunt in quocumque composito. Nulla enim major unitas excogitari potest, quam si unum cum altero non solum conjunctum sit, sed et in illo subsistat. Hinc Bernardus *Lib. V. de Consid. Cap.* 8. *Inter omnes*, inquit, *unitates arcem tenet unitas Trinitatis*, *in qua tres Personae una sunt substantia*, *secundo loco illa praecellit*, *in qua e contrario tres substantiae sunt una in Christo persona.*

Q. IV. *Utrum unio hypostatica facta sit a primo conceptionis momento?*

℟. Affirmant Catholici omnes; imo id fidei dogma est contra Nestorii errorem. *Carnis adunatio*, inquit Athanasius *Lib. I. de Incarnat*, *n.* 4. *cum Divinitate Verbi ex utero facta est . . . non quidem ejusmodi*, *ut ante Verbi adventum extiterit*; Et Augustinus *Lib. XIII. de Trin. cap.* 17. *Ex quo homo esse coepit*, *ex illo est et Deus.* Idem docent Leo M. *Epist. XXV. al. XI.* aliique.

Quod ergo Cyrillus *Epist. II. ad Successum* dicit, *duas esse Christi naturas ante unionem*, non significat ordinem temporis, sed naturae; quia scilicet natura prius est esse, quam uniri, ideoque mens nostra prius naturas duas intelligit existentes, quam conjunctas.

Q. V. *An hypostatica unio dici possit naturalis*, *et substantialis?*

℟. Dici debere naturalem, non quod ordinis naturalis sit, sed 1.° quia vera est, non fictitia, ut asserebant *Phantasiastae* 2.° quia *physica* est non moralis, ut asserebat Nestorius. Ideo Cyrillus *Anathem. III. unionem hypostaticam* naturalem appellare non dubitat; et Petrus Diaconus *Lib. de incarnat. cap.* 3. *Essentialem*, inquit, *sive naturalem factam naturarum unitionem omnimodis fatemur.* Ob eandem rationem, eodemque sensu Damascenus *Lib III. cap.* 3. eam appellat *substantialem Hanc unionem substantialem dicimus*, *hoc est veram*; *et non imaginariam.*

Q. VI. *Utrum unio hypostatica sit indissolubilis?*

℟. 1.° Hac in re errasse nonnullos. Etenim 1.° *Origenes* a *Theophilo Epist. II. Paschali*, et *Hieronymo Epi-*

pist. XCIX. ad Avitum, praeter cetera reprehenditur, quod affirmarit, in fine mundi corpora omnia, et ipsam Christi naturam humanam in nihilum fore redigendam. 2.° Marcellus Ancyranus ex Eusebio Lib. II. Eccl. Hist. cap. 13. docuisse dicitur, Christum ultimo judicio peracto, quasi perfunctum omni officio suo, humanam naturam relicturum, eamque redacturum in nihilum. 3.° Ariani teste Nazianzeno Orat. XXXVI. putarunt, Verbum, instante Christi morte, conterritum ab eo recessisse: 4.° Nonnulli ex Patribus sensisse videntur, Verbum in triduo mortis Christi a corpore recessisse, ut Tertullianus Lib. cont. Prax. cap. 30. Hilarius in Matth. cap. 33. n. 6. aliique (a). 5.° Gravissima exarsit anno MCCCCLXII. inter Dominicanos, et Franciscanos controversia, utrum Verbum in triduo mortis sanguini in passione effuso conjunctum permanserit. Affirmantibus Dominicanis, Franciscanis negantibus, Pius II. rem definire noluit, sed utrisque silentium indixit, licet in Dominicanorum sententiam penderet. Vide Spondanum ad an. 1462. 6.° Denique disputatur, utrum aliquae saltem sanguinis guttae vel in passione, vel saltem ante passionem (ut in circumcisione) effusae a Christo in terris relictae sint, a Verbo tamen sejunctae. Hujusmodi enim reliquiae alicubi esse perhibentur; ut in Galliis in vasculo Carisii asservato, teste Innocentio III. Lib. I. de Myst. Missae Cap. 5. et in terra sanguine coloris Massiliae in antro S. Magdalenae a Dominicanis servata, de qua Sylvester (in Rosa aurea); Mantuae in ampulla vitrea, de qua Baronius ad an. DCCCIV. Taurini in sancta Syndone, denique in instrumentis passionis, nempe lancea, spina, clavis, quae sanguineo colore tincta ostenduntur.

℞. 2.° Fidei dogma est, unionem hypostaticam Verbi cum humana natura esse indissolubilem, et in aeter-

num

(a) Eusebius Lib. IV. Dem. Evang. cap. 23. Epiphanius Haeres. Herodian et Arian. Ambrosius Lib. X. in Luc. et in Expos. Symb. cap. 13.

num duraturam. Quod quidem manifestum est ex Scripturis, quae Christum, ejusque Regnum, et sacerdotium aeternum fore testantur. *Dan. VII.* 14. *Potestas ejus, potestas aeterna ... et regnum ejus, quod non corrumpetur*. Ps. CIX. et Hebr. VII. *Tu es sacerdos in aeternum*. Heb. XIII. 8. *Christus heri, et hodie: ipse et in saecula*. Luc. I. 33. *Regni ejus non erit finis*, quod et in Symbolo profitemur. Idem docent Patres, Basilius *Ep. LXIX. al. LII.* Cyrillus Hieros. *Cathech. XV. num.* 27. et alii supra laudati; qui *Origenis*, et *Marcelli Ancyrani* contrarium errorem refutarunt: unde Concilium Chalcedonense *Act. V.* definit, utramque Christi naturam in unam personam concurrisse *indivisibiliter, et inseparabiliter*.

℟. 3.° Eadem fide constat, Verbum tum carni, tum animae Christi in triduo mortis conjunctum permansisse; quod probatur non solum ex definitione Chalcedonensis Synodi paulo ante memorata, et ex Symbolo, in quo profitemur, ipsum Christum fuisse sepultum, et descendisse ad inferos (Christus enim non est corpus, aut anima sola) sed etiam ex Scripturis. Nam *I. Pet. III.* 19. dicitur Christus in anima descendisse ad inferos, ubi *et his, qui in carcere erant, spiritibus ... praedicavit*: et *Psal. XV.* fuisse in sepulchro. Idem docent Patres. Leo M. *Serm. XVII. de Pass. cap.* 1. ait, ambas Christi naturas *in tantam unitatem .... convenisse, ut nec supplicio potuerit dirimi, nec morte sejungi*. Et Augustinus *Lib. cont. Felician. cap.* 14. *Sic in sepulcro carnem suam commoriendo non deseruit, sicut in utero Virginis connascendo formavit*. Hinc vulgatissimum in Scholis effatum ex *Damasceno* desumtum: *Quod Deus assumsit, nunquam dimisit*. Benigne ergo accipiendi sunt Patres illi, qui Verbum ajunt in triduo mortis corpus deseruisse; intelligendi enim de cessatione quadam protectionis, atque defensionis ab inimicorum injuriis.

℟. 4.° Dogma fidei non est, quamvis sit inter Catholicos certum, Verbum a sanguine Christi in passione effuso non fuisse sejunctum. Dogma fidei, inquam, non est, tum quia *Pius II.* id definire noluit, tum quia non extat post *Pium II.* hujusmodi definitio. Quod enim aliqui

qui scribunt, id definitum a *Clemente* VI. verum non est; cum coegerit tantummodo *Clemens* Concionatorem quendam, qui contrarium asseruerat, palinodiam canere in Cathedrali Ecclesia Barcinonensi, ut testatur Sylvester (*Rosae aur. Tract. III.*) Certum tamen est id, atque exploratum inter Catholicos, tum ex supra laudato *Damasceni* effato, *quod Deus assumsit, numquam dimisit*, tum ex *Extravag. Unigenitus De Poenit. et Remiss.* ipsius *Clementis VI.* qui hoc tamquam certum habet, cum ait, unicam sanguinis Christi guttam, *propter unionem cum Verbo fuisse sufficientem pro redemtione totius humani generis*; tum denique ex communi Scholarum sensu; ex quo *Suarez*, aliique docent, contrariam sententiam, licet non haereticam, tamen ut minus piam, adde etiam ut *erroneam* rejiciendam esse.

℟. 5.° Non est contra fidem, neque *erroneum*, si dicatur, aliquam sanguinis guttam, praesertim ante passionem, ut in circumcisione, effusam, a Verbo in terris relictam, cum id declaraverit Pius II. *Epist. ad Abb. S. Mariae Sancton. ap. Sylv. Ros. aur.* atque eam sententiam sequitur S. Thomas 3. *P. Q. LIV. art.* 2. de sanguine in circumcisione effuso. Nam sanguis, qui in phiala alicubi asservari dicitur, ille potius esse fertur, qui ex imagine Christi a Judaeis Beryti confixa, manasse perhibetur, de quo vide Baronium in *Martyrol.* 9. *Novemb. et in Annal. an. DCCLXV.* Qui vero in instrumentis Dominicae passionis apparet, color potius sanguineus, quam sanguis est.

Q. VII. *Utrum singulas humanae naturae partes Verbum ἀμέσως sive immediate assumserit?*

℟. Carnem, sanguinem, et singulas partes ad integritatem humanae naturae pertinentes, a Verbo *immediate* assumtas eo ipso, quod immediate naturam humanam assumsit; Patres tamen docent, Verbum assumsisse corpus, *mediante anima. Verbum incommutabile, ait* Augustinus *Ep. CXL. al. CXX. cap.* 4. *nihil in deterius commutatum, particeps carnis effectum est, rationali anima mediante.* Similia docent Nazianzenus *Orat.* I. Ambrosius *Tract. de Symbolo cap.* 13. Gregorius M. *Lib. XVIII. Moral, cap.* 20. Quod dictum est a Patribus contra *Apollinaristas* auferentes Christo rationalem animam,

 eo-

eoque sensu intelligendum est, nempe Verbum non assumturum fuisse corpus, nisi esset animatum.

Q. VIII. *Utrum Verbum assumserit naturam singularem, et individuam.*

℟. Ita quidem necessario sentiendum est; natura enim non est, nisi in singularibus, et individuis. Quod ergo nonnulli Patres scribunt, naturam a Verbo assumtam esse generalem, et communem, intelligendum est de natura ejusdem generis, et conditionis, ac nostra. Nefas tamen est dicere, Verbum assumsisse individuum naturae humanae, hoc enim humanam etiam significaret personam.

Q. IX. *Utrum natura humana in Christo sicut propria caruit subsistentia, ita etiam caruerit propria existentia.*

℟. Minime; natura enim non existens, nihil est; licet non desint, praesertim e Thomistis, qui contrarium teneant, non solida tamen ratione suffulti. Quod ergo aliqui Patres docent, naturam Christi humanam habere *extantiam* in Verbo, ut ait Damascenus *Lib. III. cap.* 12. et Sophronius Hieros. *Epist. Synod. apud Conc. VI. act. XI.* significat tantum contra Nestorianos, naturam humanam in ipsa Verbi *hypostasi* subsistere.

Q. X. *Utrum Verbum assumere potuerit naturam incorpoream, aut irrationalem?*

℟. Utrumque quidem potuisse. De natura enim incorporea id patet ex Apostolo *Heb. II.* 16. qui in hoc charitatem Dei erga homines commendat, quod *nusquam Angelos apprehendit, sed semen Abrahae apprehendit*: poterat ergo Angelicam naturam assumere. De natura vero irrationali patet ex eo, quod paulo ante diximus *ad Q. VI.* ℟. 3. Si enim Verbum in triduo mortis corpori inanimato, et sanguini mansit conjunctum, quidni inanimatam naturam potuisset assumere? Sed neutrum decuit; id enim decebat Verbum assumere, quod redimendum erat.

Q. VI. *Utrum tres divinae personae unam, eandemque naturam; aut una persona plures naturas assumere potuerit.*

℟. Quamvis de hac quaestione gravis extiterit inter Scholasticos controversia, Thomistis affirmantibus, negantibus vero Scotistis; nobis tamen utrumque a Deo fieri

fieri potuisse videtur. Primum quidem, quia sicut una Dei natura in tribus personis est; ita una humana natura a tribus personis assumi, atque in iis subsistere poterat, essetq. tunc unus homo in tribus personis. Alterum vero multo magis, quia assumtione naturae unius non est ita exhausta Dei virtus, ut aliam naturam assumere eadem persona nequeat; et quia homo personam significat, esset tunc unus homo duas naturas habens. Sed hujusmodi quaestiones, quae parum, aut nihil utilitatis habent, libenter omittimus.

§. II.

Utrum ratione naturali demonstrari possit, incarnationem esse possibilem.

Adv. I, Non quaerimus hic de demonstratione, quae ab externa Dei revelantis auctoritate ducitur. Certum enim est, ex quo Deus mysterium incarnationis peractum esse revelavit, evidenter hinc sequi, illud esse possibile; *ab actu* enim *ad posse*, ut ajunt, manifesta conclusio est. Sed in eo versatur quaestio, utrum ex intimis rei principiis evinci possit, possibilem esse incarnationem; seu quod idem est, non repugnare.

II. Haec autem demonstratio, quae ex internis deducitur rei principiis, duplex est, *positiva* et *negativa.* Positiva demonstratio est, cum ex ipsa rei natura possibilem eam esse ostenditur, sicut ex ipsa natura montis, atque auri ostendimus, montem aureum possibilem esse, At negativa domonstratio dicitur, cum non possumus ex ipsa rei natura illam evidenter edocere; sed omnia argumenta, quae contra objiciuntur, dissolvimus.

III. Ethnici, Sociniani, et recentiores increduli contendunt; mysterium Incarnationis non posse negative demonstrari.

PROPOSITIO

Non potest ratione naturali positive demonstrari, mysterium incarnationis esse possibile, potest vero demonstrari negative, saltem posita revelatione, quoad homines.

Prob. 1a. *pars.* I. ex Scripturis, quae mysterium hoc creatis mentibus impervium sola revelatione cognosci posse, docent, *Colos. I. 26. Mysterium, quod absconditum fuit a saeculis, et generationibus, nunc autem manifestum est sanctis ejus, quibus voluit Deus notas facere divitias gloriae sacramenti hujus in gentibus, quod est Christus.*

Prob. II. Concilium Tolet. XI. *cap.* 1. *Partus*, inquit, *Virginis nec ratione colligitur, nec exemplo monstratur; quia si ratione colligeretur, non esset admirabilis, si exemplo, non esset singularis*; quae sententia ex Augustino deprompta est *Epist. CXXXVII. al. III. ad Volus.* Ergo.

Prob. III. Naturale lumen haec duo evidenter ostendit 1.° quamlibet rationalem creaturam suam habere personam, et *subsistentiam*; 2.° inter creaturam, et Deum distantiam esse infinitam. Ergo non potest ex naturali lumine evinci, humanam naturam singularem, atque existentem propria persona carere posse, et subsistere in persona divina, a qua infinito distat intervallo.

Prob. 2a. *pars.* Illud potest negative demonstrari, quod licet non possit ex intimis sui principiis ostendi; non potest tamen contrariis argumentis, quae dissolvi nequeant, evidenter refelli. Atqui posita saltem revelatione, dissolvi possunt omnia argumenta, quibus adversarii conantur ostendere, mysterium incarnationis contradictionem involvere atque idcirco esse non posse, ut patebit ex solutione objectionum. Ergo.

Dixi *saltem posita quoad homines revelatione*, quia tanta est in argumentis, quae opponuntur, verisimilitudo, et species, ut sine revelatione numquam mens humana suspicaretur, in iis esse fallaciam; ac proinde illam nec quaereret, nec inveniret. De mente tamen Angelica alia ratio est. Ob-

Objectiones *cont.* 2m. *part.* triplici petuntur ex capite, ex persona scilicet Verbi, ex natura humana, et ex utriusque conjunctione.

Solvuntur objectiones ex persona Verbi petitae.

Objic. I. Si persona Verbi divini posset incarnari, posset utique mutari. Atqui Deum mutari contradictionem involvit, ut ostendimus *Lib. III.* Ergo etc. Torsit hoc argumentum ingenia Scholasticorum.

℟. *Neg. maj.* Sicut enim ex creatione non sequitur, mutatum esse Deum, sed creaturam, quae esse incepit, cum antea non esset; ita ex incarnatione non sequitur, mutatum esse Verbum divinum, sed humanam naturam, quae incepit esse, et subsistere in Verbo.

Inst. 1.° Qui fit verus homo, cum antea homo non esset, sine dubio mutatur. Atqui Verbum per incarnationem fit homo, cum antea non esset. Ergo.

℟. *Dist. maj.* Qui fit verus homo, novam formam adipiscendo, a qua perficiatur, *conc.* Terminando tantum humanam naturam, illamque mire perficiendo, *neg.* Mutatur igitur aliquid, cum aut novam perfectionem acquirit, qua carebat, aut aliquam perfectionem amittit, quam habebat. At Verbum per Incarnationem fit homo, nullam ex suis perfectionibus amittendo, nec ullam novam suscipiendo, sed potius perficiendo humanam naturam, quae in Verbo subsistere incipit. *Homo Deo quidem accessit, non Deus a se recessit,* inquit Augustinus *Ep. CXXXVII. al. III. ad Volus.*

Inst. 2.° Verbum per incarnationem nominatur, et fit intrinsecus, et *substantialiter* homo. Ergo novam in se recipit formam, a qua perficiatur.

℟. *Dist. ant.* Fit intrinsecus, et substantialiter homo per hypostaticam unionem cum humana natura, quam perficit, ut ultimum ejus complementum, *conc.* Fit intrinsecus homo, novam intrinsecus perfectionem adquirendo, *neg.* Per substantialem itaque unionem cum Verbo, humana quidem natura *substantialiter* perficitur, cum ejus substantia non in se, sed in Verbo subsistat. At Verbum nullam adquirit, nec potest adquirere perfectionem, infinite enim perfectum est.

Inst.

Inst. 3.° Nova denominatio in incarnatione non humanae naturae, sed ipsi Verbo accedit; unde dicitur *Joan. I.* 14. *Verbum caro factum est.* Ipsi igitur Verbo nova intrinsecus perfectio debuisset accedere.

℟. *Neg. cons.* Licet enim denominatio non naturae, sed personae semper tribuatur; non semper tamen novam perfectionem personae ipsi intrinsecus accessisse significat, sed satis est, si persona intime naturae assumtae conjungatur, eamque ut suppositum susteutet, atque perficiat, ut novam inde denominationem nanciscatur (a).

Objic. II. Si incarnatio esset possibilis, Verbum divinum pars esse posset alicujus compositi ex persona divina, atque humana natura. Atqui hoc repugnat; pars enim est aliquid imperfectum, et non completum. Ergo.

℟. *Neg. maj.* Cum enim Verbum Divinum sit infinite completum, atque perfectum; habere non potest rationem partis proprie dictae, sed termini, qui naturam humanam mire perficit.

Inst. Fieri non potest, ut duo conjungantur, atque unum totum efficiant, et tamen unum eorum non habeat rationem partis; sicut si duae aquae guttae conjungantur in unam, utraque gutta rationem partis habet. Et idem in omnibus accidit compositionibus. Ergo etc.

℟. *Dist. ant.* Si unum eorum non sit infinite perfectum, *conc.* Secus, *neg.* In omnibus compositionibus naturalibus ea, quae compositum constituunt, non sunt infinite perfecta, atque idcirco semper totum constituunt singulis partibus seorsim acceptis perfectius. At in hac compositione Dei, et hominis, cujus nullum est in creatis exemplum, res contra accidit.

Objic. III. Tres divinae Personae unam, eandemque habent naturam, Ergo contradictionem implicat, ideoq. possibile non est, unam incarnari sine aliis.

℟. *Neg. cons.* Unio enim facta non est in natura tribus personis communi; sed in persona Verbi, quae reipsa a persona Patris, et Spiritus Sancti distincta est; li-

(a) Hoc argumentum fuse, et subtiliter versat Gonetus in *Clyp. Tom. IV. De Incarn. disp. II. art. 1.*

licet per *circuminsessionem*, quae ex unitate naturae oritur, Pater, et Spiritus Sanctus sit etiam in persona Verbi. Unde Apostolus ait *Colos. I.* 19. *II.* 9. in Christo *inhabitare omnem plenitudinem Divinitatis corporaliter.*

Inst. 1.° Tres personae divinae in eo tantum distinguuntur, in quo inter ipsas oppositio relationis est. Atqui assumere naturam humanam, non significat relationis oppositionem inter filium, aliasque personas. Ergo.

℟. *Dist. min.* Assumere naturam humanam non significat oppositionem relationis, sed eam ante se supponit, ac significat, *conc.* Secus, *neg.* Assumere naturam humanam nihil aliud est, nisi eam terminare. Terminare autem naturam non est proprium naturae, sed personae. Cum ergo persona divina non possit mente concipi sine oppositione relationis ad alias; sequitur hinc, assumtionem humanae naturae necessario ante supponere, ac significare in persona assumente oppositionem relationis ad alias.

Inst. 2.° Assumere naturam humanam est opus Dei *ad extra*. Atqui nullum esse potest opus *ad extra*, nisi toti Trinitati commune. Ergo.

℟. *Dist. maj.* Est opus *ad extra*, si spectetur ut quaedam Dei operatio, *conc.* Tota enim Trinitas Incarnationem est operata. Si spectetur tantum quatenus significat esse *terminum*, seu *suppositum* humanae naturae, *neg.* In hoc enim sensu nullam operationem significat. Sic ex. gr. vestem induere, si significet actionem, qua vestis alicui aptatur, potest esse tribus, aut pluribus communis, at si significet tantum esse vestitum, nullam significat operationem, nec potest, nisi ei, qui veste amictus est, convenire.

Solvuntur objectiones, quae petuntur ex humana natura.

Objic. I. Natura humana non potest propria persona spoliari. Persona enim definitur a Boëtio: *rationalis naturae individua substantia.* Atqui humana natura simul ac existit, est rationalis naturae substantia individua; ergo contradictionem involvit, illam propria carere persona.

℟. *Dist. maj.* Persona est rationalis naturae individua substantia, si nomine *individuae substantiae* significetur natura tota in se existens, et quae idcirco alteri communicari nequit, sicut intelligitur in definitione *Boetii*, ut advertit S. Thomas *I. P. Q. XXX. art.* 1. *ad* 1. *conc.* Si eo nomine significetur natura singularis, *neg.* Similiter *dist. min.* Natura humana simul ac existit, est individua substantia, si nomine individuae substantiae intelligatur natura singularis, et determinata, *conc.* Si nomine illo intelligatur natura tota in se existens, et quae alteri communicari non potest, *neg.* Itaque cum nomen individuae substantiae duo significet, ut in distinctione explicavimus; fatemur, esse non posse naturam existentem, quin sit singularis, et determinata, eoque sensu individua: at negamus, esse non posse naturam rationalem creatam, quae non in se subsistat, sed ab alia persona nobiliori assumatur, ita ut non sui, sed alieni juris sit, ac proinde propria careat persona. Sic *ex. gr.* non potest esse aquae gutta, quae non sit singularis, et determinata; sed potest haec aquae gutta cum immenso conjungi aquae volumine, atque ita non in se, sed in alio subsistere.

Inst. 1.° Persona, et *subsistentia* ex sententia saniorum Theologorum ab ipsa substantia non distinguitur. Ergo repugnat, esse substantiam rationalem sine persona, et quamcumque substantiam sine sua *subsistentia.*

℟. *Dist. ant.* Non distinguitur reipsa, sive ut res a re, *conc.* Non distinguitur, ut modus a re, *neg.* Cum ergo substantia duobus modis possit existere, nempe vel in se tota, vel in alio; non repugnat, substantiam rationalem non existere totam in se, sed in Verbo, quemadmodum aquae gutta potest existere vel in se tota, vel in majori aquae volumine. Repugnaret quidem neutro modo existere, et nullam omnino habere personam, sed non repugnat existere uno ex duobus modis, hoc est non habere personam propriam, sed ipsam personam Verbi.

Inst 2.° Persona est ultima naturae perfectio, et complementum. Ergo repugnat, naturam humanam esse totam, et integram sine persona.

℟. *Dist. cons.* Sine persona vel propria, vel aliena nobiliori, *conc.* Sine persona propria, *neg.* Repugnat

itaque, esse naturam integram sine ulla persona; sed minime repugnat, naturam integram subsistere in aliena persona nobiliori, a qua mire perficitur.

Inst. 3.° Non potest idem simul esse, et non esse. Atqui posita incarnatione idem homo Christus esset infinitus, et finitus: aeternus, et temporalis. Ergo etc.

℟. *Dist. maj.* Eodem respectu, *conc.* Diverso, *neg.* Cum enim eadem persona naturas habeat duas, potest ambarum habere proprietates, sicut idem homo immortalis est animo, mortalis corpore.

Solvuntur objectiones petitae ex ipsa unione.

Objic. I. Inter finitum, et infinitum nulla est proportio. Ergo repugnat, simul necti Verbum infinitum cum natura finita.

℟. *Dist. ant.* Nulla proportio *entitatis*, ut Scholae ajunt, *conc.* *Habitudinis*, qualis intercedit inter perficiens, et perfectum, *neg.* (*a*).

Objic. II. Duo entia completa repugnat simul ita conjungi, ut constituant unum *per se.* Sed verbum divinum, atque humana natura duo entia completa sunt. Ergo.

℟. *Dist. maj.* Si sint ambo completa ratione naturae, et personae, *conc.* Si unum ex ipsis sit completum ratione naturae, sed non completum ratione personae, adeo ut ultimum sui complementum accipiat a persona divina, in qua subsistit, *neg.*

Solvuntur objectiones contra primam propositionis partem.

Objic. I. Potest mysterium incarnationis *positive* demonstrari evidenter credibile. Ergo potest demonstrari evidenter possibile.

℟. *Dist. ant.* Potest demonstrari evidenter credibile ex au-

---

(a) Scolast. *Inter perfectivum, et perfectibile.*

auctoritate externa Dei revelantis, *conc.* Ex interioribus rei principiis, *neg.*

Inst. Posita auctoritate Dei revelantis, cum dissolvuntur omnia contraria argumenta, demonstratur rem non repugnare. Atqui demonstrando rem non repugnare, demonstratur possibilis. Ergo.

℟. *Dist. maj.* Demonstratur *negative*, rem non repugnare, *conc.* Demonstratur *positive*, *neg.* Licet autem mens dissolvat omnia argumenta contraria; tamen cum non demonstret ex interioribus caussis, rem esse possibilem, dubitari potest, an sint alia principia nobis ignota, quae evidenter demonstrent, rem non esse possibilem. Ex sola autem auctoritate Dei revelantis scimus, mysterium incarnationis esse peractum, ideoque nulla esse posse alia principia, quae ostendere possunt, illud contradictionem involvere, ideoque possibile non esse.

Objic. II. Saltem intellectus Angelicus cum naturam humanam comprehendat, omnesque modos, quibus illa possit subsistere, vel in se, vel in alio; potest etiam cognoscere, nihil repugnare, si natura humana subsistat non in propria, sed in aliena persona; ideoque etiam in persona Verbi, cujus infinita est terminandi virtus. Ergo saltem intellectus Angelicus potest *positive* demonstrare, incarnationem esse possibilem.

℟. *Neg. seq. ant.* Tanta enim est distantia inter naturam finitam, et personam Verbi, quae est infinita, ut etiam intellectus Angelicus, licet comprehendat omnes naturales existendi modos naturae humanae, ostendere non possit *positive*, non repugnare, quod natura finita subsistat in persona infinita; qui quidem subsistendi modus omnino supernaturalis est, nec ab ullis naturalibus humanae naturae principiis deduci potest. Imo cum unaquaeque natura propriam personam postulet, verosimilius est, Angelum, licet naturam humanam comprehendat, non posse tamen naturali lumine cognoscere, illam propria persona spoliari posse.

Objic. III. Patres saepe dogma incarnationis exemplo animae rationalis, et carnis illustrant: *Sicut anima rationalis, et caro unus est homo, ita Deus, et homo unus est Christus*; ut habetur in symbolo, quod Athanasio tri-

tribuitur. Item utuntur exemplo rami, qui alienae arbori inseritur, aliisque similibus. Ergo potest naturali lumine. Incarnationis mysterium ostendi possibile.

℟. *Neg. cons.* Ea enim exempla multum ab incarnatione discrepant. Sic anima rationalis, et caro, sunt duae verae partes non completae, et finitae, quarum neutra in unione retinet *subsistentiam* suam, sed subsistunt ambae subsistentia totius, nempe hominis. At contra accidit in incarnatione. Idem dicas de aliis exemplis, quae Patres afferunt non ad revincendos incredulos, sed ad edocendos aliqua ratione fideles.

§. III.

De fine, seu motivo Incarnationis.

Adv. I. Catholici omnes consentiunt, redemtionem humani generis fuisse rationem, ac finem incarnationis.

II. *Origenes* affirmavit, Verbum incarnatum esse etiam ad liberandos daemones.

III. Inter Catholicos gravis quaestio agitatur inter Scotistas, atque Thomistas. *Scotus* enim, ejusque Schola docet, Verbum Divinum, etsi Adam non peccasset, fuisse in carne venturum, non quidem passibili ad redimendos homines, sed impassibili, ut esset Doctor, et Caput hominum, et Angelorum. Thomistae contra, et reliqui fere omnes Theologi, docent, Adamo non peccante, Verbum non fuisse in carne ullo modo venturum.

PROPOSITIO I.

Verbum caro factum est ad homines, non vero daemones redimendos. Est dogma fidei.

Prob. 1a. *pars.* I. ex Scriptura. *Luc.XIX.* 10. *Venit Filius hominis quaerere, et salvum facere quod perierat.* Joan.III.17. *Misit Deus Filium suum in Mundum .... ut salvetur Mundus per ipsum* I. Tim. I. 15. *Fidelis sermo, et omni acceptione dignus: quod Christus Jesus venit in hunc Mundum peccatores salvos facere.* Heb. II. 14. *Quia pueri communicaverunt car-*

carni, et sanguini, et ipse similiter participavit eisdem: ut per mortem destrueret eum, qui habebat mortis imperium, idest diabolum. Ergo.

Prob. II. *ead.* 1a. *pars* ex universali Ecclesiae fide in simbolo Nicaeno: *Qui propter nos homines, et propter nostram salutem descendit de Caelis. Et incarnatus est.*

Prob. III. ex unanimi PP. consensione, quorum loca referemus in altera *Prop.*

Prob. 2a. *pars.* ex iis, quae diximus *Lib V. Part. II.* ubi egimus de poena daemonum, quam ostendimus contra *Origenem* aeternam fore.

Scholion.

Fide certum est, venisse Christum ad redimendos homines tum ab originali peccato, tum ab *actualibus. Tit. II.* 14. *Dedit semetipsum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate*: I. Joan. I. 7. *ab omni peccato.* Consentiunt tamen Theologi, Christum praecipue propter peccatum originale advenisse, quippe quod latius grassatum est, universamque generis humani massam labefactavit, atque damnavit.

PROPOSITIO II.

Si homo non peccasset, Filius Dei non fuisset incarnatus.

Prob. I. ex Scripturae locis in superiori propositione recitatis, quae hunc unum commemorant, incarnationis finem, reparationem hominis lapsi: *Venit Filius hominis quaerere, et salvum facere quod perierat* Luc. XIX. 10. Ergo.

Prob. II. *ex PP.* qui non modo hunc unum finem incarnationis ponunt, verum etiam omnes alios rejiciunt. 1.° Irenaeus *Lib. V. Cap.* 13. *Si non haberet*, inquit, *caro salvari, nequaquam Verbum Dei caro factum esset*, 2.° Origenes *Hom. XXIV. in Num. Si non fuisset peccatum ... mansisset hoc, quod in principio erat. Deus Verbum. Verum quoniam introivit*

troivit peccatum in hunc mundum ... necessarium fuit provideri hostiam pro peccato. 3.° Augustinus *Serm. CLXXIV. al. VIII. de Verb. Apost. Si homo non periisset, Filius hominis non venisset.* Idem docet Athanasius; Chrysostomus, et alii (*a*).

Objectiones refutantur.

Objic. I. Cum Scriptura docet, Filium Dei venisse ad redimendos homines, non negat, imo aperte statuit alios Incarnationis fines; 1.° ut esset Christus *Dux, et Praeceptor gentium Isaiae LV.* 4. 2.° *Lux quae illuminat omnem hominem* Joan. I. 9. et III. 19. 3.° *Caput omnium hominum etc.* Ergo etiam non peccante homine, non defuissent aliae rationes, propter quas Verbum Dei fuisset incarnatum.

℟. *Dist. ant.* Scriptura ponit alios incarnationis fines, tamquam appendices redemtionis, et reparationis humani generis, *conc.* Alios fines primarios, et non pendentes ab hominum reparatione, *neg.* Itaq. cum homo per peccatum fuerit in intellectu excaecatus, et in voluntate ad deteriora inclinatus, opus utique habebat tum luce, et doctrina, quae illustraret intellectum, tum exemplo; et gratia, quae voluntatem sanaret. Ideo Christus redemtor datus est in lucem, praeceptorem, ducem, pastorem, et Caput hominum.

Objic. II. Cum Patres asserunt, Verbum non fuisse in carne venturum, si homo non peccasset, intelligendi sunt de carne, quam Verbum revera assumsit, scilicet de carne passibili, at nusquam negant, Filium Dei alio modo fuisse venturum, nempe in carne gloriosa, atque impassibili, si homo non peccasset. Ergo nihil ex sententiis Patrum inferri potest.

℟. *Neg. ant.* Qui enim nulla adhibita distinctione affirmant, Verbum Dei, si homo non peccasset, nequaquam

(a) Athanasius *Or. II. cont. Arian.* Chrysostomus *Hom. XXXI in Matth.* Ambrosius *Lib. de Incarn. Cap.* 6. Leo M. *Serm. III. De Pentec.* Gregorius M. *Lib. V. in Lib. Reg. cap* 2. *etc.*

quam in carne fuisse venturum, ii sine dubio excludunt omnem incarnationis modum, alioquin falsa esset eorum doctrina. Quemadmodum si Verbum venisset in carne impassibili, falsus esset qui assereret *Filius Dei nequaquam venit: non est incarnatus etc.* intelligens non venisse eum in carne passibili.

Objic. III. Christus dicitur esse ante omnem creaturam *Prov. VIII. 22. Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequam quidquam faceret a principio*: *Primogenitus omnis creaturae Coloss. I. 15.* Atqui non venit revera ante omnem creaturam, sed in plenitudine temporis. Ergo praedestinatus est antequam decerneretur rerum creatio, ac proinde venisset etiam non peccante homine.

℟. *Dist. maj.* Christus est ante omnem creaturam, ut Deus, *conc.* Ut homo, *subdist.* Ratione dignitatis, *conc.* Ratione ordinis, seu intentionis, *neg.* Itaque recitata Scripturae loca proprie significant, Verbum ab aeterno fuisse genitum a Patre, cum praesertim in laudato loco *Proverb. VIII.* ipsa Sapientia post ea verba *Dominus possedit me*, quae secundum Hebraicam phrasim significant: Dominus genuit me, ut diximus *Lib. III.* subjungit: *cum eo eram cuncta componens.* Et in laudato Apostoli loco *Colos. I.* dicitur: *Qui est imago Dei invisibilis, primogenitus omnis creaturae: quoniam in ipso condita sunt universa in caelis, et in terra, visibilia, et invisibilia ... omnia per ipsum, et in ipso creata sunt*, quae de Verbo Dei manifeste sunt intelligenda. Sed quia nonnulli Patres ea loca de Christo homine intellexerunt, ideo dicimus, eum esse *ante omnem creaturam, omnis creaturae primogenitum*, quia omnes dignitate antecellit; unde dicitur etiam *Jeremiae XXXI. 9. Ephraim primogenitus meus*, eum tamen constet, eum revera primogenitum non fuisse.

Objic. IV. Christus ex Apostolo est finis, ad quem omnia creata referuntur, Caput omnium hominum, et Angelorum, omnis principatus, et potestatis *Colos. II. 10. Heb. II. 10. Decebat eum, propter quem omnia, et per quem omnia ... auctorem salutis eorum per passionem consummari.* Atqui finis *in intentione* prior est, quam *media*. Ergo Christus prius praedestinatus est, quam

quam omnia creata, ac proinde praedestinatus est etiam ante praevisum Adami peccatum; ideoque venisset, etiam homine non peccante.

℟. *Neg. cons.* Primo quia Christus est omnium finis, ut Deus; unde in laudato Apostoli loco dicitur *propter quem omnia, et per quem omnia*, quae conveniunt Christo ut Deo creatori. Deinde quia Christus, etiam ut homo, propter divinam personam, et infinitum meritum, res omnes infinito intervallo praecellit dignitate; ideoque posito incarnationis decreto propter homines redimendos, voluit Pater, ut ad Christum omnia referrentur, essetq. ipsorum Angelorum caput.

Objic. V. Cyrillus *Lib. I. Thesauri cap.* 8 *Praefundatur*, inquit, idest praedestinatur; *ante nos Christus, et in illo nos omnes superaedificamur*, *idque ante initium mundi in praescientia Dei, ut cum ordine divina benedictio maledictionem antecesserit*. Tum addit; *Creator noster, Christus nostrae salutis fundamentum, etiam ante initium mundi fundavit, ut si praevaricatione caderemus, in ipso rursus renovaremur.* Ergo Christus praedestinatus est ante praevisionem peccati.

℟. *Neg. cons.* Vult enim Cyrillus, Christum praedestinatum esse ante creationem hominis, ejusque peccatum, sed non ante peccati praevisionem, quippe ita subdit: *Sciebat enim, mortales nos futuros per peccatum, et ideo ex misericordia sua ante saecula constituit, ut Verbum suum homo fieret.* Quae quidem sententia plane ostendit, verba illa, quae in objectione posita sunt, *praevaricatione caderemus*, non significare conditionem incertam, sed certo futuram.

Objic. VI. Adam ante lapsum cognovit incarnationis mysterium, et Hevae formationem ex suo latere esse figuram Ecclesiae Christo conjungendae, et tamen non fuit sui peccati praescius, ut docet Augustinus *Lib. XI. de Gen. ad lit. cap.* 16. Ergo Christus venturus fuisset, etiam non peccante Adam.

℟. *Neg. cons.* Non aliud enim sequitur ex Augustini doctrina, nisi Adam cognovisse futuram incarnationationem, sed ignorasse, antequam peccaret, ejus rationem, et causam.

Objic. VII. In operibus Dei nihil est inordinatum,

 Atqui

Atqui rectus ordo non patitur, ut quod est perfectius, nempe Verbi incarnatio, referatur ad minus perfectum, sive ad hominis redemtionem. Ergo affirmandum est, non esse hunc unicum incarnationis finem, ita ut, homine non peccante, Filius Dei non veniret.

℟. *Dist. min.* Rectus ordo non patitur, ut quod magis perfectum est ad imperfectius referatur, tamquam ad finem ultimum, *conc.* Tamquam ad finem proximum, qui ad alium finem, sive ad bonum longe majus, atque perfectius referatur, *neg.* Itaque Incarnatio refertur quidem ad finem proximum redemtionis hominum, sed ipsa hominum redemtio ad finem ultimum gloriae Dei dirigitur, ad quam omnia referuntur; *universa enim propter semetipsum operatus est Dominus. Prov. XVI. 4.*

Inst. Magis amatur finis, quam *media*. Ergo si hominum redemtio est unicus Incarnationis finis, magis Deus amasset homines, quam Verbum incarnatum, sive Christum, quod absurdum est.

℟. 1.° Hoc argumentum nimis probare. Cum enim adversarii fateantur, adventum Christi in carne passibili ordinatum esse ad finem redemtionis hominum, sequeretur, Deum magis amasse homines, quam Verbum carne passibili indutum, quod cum sit absurdum, dicendum esset, Verbum assumturum fuisse carnem passibilem, etiam non peccante homine, quod nemo sanus affirmaverit.

℟. 2.° *Dist. ant.* Magis amatur *finis*, quam *media*, si sit finis ultimus, *conc.* Si sit finis *intermedius*, *subdist.* Aliquando, *conc.* Semper, *neg.* Sic aliquis aurum impendit, ut componat medicinam, quam minus auro diligit, quia medicina finis est medius ad alium finem ordinatus, hoc est ad sanitatem, quæ magis diligitur, quam ipsum aurum. Pari ratione Deus Verbum incarnatum ordinavit ad hominum reparationem, quæ minus diligitur, quam ipse Christus, quia hominum reparatio finis est medius, qui ultimo refertur ad Dei gloriam, imo et ad gloriam ipsius Christi reparatoris.

Objic. VIII. Si Verbum non fuisset incarnatum, homine non peccante, sequeretur humanam naturam lætari posse de peccato, utpote ex quo in tantam dignitatem evecta est. Sed hoc absurdum est. Ergo.

℟. *Neg. seq. maj.* Non enim tanta bona ex peccato,

sed ex Dei bonitate in nos derivata sunt; imo quisquis de Incarnatione Filii Dei vere gaudet, nihil magis, quam peccatum odisse debet, ad quod abolendum Filius Dei venit. Canit quidem Ecclesia. *O felix culpa, quae talem, ac tantum meruit habere redemtorem!* Sed eorum verborum is sensus est, hominem reum aeternae mortis esse felicem, quia culpa ei per talem, ac tantum Redemtorem dimissa est.

§. IV.

Utrum Incarnatio fuerit conveniens Deo, homini, et tempori, quo peracta est.

Adv. I. Sociniani, et ceteri haeretici, qui Incarnationis veritatem impugnarunt, contendunt, nequaquam fuisse conveniens, sive nequaquam decuisse, ut Deus carnem assumeret.

II. Hic igitur quaerimus, utrum incarnatio fuerit conveniens Deo, homini, totique universo, ac tempori.

PROPOSITIO I.

Incarnatio fuit Deo conveniens, hoc est divinam majestatem maximè decuit. Haec propositio, ut et tres sequentes, ad fidem pertinet.

Prob. Illud maxime Deum decuit, in quo maxime ejus attributa refulgent. Atqui in incarnatione divina attributa maxime refulgent, ut bonitas, sapientia, omnipotentia, charitas, misericordia, justitia. Ergo.

1.° In incarnatione maxime refulget Dei bonitas. Ea enim est natura boni, ut se cum aliis communicet, ut *S. Thomas* observat. At in incarnatione maxime Deus seipsum cum creatura communicavit, ita ut fieret Deus homo, et homo esset Deus. Ergo.

2.° Dei sapientia maxime in incarnatione emicuit, per quam scilicet decentissimam invenit rationem jungendi simul misericordiam, atque justitiam, hominemq. ab irreparabili ruina liberandi.

3.° Omnipotentia, per quam duo extrema infinite di-

distantia tam arcte secum conjuncta sunt, ut homo non solum Deo conjunctus esset, sed esset vere Deus.

4.° Charitas; *Sic enim Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret.* Particula autem illa *sic* amoris magnitudinem ostendit, ut advertit *Chrysostomus.*

5.° Misericordia, et justitia, quia *proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum,* ita ut infinita misericordia simul, et infinita justitia Dei maxime in hoc mysterio eluxerint, ut supra contra Socinianos explicavimus *Cap. IX. §.* 1. Ergo. etc.

Objecta refutantur.

Objic. I. Non decet summam Dei majestatem humilem fieri, imo exinaniri. Atqui haec omnia sequuntur ex incarnatione. Ergo.

℟. *Dist. maj.* Non decet summam Dei majestatem humilem fieri etc. in propria natura, *conc.* In natura humana, *neg.* Verbum enim Dei in natura divina nec exaltationis nec humilitatis est capax, sed haec fecit in natura, quae humilis fieri, atque exaltari poterat. Ideo secundum hanc naturam *humiliavit semetipsum, et Deus exaltavit illum, et donavit illi nomen, quod est super omne nomen Philip. II.* 9.

Inst. Ipsa assumtio humanae naturae adeo vilis, et abjectae, si cum Deo comparetur, summam dedecet Dei majestatem. Ergo.

℟. *Neg. ant.* Non enim potest esse Deo indignum, quod infinitam ejus charitatem, potentiam, sapientiam maxime ostendit.

Objic. II. Prodigalitas non laudem meretur, sed in vitio est. Atqui prodigalitas est vitam pretiosissimam Filii Dei morti tradere pro vilissimis peccatoribus, qui etiam alia ratione, et modo liberari poterant. Ergo.

℟. *Neg. min.* Filius enim Dei traditus est morti, non ut a morte absumeretur, sed ut mortem moriendo destrueret, et resurgens immortalis mortuos vivificaret, in quo non prodigentia est, sed maxime Dei sapientia, potentia, aliaque attributa elucent. Poterat quidem alia ratione homini lapso succurri, sed nulla erat aptior ad

Dei

Dei gloriam ostendendam, quam incarnatio. Reliquas objectiones Socinianorum supra magna ex parte occupavimus, ubi de Christi satisfactione sermo fuit.

PROPOSITIO II.

Incarnatio fuit homini maxime conveniens.

Prob. Vel homo accipitur *in individuo* pro illa singulari humana natura, quae a Verbo assumpta est, vel *in specie* pro toto hominum genere. Atqui utroque modo incarnatio fuit homini maxime conveniens. Nam 1.° illa singularis natura ad tantam evecta est dignitatem, qua nulla major excogitari potest, ut scilicet homo ille esset Filius Dei naturalis, caput hominum, et Angelorum, et cultu latriae adorandus. 2.° Totum hominum genus mirum in modum evectum, ac nobilitatum est, non solum propter conjunctionem naturae unius individuae cum Verbo Dei, qui honor in totum genus redundat, verum etiam quia ex incarnatione facta est omnibus hominibus *potestas filios Dei fieri*, et esse divinae consortes naturae.

PROPOSITIO III.

Incarnatio fuit etiam Angelis, totique rerum universitati maxime conveniens.

Prob. 1.° Quia de ipsa hominum salute gavisi sunt Angeli. Si enim de *uno peccatore poenitentiam agente gaudium est Angelis Dei Luc. XV.* 1.° quanto magis de universali omnium electorum conversione, et salute? 2.° Quia hac ratione Angelorum ruina reparata est per homines, ut diximus in superiori Libro *Part. II.* 3.° Quia per peccatum omnium creatarum rerum ordo turbatus erat, cum homo creaturis, quas fecerat Deus in gloriam suam, usus sit ad inferendam ipsi Deo injuriam; quae quidem ordinis perturbatio per incarnationem ablata est; imperfecte quidem in hac vita, perfecte vero post resurrectionem; unde ait Apostolus *Rom. VIII.* 19. *Nam expectatio creaturae revelationem filio-*

filiorum Dei expectat : vanitati enim creatura subjecta est: non volens, sed propter eum, qui subjecit eam in spe. Et *Ephes. I. 10. Proposuit . . in dispensatione plenitudinis temporum instaurare omnia in Christo, quae in caelis, et quae in terra sunt in ipso.* 4.° Denique quia cum homo totius universi sit veluti quædam summa, et omnium creaturarum delibatio, quod homini conveniens est, universæ creaturæ conveniens judicari debet, ut in re simili docet Gregorius M. *Hom. XXIX. in Evangel.*

PROPOSITIO IV.

Incarnatio convenienti tempore fuit peracta.

Prob. I. Quidquid Deus facit, secundum omnes circumstantias ordinatissimum est. Ergo certissime tenendum est, incarnationem tempore convenienti esse peractam, licet ejus rationem reddere nesciremus.

Prob. II. Conveniens erat, ut tam grande mysterium, tantumque Redemtorem multa sæcula antecederent, multa sequerentur. Multa quidem sæcula antecederent, ut prædictus a Prophetis, postulatus a Patriarchis, diu expectatus ab omnibus, magno cum amore, ac desiderio exciperetur : *Quanto major judex veniebat, tanto longior praeconum series praecedere debebat,* inquit Augustinus *Tract. XXXI. in Joan.* Multa vero sæcula sequerentur, ne nimis arcta videretur esse tanti beneficii largitio. Ergo.

Dices. Post lapsum hominis unicum remedium voluit esse Deus, Verbi incarnationem. Ergo convenientius videbatur, statim post. Adæ lapsum homini perdito succurrere, statimque Verbum Dei incarnari, quam permittere tot hominum millia in æternum damnari.

℟. *Dist ant.* Et hoc remedium proderat etiam iis, qui incarnationem præcesserunt, si fidem haberent in Christum venturum, *conc.* Secus, *neg.* Statim enim post lapsum hominis revelavit Deus Adæ venturum liberatorem, in cujus fide fundata jam tum est Ecclesia, unde dicitur Christus *Apoc. XIII. 8. Agnus occisus ab origine mundi.* Quod autem multi hac fide abjecta perierunt,

culpa ipsorum est; non enim statim liberatorem venire oportebat, ne aut ipsum redemtionis beneficium vilesceret, aut parvi aestimaretur peccatum, quod tam cito, tamque facile reparabatur.

PROPOSITIO V.

Etsi Pater etiam, et Spiritus Sanctus poterant incarnari, convenientius tamen fuit incarnari Filium.

Prop. 1a. *pars*, quae apud Theologos omnes certa est, atque explorata. Eadem virtus assumendi, et terminandi naturam humanam, quae est in Filio, est etiam in Patris, et Spiritus Sancti persona. Ergo.

Prob. 2a. *pars*, ad fidem pertinens. 1.° Quia *cum omnia* per Verbum *facta sint*, conveniens erat, ut per ipsum omnia repararentur, ut advertit Leo M. *Serm.* XII. *de Pass. Dom.* et ante eum Athanasius *Lib. de Incarn.* ex Apostolo *Heb. II.* 1.° Nam artifex, ait *S. Tomas*, per eandem artem, qua opus condidit, illud restaurat; si forte pessumdetur. 2.° Quia magis decebat, ut unus, et idem esset Filius Dei ab aeterno genitus ex Patre, atque in tempore genitus ex Virgine Matre. Vide S. Thomam 3. *P. Q. III. art.* 8. qui et alias hujus decentiae a Patribus etiam traditas exponit rationes.

§. V.

De necessitate Incarnationis.

Advert. I. Necessitas duplex est, absoluta, et *hypothetica.* Absoluta est, qua res in quavis hypothesi, aut caussa aliter se non potest habere. *Hypothetica* est, per quam, statuta aliqua hypothesi, se res aliter habere nequit.

II. Certum est, incarnationem non fuisse absolute necessariam; solus enim Deus ens absolute necessarium est. Cetera omnia ex libera Dei voluntate pendent. Quaerendum est ergo, utrum in aliqua *hypothesi* incarnatio necessaria fuit.

III. Plures autem hic quaestiones agitantur in Scholis, 1.° utrum in *hypothesi* creationis mundi necessaria fuerit incarnatio; 2.° utrum necessaria fuerit in *hypothesi* peccati primi hominis; 3.° utrum in ea *hypothesi*, qua Deus hominem lapsum voluerit uteumque reparare, incarnatio fuerit necesssria; 4.° denique utrum necessaria fuerit incarnatio in ea *hypothesi*, qua Deus hominem lapsum per condignam satisfactionem reparare statuerit.

IV. Certum itaque est. 1.° in hypothesi creationis mundi necessariam non fuisse incarnationem. Supra enim ostendimus contra Scotistas, Verbum Dei non fuisse in carne venturum, si homo non peccasset. 2.° Nec fuisse necessariam incarnationem, posito peccato primi hominis; poterat enim Deus peccatum sine ulla remissione punire. Incarnatio enim maximae Dei misericordiae opus est *Tit. III. 5. Secundum suam misericordiam salvos nos fecit.* Sap: XII. 12. *Quis imputabit tibi, si perierint nationes, quas tu fecisti? Et si omnibus debitum supplicium redderetur, non injuste redderetur*, inquit Augustinus *Lib. de nat. et grat. cap.* 5. 3.° Certum est apud Patres, etiam posita voluntate Dei hominem lapsum reparandi, non fuisse ad id incarnationem necessariam. Poterat enim Deus peccatum sine condigna satisfactione condonare; *Quis neget*, inquit Bernardus *Epist. CXC. ad Innoc. Cap.* 8. *omnipotenti ad manus fuisse alios, atque alios modos nostrae redemptionis* (a)?

V. Quaestio igitur solum restat, utrum Deus noluerit hominem, nisi per condignam satisfactionem reparare, et utrum in ea hypothesi, quod Deus hominem per condignam satisfactionem liberare statuerit, incarnatio Filii Dei fuerit necessaria.

VI. Ut autem res clarius explicetur, repetendum est quod supra de satisfactione, et restitutione diximus. Re-

(a) Adde Athanas. *Or. II. cont Arian.* Augustinum *Lib. XIII. De Trin. cap.* 10. Nazianz. *Or.* IX. Theodoret. *serm.* VI, *cont. Gent. etc.*

Restitutio enim est redditio rei, quæ debito sit æqualis, habita tantum ratione rei ad rem; satisfactio vero compensatio est injuriæ per peccatum irrogatæ, quæ habita ratione personæ læsæ, et lædentis, sit æquivalens; hoc est tantum restituat honorem, quantus est ablatus.

VII. Injuria autem crescit pro dignitate personæ læsæ, et vilitate lædentis. Sic major est injuria illata Regi, quam rustico, et major illata ab homine plebejo, quam a nobili. E contrario satisfactio decrescit pro dignitate personæ, cui offertur, et vilitate satisfacientis. Sic honor Regi exhibitus ab homine plebejo pro nihilo reputatur.

VIII. Jam vero ex iis, quæ supra contra Socinianos disputavimus, certum est, Deum noluisse hominem, nisi per condignam satisfactionem liberare. Hac igitur constituta hypothesi, non defuere Theologi, ut *Scotus*, *Durandus*, *Paludanus*, *Richardus*, qui contenderent, puram creaturam, hoc est Verbo divino hypostatice non conjunctam, potuisse tanta exornari gratia, ut pro peccato suo, vel alieno posset condigne satisfacere, ex quo sequitur, etiam in ea hypothesi, quod Deus condignam pro peccato satisfactionem exigere statuerit, non fuisse incarnationem absolute necessariam. Sed nos ex communi Theologorum sententia contrarium affirmamus.

PROPOSITIO.

Nulla pura Creatura, quantumvis gratia exornata, poterat condigne Deo satisfacere pro peccato suo, vel alieno mortali, vel veniali.

Prob. I *ex Scriptura.* Apostolus *Heb. X.* 4. absolute pronunciat, nullis hominum sacrificiis potuisse aboleri peccata, ideoque concludit, sacrificium Christi fuisse necessarium: *Impossibile enim est sanguine taurorum et hircorum auferri peccata. Ideo ingrediens mundum dicit: hostiam, et oblationem noluisti: corpus autem aptasti mihi.* Ergo.

Prob. II. *ex PP.* 1.° *Basilius* in ea verba *Psal. XLVIII. Frater non redimit, redimet homo: Non homo*, inquit, *nudus*, *sed homo Deus Jesus Christus*, quia

quia nullus alius condignum offerre poterat pretium. 2.° Cyrillus Alex. *Epist: I. ad Monac. Ægypt. Quo pacto unus pro omnibus mortuus justum pro omnibus pretium exsolvere potuit, si perpessionem illam puri cujusdam hominis esse dicamus?* 3.° Augustinus *Enchir. Cap.* 108. *Neque per ipsum liberaremur mediatorem Dei, et hominum Jesum Christum, nisi esset et Deus.* 4.° *Anselmus* ex professo id demonstrat in Libro *Cur Deus homo*, ubi tamen nonnullis visus est, excessisse modum, quasi posito hominis peccato, incarnatio fuerit absolute necessaria: nisi quod benigna interpretatione possumus ejus verba excipere, et emollire. Idipsum docent alii (*a*).

Prob. III. Ut satisfactio condigna sit, debet esse injuriae illatae aequivalens, ex propriis, et indebitis. Sed nulla pura creatura, quamvis gratia exornata, potest satisfactionem reddere Deo aequivalentem injuriae, ex propriis, et indebitis. Primo enim non potest reddere satisfactionem aequivalentem; quia injuria per peccatum Deo illata, cum crescat pro majestate personae laesae, et vilitate laedentis, est infinita saltem extrinsecus; vel ut aliis placet Theologis, superioris est ordinis: satisfactio vero a creatura exhibita, cum decrescat pro majestate Dei offensi, et vilitate creaturae, est infinite parva, ac proinde nunquam injuriae aequivalens. Secundo non potest satisfactionem reddere ex propriis, et indebitis, quia quidquid est, et habet creatura, Dei est, et Deo debetur: *Paralip. XXIX.* 11. *Cuncta quae in caelo sunt et in terra tua sunt.* Ergo etc. Haec autem ratio non solum pro mortali peccato, sed etiam pro veniali valet. Quidquid enim sit de quantitate injuriae, sive offensionis, quae in peccato veniali est, numquam pro illo potest creatura satisfacere ex propriis, et indebitis.

Ob-

(a) Leo M. *Serm. I. De Nativ.* Fulgentius *Lib. de Incarn. et Grat. cap.* 4. etc.

Objecta diluuntur.

Objic. I. Homo justus per actum perfectae charitatis, et contritionis potest tantum Deo reddere honorem, quantus ipsi per peccatum etiam mortale est ablatus. Ergo potest pro eo digne satisfacere.

℟. *Neg. ant. et cons.* Cum enim injuria Deo irrogata *moraliter* infinita sit, vel superioris ordinis; honor vero a justo exhibitus nihili aestimetur; manifestum est, non posse justum Deo tantum exhibere honorem, quantum peccato abstulit; Sed etsi tantus esse posset honor, quanta injuria; tamen, cum nihil possit justus Deo reddere ex propriis, et indebitis, sequitur, numquam posse condignam exhibere satisfactionem.

Inst. 1.° Per actum perfectae charitatis, et contritionis restituitur Deo ratio ultimi finis, quae per peccatum erat ablata. Ergo.

℟. *Neg. cons.* In restitutione enim sufficit reddere rem ablatam, non item in satisfactione. Sic qui per injuriam viro nobili vestem publice laceraverit, non digne ei satisfacit, si pretium vestis restituat.

Inst. 2.° Malitia peccati non est infinita. Ergo potest tantum augeri charitas, et contritio justi, ut possit injuriam Deo illatam adæquare.

℟. *Dist. ant.* Malitia peccati non est infinita, si spectetur, ut privatio oppositæ rectitudinis, *conc.* Si spectetur ut injuria Deo illata, *subdist.* Non est infinita *physice*, et intrinsecus, *trans. Moraliter*, extrinsecus, et ex objecto (a) *neg.* Itaque duo in peccato consideranda sunt, privatio recti ordinis, et injuria Deo illata. Privatio quidem finita est, quia opponitur vel rectitudini creatæ, vel rectitudini increatæ quidem, sed quantum creatura ejus particeps esse potest. At injuria illata Deo moraliter, extrinsecus, et ex objecto infinita est, quia scilicet ex infinita majestate Dei offensi infinita æstimatur, vel superioris ordinis.

Inst.

(a) *Objective*;

Inst. 3.° Homo purus per actum perfectæ charitatis, et contritionis delet peccatum, etiam quoad injuriam Deo illatam; imo et meretur *de condigno* vitam æternam. Ergo potest condigne pro injuria satisfacere.

℟. *Dist. ant.* Delet peccatum etc. virtute, et merito satisfactionis Christi, *conc.* Ex virtute sua, *neg.*

Objic. II. Homo est suorum actuum dominus, et arbiter. Ergo potest aliquid Deo offerre ex propriis, et indebitis.

℟. *Dist. ant.* Est dominus suorum actuum sub Dei tamen mancipio, cui illos debet titulo creationis, *conc.* Secus, *neg.* Ita enim Deus homini libertatem dedit, ut omnes actus suos ad Deum, sub cujus mancipio est, referat.

Objic. III. Peccatum veniale non infert Deo infinitam injuriam. Ergo potest pro illo purus homo satisfacere.

℟. *Trans. ant. neg. cons.* Quidquid enim sit de injuria, quæ est in veniali peccato, certum est, non posse hominem pro illo satisfacere ex propriis, et indebitis.

Inst. Ergo posset homo justus propter unum veniale peccatum excludi a vita æterna, æternoque supplicio plecti. Falsum consequens. Ergo.

℟. *Neg. seq. maj.* Licet enim homo non possit pro veniali peccato satisfacere, potest tamen satis pro illo pati; quia justitia Dei non patitur, ut per peccatum, quod Dei amicitiam non solvit, homo in perpetuum a Deo separetur, et inter inimicos Dei, atque rebelles in æternum puniatur. Porro ad satis patiendum non requiritur æqualitas illa inter personam læsam, atque lædentem, quae requiritur in satisfactione.

Corollarium.

I. Si ergo Deus noluit hominem perditum, nisi per condignam satisfactionem redimere, ac salvum facere, hinc sequitur, incarnationem, posito hoc Dei decreto, fuisse necessariam.

II. Cur autem incarnatio necessaria fuerit, alias etiam causas tradidere Patres; præsertim quia nemo a peccato redimere poterat, nisi esset ἀναμάρθητος hoc est natura sua peccati expers, cujusmodi nec homo, nec Angelus,

lus, nec ulla fugi potest creatura. Vide Athanasium *Orat.* II. *cont. Arian.* cui concinunt *Eusebius Caesariensis*, *Eusebius Emissenus*, *Cyrillus Alex.*, *Ambrosius*, *Augustinus etc.* Idq. ea ratione, quia qui peccare potest, hoc ipsum quod non labatur, Deo acceptum referre debet. Quod quidem revocari ad ea, quae diximus; facile potest, quia scilicet nulla creatura satisfacere valet ex bonis indebitis. Idem ferme dicas de aliis caussis, quae proponuntur a Patribus.

III. Cum tantus hostis sit diabolus, atque peccatum, ut ad eum superandum ipsum Dei Filium incarnari necesse fuerit; nonne manifesta illorum insania est, qui rursus cum eo inire societatem, cjusque servitio se addicere non reformidant, stulte praefidentes, se suis viribus cum ipsis placuerit, evasuros?

§. VI.

De caussa meritoria *incarnationis.*

Adv. I. Gaussa *meritoria* illa est, cui aliquid redditur tamquam praemium.

II. Meritum autem duplex est, ac proinde etiam causa *meritoria* duplex, *de condigno*, et *de congruo.* Meritum *de condigno* illud est, cui stricto jure, sive ex justitia debetur praemium. Meritum *de congruo* est id, cui praemium ex quadam decentia debetur, sed potest sine ulla injustitiae nota denegari.

III. Quaeritur ergo, utrum aliqui homines incarnationem Filii Dei meruerint vel de condigno, vel de congruo. Quae quidem quaestio agitari potest vel de veteribus Patriarchis, quibus incarnatio promissa est, vel de B. *Maria* Virgine, vel de ipsa Christi humana natura, de qua jam supra diximus *Cap. VIII.* §. *V. Prop.* 4.

IV. Potest autem incarnatio spectari, vel in se ipsa, sive ut ajunt *quoad substantiam*, vel quoad quasdam circumstantias temporis, loci, generis.

PRO-

PROPOSITIO I.

Veteres Patriarchae neque de condigno, neque de congruo potuerunt mereri incarnationem quoad substantiam, illam tamen meriti sunt quoad aliquas circumstantias, non quidem de condigno sed de congruo.

Prob. 1a. *pars.* Nemo potest mereri id, quod est cujuslibet meriti principium, et causa. Atqui in statu naturae lapsae sola incarnatio Filii Dei est origo, et principium cujuslibet meriti, neque enim in hoc statu boni aliquid fieri potest, nisi per gratiam, quae ex meritis Christi tribuitur. Ergo.

Prob. 2a. *pars.* 1.° Abraham obedientia sua promeruit, ut ex ejus genere nasceretur Christus: *Gen. XXII* 18. *Benedicentur in semine tuo omnes gentes terrae, quia obedisti voci meae.* 2.° Item David meruit, ut Christus nasceretur ex sua familia: *De fructu ventris tui ponam super sedem tuam Ps. CXXXI.* 30. Daniel precibus suis meruit, ut tempus adventus Messiæ maturaret: *Dan. IX.* 23. *Ab exordio precum tuarum egressus est sermo . .. Septuaginta hebdomades abbreviatae sunt super populum tuum etc.* Ergo.

Prob. 3a. *pars.* Nullum potest esse meritum de condigno, nisi promissio divina præcesserit, ut suo loco dicemus; neque enim Deus creaturæ, nisi ex sua ipsius promissione obligari potest. Atqui Deus numquam promiserat, ut qui tale opus faceret, ex ejus stirpe nasceretur Christus. Ergo totum Patriarcharum meritum non fuit *de condigno*, sed tantum *de congruo*.

Objic. cont. 2m. *part.* Christus natus ex illa gente, illo tempore, aliisque circumstantiis est principium omnis meriti. Ergo nulla incarnationis circumstantia cadere potuit sub meritum, etiam de congruo.

℟. *Neg. ant.* Eæ enim circumstantiæ ad meritum Christi fuerunt prorsus *adiaphorae*, hoc est æque Christus principium omnis meriti extitisset, si ex alia gente, aliove tempore, et modo natus esset.

Scho-

Scholion.

Solent Gentiles, et increduli compellare Christianos: quare ex Judæis potius, quam ex alia gente omnium hominum Servator oriri debuit? Hæc tamen interrogatio stultitiæ plena est, non solum quia ex quacumque gente natus fuisset Christus, eadem quæstio fieri posset, ac proinde sufficeret hic, sicut in aliis, quæ captum hominum superant, confugere ad altitudinem divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei; verum etiam, quia responderi facile potest, congruum fuisse, ut ex eorum potius genere nasceretur Christus, quia majori erga Deum fide, pietate, et obedientia floruerunt.

PROPOSITIO II.

B. Virgo Maria non meruit de condigno hanc incarnationis circumstantiam, ut ipsa Dei mater esset, meruit tamen de congruo.

I. *Prob.* 1a. *pars.* Ad meritum de condigno, ut paulo ante diximus, præter cetera requiritur divina promissio, et pactum. Atqui nulla talis promissio, nullumque pactum intercesserat inter Deum, et B. Virginem. Ergo.

Prob. 2a. *pars.* I. ex Patrum auctoritate, qui docent, B. Virginem aliquo modo eam meruisse dignitatem, ut Hieronymus, qui (*in Epist. ad Eustoch.*) ait: *Propone tibi B. Virginem, quae tantae extitit puritatis, ut Mater Domini esse mereretur.* Augustinus *Lib. de Nat. et grat. cap.* 36. *concipere et parere meruit eum, quem constat, nullum habuisse peccatum.* Gregorius *in Lib. I. Reg. Cap.* 1. *meritorum verticem usque ad solium Divinitatis evexit.* Atqui B. Virgo Dei mater esse non meruit de condigno. Ergo de congruo.

Prob. II. ex ipso Ecclesiae sensu, quae ita canit: *quia, quem meruisti portare, Resurrexit, sicut dixit.* Ergo.

Ob-

Objectiones diluuntur.

Objic. I. *cont.* 2m. *part.* Qui non potuit ipsam incarnationis substantiam mereri de congruo, nec illud mereri potuit, quod in ipsa incarnationis notione comprehenditur, imo et prius supponitur. Atqui esse Dei matrem in ipsa incarnationis notione includitur, imo et supponitur. Ergo si B. Virgo non potuit *de congruo* ipsam mereri incarnationem, neque matris dignitatem mereri potuit.

℟. *Dist. maj.* Qui non potuit mereri incarnationem, nec illud potuit mereri quod in ipsa incarnationis notione includitur necessario, *conc.* Libere, *neg.* Licet decretum incarnationis, ejusque natura id etiam comprehendat, ut aliqua Christi mater esset, non tamen necessario requirit, ut filius Dei ex hac potius, quam ex illa matre nasceretur. Ex meritis igitur B. Virginis congruum fuit, ut ipsa potius eligeretur.

Inst. 1.° Unicum est in Deo decretum ab æterno assumendi carnem ex hac Virgine. Ergo cum non possit unum ab altero distingui, si B. Virgo ipsam Verbi incarnationem mereri non potuit, neque illud potuit mereri, ut ipsa Dei mater esset.

℟. *Dist. ant.* Unicum est in Deo decretum, sed *virtute* duplex, *conc.* Secus, *neg.* Cum enim incarnatio non necessario postularet, ut hæc, et non alia eligeretur Virgo, quæ Mater Dei esset, sine duo recte in decreto incarnationis distinguimus, quorum unum sine ullo alicujus merito statuit Deus, alterum voluit rependi *de congruo* meritis B. Virginis, licet unico, et simplici actu utrumque decreverit.

Inst. 2.° Quidquid gratiæ B. Virgini tributum est a Deo, id totum ei donatum est eo consilio, ut mater Dei esset. Ergo nullo pacto dignitatem ipsam mereri potuit.

℟. *Dist. ant.* Ut esset Mater Dei congruis meritis præcedentibus, *conc.* Secus, *neg.* Sicut ex eo quod Deus gratiam peccatori concedit eo fine, atque consilio ut justificetur, non sequitur, peccatorem non mereri *de congruo* justificationem, ita de B. Virgine sentiendum est,

est. Dedit enim ei Deus gratiarum plenitudinem, ut per bona opera ex gratia mereretur *de congruo* Mater Dei esse.

Inst. 3.° Merita B. Virginis, sicut et omnium hominum oriuntur ex meritis Christi ex ipsa Virgine nati. Ergo tantum abest, ut mereri potuerint matris dignitatem, quin potius illius effectus sunt.

℟. *Distinct.* Oriuntur ex meritis Christi ex ipsa Virgine nati, hoc est quatenus ex ipsa, et non ex alia natus est, *neg.* Generatim, hoc est quatenus ex aliqua Virgine natus est, *conc.* Ad meritum enim Christi nihil contulit, quod ex hac potius, quam ex alia Virgine natus sit. Licet ergo omnium merita innitantur meritis Christi ex Virgine nati; potuit tamen haec Virgo *de congruo* mereri, sicut revera meruit, ut ex ipsa potius nasceretur Christus, quam ex alia.

Objic. II. Matris Dei dignitas in Scripturis describitur ut magnum gratiae donum B. Virgini impertitum *Luc. I. 30. Invenisti gratiam apud Deum: ecce concipies etc.* Ergo nullum agnoscit meritum.

℟. *Neg. cons.* Quod enim rependitur meritis ex ipsa gratia Dei adquisitis, non immerito dicitur gratia, praesertim si merita illa non sunt *de condigno*, sed *de congruo*, cum ipsa vita aeterna, quae sine dubio rependitur meritis de condigno, in Scripturis dicatur gratia *Rom. VI. 23. gratia Dei vita aeterna*, non quia non datur meritis, sed quia gratis data sunt ipsa merita, quibus datur, ut suo loco dicemus.

§. VII.

Utrum, et quae fides Mysterii Incarnationis necessaria sit necessitate medii ad salutem.

Adv. I. Praeter necessitatis divisionem in absolutam, et *hypotheticam*, de qua supra diximus; alia etiam valde usitata apud Theologos divisio est in necessitatem *medii*, atque *praecepti*. Prima est eorum, sine quibus, etiam sine culpa ignoratis, finis obtineri non potest. Altera eorum est, quae sine culpa negligi nequeunt propter praeceptum, sed si sine culpa ignorentur, a salu-

te non excludunt. Ceterum quae necessaria sunt *necessitate medii*, sunt etiam necessitate praecepti necessaria; quia lex naturae jubet, unumquemque adhibere *media* ad salutem necessaria.

II. In confesso est apud omnes Catholicos, notitiam mysterii incarnationis non esse necessariam *necessitate medii* parvulis ante usum rationis decedentibus; quia si eis mala voluntas Adami nocuit, prodest etiam eis bona voluntas Ecclesiae, in cujus fide baptizati salutem consequuntur.

III. Ex quo etiam sequitur, hanc notitiam non esse iis adultis necessariam, qui gratiam in baptismo acceptam nondum per peccatum amiserunt, vel quia amentes ab infantia non sunt libertatis, et peccati capaces; vel quia in ipso initio usus rationis, quando nondum hanc notitiam ullo modo poterant accipere, moriuntur. Deus enim eis non denegabit regni caelestis haereditatem; ad quam, utpote filii adoptionis, jus habent. Quaestio igitur restat de adultis nondum justificatis.

PROPOSITIO I.

Post Evangelii promulgationem, notitia mysterii Incarnationis adultis nondum justificatis necessaria est necessitate medii ad salutem. Est communis Theologorum doctrina.

Prob. I. *ex Script.* Joan. III. 14. 18. *Sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis: ut omnis, qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam aeternam ... Qui non credit, jam judicatus est: quia non credit in nomine Unigeniti Filii Dei.* Act. IV. 12. *Non est in alio aliquo salus. Nec enim aliud nomen est sub caelo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri.* Ergo.

Prob. II. *ex PP.* 1.° Augustinus *Lib. de correp. et grat. cap.* 7. *Nemo*, inquit, *liberatur a damnatione, quae facta est per Adam, nisi per fidem Jesu Christi. Ab hac damnatione non se liberabunt, qui poterunt dicere, non se audiisse Evangelium Christi.* 2.° Ante eum Irenaeus *Lib. III. cap.* 21. *Ignorantes*, inquit, *eum, qui*

qui ex Virgine est, Emmanuel, privantur munere ejus, quod est vita aeterna. Idem alii docent (a).

Prob. III. ex definitione S. Pontificum. Innocentius XI. anno 1679. has inter alias damnavit propositiones: 1a. *Nonnisi fides unius Dei necessaria videtur necessitate medii, non autem explicita remuneratoris.* 2a. *Fides late dicta ex testimonio creaturarum, similive motivo ad justificationem sufficit.* 3a. *Absolutionis capax est homo, quantumvis laboret ignorantia mysteriorum fidei, et etiamsi per negligentiam etiam culpabilem nesciat mysterium SS. Trinitatis, et Incarnationis Domini.* Ergo.

PROPOSITIO II.

Etiam ante Christi adventum necessaria erat necessitate medii ad salutem fides Redemptoris, licet non adeo explicita.

Prob. 1a. *pars.* I. ex verbis S. Petri *Act. IV.* 12. quae generalia sunt, et omnibus hominum statibus aptari possunt: *Non est in alio aliquo salus. Nec enim aliud nomen est sub caelo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri.*

*Prob.*II. ex *PP.* 1.° Leo M. *Serm. LXIII. al. XIV. de passione*; *Una*, inquit, *fides justificat universorum temporum Sanctos, et ad eandem fidem, et spem pertinet quidquid per mediatorem Dei, et hominum Jesum Christum vel nos confitemur factum, vel patres nostri adoravere faciendum.* 2.° Augustinus eandem doctrinam constanter docuit. Sic *Epis. CXC. al. CLVII. Cujus*, inquit, *hominis, ejusdemque Dei, saluberrima fide etiam illi justi salvi facti sunt, qui, priusquam veniret in carne, crediderunt in carne venturum. Eadem namque fides est et nostra, et illorum; quoniam hoc illi crediderunt futurum, quod nos credimus factum.*

P 2 Idem

(a) Prosper *Resp. ad Capit. Gall. object.* 8. Leo M. *Serm. LXIII.* Tridentinum *Sess. VI. Cap.* 6.

Idem alibi repetit, ut *Lib. XVIII. de Civ. cap. 47. et Lib. II. Op. Imperf. n.* 188. Ergo.

Prob. 2a. *pars.* Apostolus *Galat. III.* 23. *Prius autem*, inquit, *quam veniret fides, sub lege custodiebamur conclusi in eam fidem, quae revelanda erat.* Ergo cum fides Incarnationis aliquo pacto legis umbra tegeretur, non necesse erat, ut esset adeo explicita, ac post Incarnationem.

Objic. Haec doctrina excludens a salutis spe sive ante, sive post adventum Christi tot hominum millia, qui nullo pacto mysterium incarnationis audire potuerunt, durissima censeri debet. Ergo.

℟. *Dist. ant.* Durissima censeri debet haec doctrina, si homines propter ignorantiam hujus mysterii, quae in ipsis invincibilis est, et involuntaria, damnarentur, *conc.* Si damnarentur ob suum ipsorum peccatum, vel actuale, vel originale, *neg.* Neminem igitur a salute excidere dicimus ob ignorantiam hujus mysterii, si invincibilis est, sed propter peccata. Si enim quis in silvis, aut inter barbaros enutritus nullum admitteret peccatum omnemq. legem naturae servaret, non ei deesset bonitas, et misericordia Dei, sed vel mitteret ad eum aliquem Evangelii praeconem, sicut misit Petrum ad Cornelium, vel alio modo illum de hoc mysterio edoceret. Sic et infantes, qui sine baptismo moriuntur, damnantur quidem, ut Ecclesia docet contra Pelagianos, non quia non suscepere baptismum, quo sine culpa sua caruerunt, sed propter originale peccatum.

Corollaria.

I. **Si fides incarnationis fuit semper ad salutem necessaria, debuit ergo Deus suae bonitati, sapientiae, misericordiae, statim post Adae lapsum, hoc mysterium revelare, si vere vult omnes homines salvos fieri. Et revera statim illud revelavit illis verbis, quibus serpenti coram Adamo, et Heva maledixit;** ***Inimicitias ponam inter te, et mulierem, semen tuum, et semen illius; ipsa conteret caput tuum.*** **In Hebraeo enim legitur, ut observat** ***Hieronymus*****, et ut olim etiam in Latina editione legerunt** ***Cyprianus*****, aliique Patres;** ***ipsum*** **(semen,**

men, hoc est Christus) *conteret caput tuum*, hoc est regnum Diaboli,, qui serpente illo significabatur: quo tamquam instrumento usus erat. Imo etiam ante lapsum cognovisse Adam futuram incarnationem, nonnulli arguunt ex Apostolo *Ephes. V. 32. et seq.*

II. Hinc etiam sequitur, omnes Sanctos, qui ante adventum Christi vel ex Abrahami genere, vel apud alias gentes floruerunt, mysterium incarnationis non latuisse. De Abrahami quidem posteris dubitari non potest, cum et ipsi Abrahamo promissio futuri Messiae facta sit *Gen. XXII.* 18. et Moyses de Christo scripserit sub umbra legis *Joan. V.* 46. et omnes Prophetae de ejus adventu praenuntiaverint *Act. II.* 52. In aliis vero gentibus extitisse quosdam, ut *Job.* Idumaeum, aliosque, qui hujus mysterii fidem habuerint vel ex veteri traditione ab Adamo deducta, vel ex peculiari revelatione, saepe docet *Augustinus. Non incongrue creditur*, inquit *Lib. XVIII. de Civ. Cap.* 47. *fuisse et in aliis gentibus homines, quibus hoc mysterium revelatum est.* Idque *Hugo Victorinus* probat ex *Cap. II.* 8. *Aggaei*; *Veniet desideratus cunctis gentibus.* Sola tamen Judaica gens Populus Dei fuit, quia in ea sola remansit vera religio, quae Deum coluit publica expectatione Christi venturi; reliqui vero ex aliis gentibus justi non integrum populum constituebant, sed erant singulares homines hac illac dispersi, cum paulo post Abrahae vocationem omnes gentes paternae religionis oblitae, in idololatriae tenebras mersae sint. *Amos III.* 3. *Tantummodo vos cognovi ex omnibus cognationibus terrae. Psal. XCV. Omnes dii gentium daemonia.* Si autem vera essent, ac genuina Sibyllarum carmina, apertum hinc esset, non defuisse apud gentes prophetias de adventu Christi, qui clarius in illis carminibus praenuntiatur, quam in ipsis Scripturarum oraculis. Sed vide quae de iis diximus *Lib. IV. Cap.* 13.

III. Cum ergo homines mysterium Incarnationis per revelationem agnoverint, multo magis id sanctis Angelis innotuit, per quos Patriarchis, et Prophetis revelatum est, ut suo loco diximus *Lib. V.* De daemonibus vero utrum hoc mysterium ante Christi mortem cognoverint, res est obscurior. Nam ex Scripturis aliquando vi-

videntur, Christum ut filium Dei, saltem conjectura, agnovisse; unde inquiunt *Marc. I.* 24. *Venisti perdere nos, scio qui sis, Sanctus Dei*: aliquando dubitasse, ut *Matth. IV.* 3. *Si filius Dei es, dic, ut lapides isti panes fiant etc.* Patres etiam nonnulli, ut Ignatius *Epist. ad Ephes.* docent, Deum hoc mysterium Diabolo occultasse. Unde sapienter Augustinus *Lib. IX. de Civ. cap.* 21. monet, Christum malis Angelis tantum innotuisse, quantum voluit, et tantum voluisse, quantum oportuit.

C A P. XI.

De variis titulis, et officiis Christi.

Ad extremum varia Christi munera, et tituli recensendi sunt, qui vel ex ipsa hypostatica duarum naturarum unione, vel ex ejus satisfactione, et merito nascuntur. Praecipui autem sunt hi. 1.° Filius Dei naturalis est, non adoptivus. 2.° Est Sacerdos. 3.° Caput hominum, et Angelorum. 4.° Rex. 5.° Legislator. 6.° Judex. 7.° Mediator Dei, et hominum. Cum ergo de primo ejus titulo satis supra dixerimus contra *Nestorium*, *Felicem*, et *Elipandum*; reliquum est, ut de aliis hic singillatim dicamus.

§. I.

Christus est Sacerdos.

P R O P O S I T I O.

Christus vere, et proprie summus Sacerdos est novi foederis. Est dogma fidei.

Prob. I. ex Script. Apostolus *in Epistola ad Hebraeos Cap. V.* 6. de Christo interpretatur id, quod in *Psal. CIX.* dicitur: *Tu es Sacerdos in aeternum, secundum ordinem Melchisedech.* Et in eadem Epistola saepe id repetit, et inculcat *Cap. III.* 1. *Considerate pontificem confessionis nostrae Jesum.* Cap. IV. 14. *Habentes pontificem*

ficem magnum, qui penetravit caelos. Cap. VII. 26. *Talis decebat, ut nobis esset Pontifex sanctus, innocens, impollutus etc.*

Prob. II. ex PP. 1.° Augustinus *In Psal. CXXXII. Quis est,* inquit, *sacerdos, nisi unus sacerdos, qui intravit in Sancta Sanctorum? Quis est sacerdos, nisi ille, qui fuit victima, et sacerdos, nisi ille, qui cum in Mundo non inveniret mundum, quod offerret, seipsum obtulit?* 2.° Epiphanius *Haeresi LV. Ipse victima, ipse sacrificium, ipse sacerdos, ipse altare . . . . . ipse Pontifex, ipse agnus.* 3.° Fulgentius *Lib. I. ad Trasimund. cap.* 10. *Ipse sacerdos, et victima, unus idemq. et oblator muneris, et munus factus est oblatoris, ut nec oblator a muneris qualitate desciscerel, nec munus ab oblatoris merito discreparet.* Idem docent alii omnes, et constanter tenuit, et tenet Ecclesia.

Prob. III. Tria sunt, ut observat *S. Thomas,* munera Sacerdotis vere, et proprie dicti. 1.° Dei voluntatem, et legem hominibus denunciare, 2.° preces, et vota hominum Deo offerre. 3.° pro hominibus offerre sacrificium. Nam *Malach. II.* 7. *Labia sacerdotis custodient scientiam, et legem requirent ex ore ejus.* Et *Heb. V.* 1. *Omnis pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in iis, quae sunt ad Deum, ut offerat dona, et sacrificia pro peccatis.* Atqui haec tria Christus praestitit. 1.° Legem Dei nobis explicavit in Evangelio. 2.° Vota nostra Deo offert semper vivens ad interpellandum pro nobis: unde dicitur *I. Joan. II.* 1. *Advocatum habemus apud Patrem, Jesum Christum justum.* 3.° Sacrificium pro nobis obtulit semetipsum, ut supra contra Socinianos ostendimus. *Heb. IX.* 11. *Christus assistens Pontifex futurorum bonorum . . . per proprium sanguinem introivit semel in sancta*: idque in tota Epistola ad Hebraeos luculenter explicatur. Ergo etc.

Q. I. *Quo sensu dicatur Christus sacerdos secundum ordinem Melchisedech.*

℟. Non eo quod *Melchisedeco*, ejusque sacerdotio fuerit inferior, ipse enim *est in omnibus primatum tenens Colos. I.* 18. Sed quod in *Melchisedecho* sacerdotium, et sacrificium Christi fuit adumbratum. Sicut enim

enim *Melchisedech* fuit Rex Salem, sive justitiae, et pacis, nulli successit, nec alios habuit successores, cum in Scripturis sileantur ejus pater, mater, et genealogia, benedixit Abrahae tamquam minori, obtulit sacrificium in pane, et vino. Ita Christus verus est *Princeps pacis Is. IX.* 6. aliis non successit sacerdotibus, nec alios habet in sacerdotio successores, sempiternum quippe habens sacerdotium; in ipso omnes gentes benedictae sunt; obtulit denique semetipsum in Eucharistia sub panis, et vini speciebus.

Q. II. *Quomodo Christus non habet in sacerdotio successores, cum plures sint in Ecclesia catholica sacerdotes.*

℟. Christi sacerdotium, et sacrificium incepit a primo conceptionis momento, ut docet Apostolus *Heb. X.* 5. *Ingrediens mundum dicit: hostiam, et oblationem noluisti etc.* et in sempiternum perdurat, ut idem Apostolus explicat *Heb. VII.* 23. *Alii quidem plures facti sunt sacerdotes, idcirco quod morte prohiberentur permanere: hic autem eo quod maneat in aeternum, sempiternum habet sacerdotium. Unde et salvare in perpetuum potest accedentes per semetipsum ad Deum.* Sacerdotes ergo novae legis non successores, sed ministri Christi sunt ab eo instituti, ut eis tamquam instrumentis utatur ad offerendum per eos sacrificia, in quibus ipse primarius, et summus sacerdos est, qui invisibiliter operatur.

Q. III. *Quomodo Christus sempiternum habet sacerdotium, cum ejus unicum sacrificium fuerit in cruce oblatum?*

℟. Non eo sensu, quod novum in dies offerat sacrificium redemtionis, cum *unica oblatione*, quae infiniti fuit pretii, *consummaverit in sempiternum sanctificatos*; sed 1.° quia sicut Pontifex in veteri Testamento introibat quotannis semel in *sancta Sanctorum*, offerens sanguinem hircorum, et vitulorum, quos extra sanctuarium mactaverat; ita Christus introivit in caelum, offerens Patri sanguinem, quem in terris fuderat, ut in homines fructum sacrificii jam in cruce oblati, et consummati derivet. Atque ita ejus sacrificium *applicationis* perpetuum est in caelo, et in terra: quod in caelo quidem per seipsum offert, in terra per sacerdotes novae

legis

legis, ejus ministros, et instrumenta. 2.° Quia offert in sempiternum Deo corpus suum mysticum, quod est Ecclesia triumphans in caelo, militans in terris, et adhuc patiens in Purgatorio; offert, inquam, et per seipsum, et per ipsa corporis mystici membra, quae movet per Spiritum Sanctum suum ad offerendas spirituales hostias, *acceptabiles Deo per Jesum Christum*, ex quo omnes fideles dicuntur latiori significatione sacerdotes. *Apoc. I.* 6. *Fecit nos regnum, et Sacerdotes Deo, et Patri suo. I. Pet. II.* 9. *Vos autem genus electum, regale sacerdotium.*

Q. IV. *Secundum quam naturam Christus sacerdos est?*

℟. Novatores haeretici, quamvis contra Arianos, Socinianos etc. fateantur, Christum esse Deum, tamen turpiter errant, putantes, Christum sacerdotem esse secundum divinam naturam; cum contra constet, naturam illam Patri aequalem non potuisse subjici, orare, offerre sacrificium, quae tamen munera sunt sacerdotis. Imo secundum divinam naturam ipse Christus non offerre, sed recipere debuit cum Patre, et Spiritu S. preces, et hostias. Est ergo Christus Sacerdos secundum naturam humanam, in qua minor est Patre; non quidem seorsim a Verbo, sed subsistentem in ipsa Verbi persona, a qua ejus oblatio, et preces infinitum hauriunt pretium, ac meritum.

Q. V. *Est ne ergo Christus Sacerdos ex ipsa tantum hypostatica unione; an aliquid aliud addi debuit, ut esset Sacerdos?*

℟. Cum Christus potuisset esse Deus homo absque eo quod Patri offerret sacrificium proprie dictum, hinc Apostolus praeter hypostaticam unionem, quae requirebatur, ut Christus tanto esset idoneus Sacerdotio, necessariam fuisse docet Patris electionem. *Heb. V* 4. *Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo, tamquam Aaron. Sic et Christus non semetipsum clarificavit, ut Pontifex fieret, sed qui locutus est ad eum: Filius meus es tu: ego hodie genui te. Quemadmodum et in alio loco dicit: Tu es Sacerdos in aeternum.* Fuit ergo Sacerdos a primo unionis hypostaticae momento; ut idem Apostolus docet *Heb.*

X.

X. 5. non tamen ex sola unione, sed ex aeterna electione, et praedestinatione ad munus illud: ex quo eorum temeritas arguitur, qui parum attendentes ad quid eos Deus ab aeterno elegerit, in sacerdotium irruunt, et aliquando vim faciunt.

§. II.

Christus est caput hominum, et Angelorum.

Adv. Ad rationem capitis tria potissimum necessaria sunt: 1.° ut ceteris membris dignitate superemineat, 2.° ut cum membris tam arcte sit connexum, ut unum cum illis corpus constituat, ideoque eandem habeat cum illis naturam. 3.° Ut ex ipso in membra spiritus vitae diffundatur, qui eadem vegetet, moveatque.

PROPOSITIO.

Christus a Deo constitutus est Caput hominum, et Angelorum.

Prob. I. *ex Script.* De hominibus quidem habemus *Ephes. I.* 22. *Ipsum dedit caput supra omnem Ecclesiam, quae est corpus ipsius.* Et *Ibid. V.* 23. *Christus caput est Ecclesiae.* Et *Colos. I.* 18. *Ipse est caput corporis Ecclesiae.* De Angelis vero dicitur *Colos. II.* 10. *Et estis in illo repleti, qui est caput omnis principatus, et potestatis.* Imo quae loca probant, Christum esse caput Ecclesiae, ea etiam Angelos comprehendunt, qui licet non sint Ecclesiae membra strictiori significatione; pertinent tamen ad eam tamquam partes, ut ita dicam, *integrantes*, et unam cum ipsis constituunt sanctorum societatem. Hinc Apostolus *Heb. XII.* 22. *Accessistis*, inquit, *ad Sion montem* . . . *et multorum millium Angelorum frequentiam, et Ecclesiam primitivorum, qui conscripti sunt in caelis.* Unde Hieronymus *in Cap. I. Epist. ad Ephes. Non solum*, inquit, *hominum, sed etiam Angelorum, cunctarumque virtutum, et rationabilium creaturarum Ecclesia intelligi potest.* Ergo.

Prob. II. Ad rationem Capitis tria requiruntur, quae supra posita sunt. Atqui ea perfecte Christo conveniunt. Nam

Nam 1.° super omnes eminet. *Ephes. I.* 20. *Suscitans illum a mortuis, et constituens ad dexteram suam in caelestibus, supra omnem principatum, et potestatem et virtutem, et dominationem, et omne nomen, quod nominatur non solum in hoc saeculo, sed etiam in futuro. Et omnia subjecit sub pedibus ejus.* 2.° Tam arcte cum Ecclesia conjunctus est, ut ipsa Ecclesia cum Christo dicatur unus Christus; ut observat Augustinus *in Psal. CXXVII.* ex illo Apostoli *I. Cor. XII.* 12. *Sicut corpus unum est, et membra habet multa, omnia autem membra corporis cum sint multa unum tamen corpus sunt: ita et Christus.* Imo eandem habet cum membris suis naturam; humanam enim naturam nobiscum communem assumsit, ut suo loco docuimus; Angelicam vero naturam non quidem assumsit; *nusquam enim Angelos apprehendit, sed semen Abrahae apprehendit. Heb. II.* 16. habet tamen rationalem animam, in qua cum Angelica natura communicat non in ratione *specifica*, sed *generica* substantiae spiritalis. 3.° Denique ex ipso in omnia membra Spiritus Sanctus effunditur, *secundum operationem in mensuram uniuscujusque membri*, a quo Spiritu totum corpus compactum, et connexum per omnem juncturam spiritali modo vegetatur, crescit, regitur, et movetur. Itaque sicut corpus hominis vivit de spiritu, qui praecipue viget in capite; ita corpus Christi, quod est Ecclesia, vivit de Spiritu Christi, de cujus plenitudine nos omnes accepimus. *Ephes. IV.* 4. *Unum corpus, et unus spiritus.* Et *Rom. VIII.* 9. *Si quis spiritum Christi non habet, hic non est ejus.*

Dices. Cum Christus Angelis nec gratiam sanctificantem, nec gloriam communicet; videtur quoad Angelos tertia deficere conditio, quae ad perfectam capitis rationem requiritur. Ergo.

Neg. ant. Nam meruit etiam Christus Angelis gratias *accidentales*, ut supra diximus, eosque, tamquam ministros, movet ac regit. *Omnes enim sunt administratorii spiritus Heb. I.* 14. iisque utitur Christus *propter eos, qui haereditatem capiunt salutis* usque ad consummationem saeculi; tunc enim *mittet Filius hominis Angelos suos, et colligent de regno ejus omnia scandala*

la . . . : et congregabunt electos ejus a quatuor ventis Matth. XIII. 41. et XXIV. 31.

Corollaria.

I. Ergo Christus non est caput damnatorum, quia cum eos segregaverit ab ovili suo, nihilque in eos influat gratiae spiritalis, sed tantummodo in eis servet characterem baptismi, vel sacerdotii ad perpetuam ignominiam, deficit quoad eos tertia conditio. Multo minus caput est daemonum, quos tamquam victos hostes sub pedibus suis subjecit.

II. Quamvis peccatores fideles Spiritum Sanctum inhabitantem non habeant: est tamen Christus eorum caput; quia adhuc ei connexi sunt per fidem, quam ipse in eos influit: ut diximus in *Lib. II. cap. 4.*

III. Infidelium autem Christus caput non est *actu*, quia nondum ei conjuncti sunt per fidem: est tamen eorum caput in *potentia*: quia corpori ejus inseri possunt; praesertim cum in eos omnes ex plurium Theologorum sententia influat gratias aliquas *actuales*, quibus ad fidem converti possent.

IV. Non eodem modo Diabolus est caput impiorum, quo Christus Ecclesiae, quia scilicet diabolus malitiam non infundit, sicut Christus gratiam; sed eos tantum suadendo movet, ex quo dicitur in Scripturis *princeps hujus mundi Joan. XII. 31. et alibi.*

§. III.

Christus est Rex.

Adv. I. Christum, ut Deum, esse universorum Regem, certum est. Imo et propter communicationem idiomatum negari non potest, Christum hominem Regem esse omnium.

II. Certum etiam est ex Scripturis, et Patribus, Christum, etiam ut hominem, seu secundum humanam naturam, Regiam dignitatem a Patre, saltem spiritalem, qua super omnes homines, atque Angelos constitutus est, accepisse. Ait enim *Psalm. II. Ego autem constitus*

tus sum Rex ab eo super Sion montem sanctum ejus, Jerem. XXIII. 5. *Regnabit Rex, et sapiens erit*. Apoc. XIX. 16. *Rex regum, et dominus dominantium*. Et *Luc. I. 32. Dabit illi Dominus Deus sedem David Patris ejus, et regnabit in domo Jacob in aeternum*. Quae nonnisi humanam respiciunt naturam, nam in natura divina non est Rex in tempore constitutus, cum idem Regnum cum Patre, et Spiritu S. commune habeat natura sua ab aeterno.

III. Quaestio ergo est, utrum secundum naturam humanam Rex sit temporalis, vel populi Judaici, vel omnium regum terrae. Negant *Franciscus Victoria*, *Medina*, aliique. Affirmant *S. Thomas Lib. III. de Reg. Princ. cap.* 13. *Durandus*, *Suarez*, *Vasquez*, aliique permulti. Sed non pauci jus Regiae potestatis ab ejus usu distinguentes, docent, Christum, ut hominem Regem esse temporalem jure; usum tamen Regiae dignitatis, utpote contrarium fini, et modo redemtionis, habere noluisse. Quae quidem sententia ea, quae videntur contraria, Scripturarum, et Patrum loca conciliat, ideoque verisimilior est.

IV. Christus autem non tamquam populi Judaici, sed totius orbis Rex est constitutus. Nam quod spectat ad Regnum Judaeorum, quamvis Christus esset ex familia David, tamen 1.° non constat, utrum recta descenderet ex familia regnatrice, et utrum ipse ex omnibus Davidis nepotibus fuerit regno propinquior. 2.° Tota Davidis familia regno privata fuerat Dei ipsius sententia *Jerem. XXII. Scribe virum istum sterilem, neque enim erit de semine ejus vir, qui sedeat super solium David, et potestatem habeat ultra in Juda*. 3.° Regnum tribui Juda, et familiae David a Deo promissum erat usque ad Messiam, tamquam umbra futuri: unde eo adveniente, ad alienigenas translatum est. Dicitur ergo Christus Rex Israel sensu spiritali; Israelitae enim sunt, qui Israelis fidem, et obedientiam sectantur, et sicut Jacob a Deo electi sunt; *non omnes, qui ex Israël sunt, ii sunt Israëlitae Rom. IX.* 6.

V. Etiam Theologi, qui docent, non habuisse Christum temporale regnum, nec quoad jus, nec quoad usum; duo tamen, ut certa concedunt, 1.° ipsum Dominis temporalibus non fuisse subjectum, cum ejus per-

persona Deus sit; nec proinde ipsis tributa debuisse, quae tamen reddidit ad vitandum scandalum *Matth. XVII.* 26. 2.° ipsum fuisse dominum earum rerum, quas habebat, quaeque ipsi a fidelibus tribuebantur, habens apud Judam loculos; ut definitum est a *Joanne XXII. Extravag. Cum inter nonnullos.*

Q. I. *Quibus potissimum in rebus situm sit spiritale Christi regnum.*

R. In eo esse situm, ut penes ipsum sit institutio, et administratio omnium rerum, quae ad salutem quocumque modo spectant, ut sunt *ex. gr.* institutio sacramentorum, electio ministrorum Ecclesiae, legislatio, et judicium.

Q. II. *Quid sibi velit Apostolus, cum ait* I. Cor. XV. 24. *Deinde finis, cum tradiderit* (Christus) *Regnum Deo, et Patri.*

R. 1.° Arianos ex hoc loco perperam intulisse, Christum post hominum resurrectionem abdicaturum esse regnum; quos refellit Hilarius *Lib. XI. de Trinit.* et manifesta eorum hallucinatio est ex iis verbis *Luc. I.* 33. *Regni ejus non erit finis.*

2.° Idem *Hilarius*, et post eum Augustinus *Lib. I. de Trin. cap.* 8. regni nomine intelligunt eo loci Ecclesiam jam gloriosam, quam Christus tunc tradet Patri; hoc est ad perfectam Dei visionem, contemplationemque perducet.

3.° Planior sensus est, Christum post universalem hominum resurrectionem coram Angelis, et hominibus totam regni sui gloriam Deo, et patri acceptam relaturum, *ut sit Deus omnia in omnibus*, ut paulo post subjungit idem Apostolus. Vide *Estium*, et *S. Thomam in Comment. in hunc loc.*

§. IV.

Christus est legislator.

Adv. Regia Christi dignitas, atque potestas, legislationem etiam, et judicium postulat, ut paulo ante diximus. De his itaque in hoc, et sequenti articulo disserendum est. *Lutherus* ergo *Lib. de libertate Christia-*

na,

na, *et Comment. in Ep. ad Galat.* cui consonat Calvinus *Lib. III. Instit. cap.* 19. docet, Christum esse tantum Redemtorem hominum, non legislatorem; ideoque Christianis omnia esse *adiaphora* praeter fidem; quod erroris portentum Concilium Trid. damnavit *Sess. VI. can.* 19. *Si quis dixerit, nihil praeceptum esse in Evangelio praeter fidem, cetera esse indifferentia, neque praecepta, neque prohibita, sed libera, aut decem praecepta nihil pertinere ad Christianos, anathema sit.* Et *Can.* 21. *Si quis dixerit, Christum Jesum a Deo hominibus datum fuisse ut Redemtorem, cui fidant; non etiam ut legislatorem, cui obediant, anathema sit.*

PROPOSITIO

Christus legislator est, vereque leges tulit ad salutem aeternam necessarias. Est dogma fidei.

Prob. 1a. *pars.* 1.° *Isaiae XXXIII.* 22. Christus dicitur: *Dominus legifer noster, Dominus Rex noster.* 2.° Ipsa regia Christi dignitas a potestate legum ferendarum sejungi non potest. Ergo.

Prob. 2a. *pars.* 1.° Ipse Christus generatim dicit *Joan. XIV.* 15. *Si diligitis me, mandata mea servate:* et *Matth. XXVIII, Docentes eos servare omnia, quaecumque mandavi vobis.* 2.° Multa etiam in Evangelio praecepit. Legem Decalogi ad Christianos etiam pertinere docuit, eamque clarius explicavit, et a falsis Judaeorum interpretamentis vindicavit *Matth. V. XI. et VII.* Imo aeternam damnationem violatoribus interminavit, et obedientibus vitam aeternam promisit. *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata* Matth. XIX. 17. *Qui solverit unum de mandatis istis minimis, et docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno caelorum Matt. V.* 19. idest a regno caelorum excludetur, ut post *Chrysostomum* explicant alii Patres. Praetera Sacramentorum jussit usum *Joan. III.* 5. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei*: et *Joan. VI.* 54. *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Denique ipsam fidei confes-

sio-

sionem, quae omnium operum difficillimum est, praecepit etiam cum vitae, atque omnium tormentorum periculo. *Qui confitebitur me coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo; qui autem negaverit me coram hominibus, negabo et ego eum coram Patre meo, qui in caelis est Matth. X.* 32. Ergo.

Dices. Illud sacrae litterae statuunt inter vetus, et novum Testamentum discrimen, quod in illo viguit lex, in hoc gratia, et libertas, *Joan. I.* 17: *Lex per Moysen data est, gratia et veritas per Jesum Christum facta est.* Rom. VI. 14. *Non enim sub lege estis, sed sub gratia.* Galat. IV. 31. *Non sumus ancillae filii, sed liberae: qua libertate Christus nos liberavit.* Hanc utriusque testamenti differentiam late prosequitur Apostolus tum aliis in locis, tum praesertim in Epistola *ad Galatas.* Ergo nullam nobis imposuit legem Christus praeter fidem, ac proinde non est legislator, sed redemtor de jugo legis.

℟. *Dist. ant.* In veteri testamento lex, in novo gratia, quae adjuvat ad servandam legem, *conc.* In novo gratia sine ulla lege *subdist.* Sine ulla lege ceremoniarum veteris testamenti per Christum abolita, *conc.* Sine ulla lege omnino, et iterum *subdist.* Sine lege terrente, et premente jugo servitutis, *conc.* Sine lege imperante filiis, *neg.* Quomodo enim dixisset Apostolus in eadem Epist. *ad Galatas*: *Alter alterius onera portate, et sic adimplebitis legem Christi* Galat. VI. 2. et alibi *I. Cor. VII.* 10. *Praecipio non ego sed Dominus*, si nullam nobis legem Christus imposuisset? Discrimen ergo inter vetus, novumque testamentum quoad legem illud est 1:° quod vetus testamentum legem quidem jubebat, sed per se gratiam, sive auxilium non ferebat, ac proinde occasione accepta per legem effervescebat concupiscentia magis, et ruebat majori impetu in vetitum, ut docet Apostolus in Epistola ad Romanos; at in novo testamento datur per Christum gratia ad servandam legem; unde praedicit Deus *Jerem. XXXI.* 33. *Dabo legem meam in visceribus eorum, et in corde eorum scribam eam.* Illi ergo, qui sub veteri testamento salvi facti sunt, non per legem, sed per gratiam novi testamenti servati sunt. 2.° Quod in novo testamento abolitae

tae sunt ceremoniae veteris, quae umbrae erant, et figurae, ideoque adveniente veritate, evanescere debebant: unde Apostolus *Galat. IV.* 9. *Quomodo*, inquit, *convertimini iterum ad infirma, et egena elementa, quibus denuo servire vultis?* 3.° Quod lex Christi non est jugum servis impositum, terrens, ac premens, sed praeceptum traditum filiis, per Christi gratiam libenter obedientibus; unde Apostolus ait *I. Tim. I.* 19. *Lex justo non est posita, sed injustis.*

Triplex ergo libertas data nobis est per legem Christi. 1.° libertas a servitute peccati, de qua dicitur *Joan. VIII.* 36. *Si vos filius liberaverit, vere liberi eritis.* 2.° libertas a jugo legis ceremoniarum, et judiciorum, de qua Apostolus *Galat. V.* 1. *State* inquit, *et nolite iterum jugo servitutis contineri. Ecce ego Paulus dico vobis: quoniam si circumcidamini, Christus vobis nihil proderit.* 3.° libertas a lege terrente, ac premente more servorum, de qua idem Apostolus *II. Cor. III.* 17. *Ubi spiritus Domini, ibi libertas.* Apposite Augustinus *Lib. de continentia Cap.* 3. *Non sumus sub lege bonum quidem jubente, non tamen dante, sed sumus sub gratia, quae id, quod lex jubet, faciens nos amare, potest liberis imperare.* Vide Bellarminum *Lib. IV. de Justificat. a Cap. I. ad VI.* qui fuse haec pertractat.

§. V.

PROPOSITIO.

Christus est judex omnium hominum, et Angelorum. Est dogma fidei.

Prob. 1a. *pars.* 1.° Ipse Christus *Matth. XXVIII* 18. *Data est*, inquit, *mihi omnis potestas in caelo, et in terra*: et Joan. *V.* 22. *Neque enim Pater iudicat quemquam: sed omne judicium dedit filio, ut omnes honorificent filium, sicut honorificant Patrem*: et v. 27. *potestatem dedit ei judicium facere, quia filius hominis est.* 2.° Act X. 42. *Ipse est, qui constitutus est a Deo judex vivorum et mortuorum.* 3.° Cum Christus sit Rex, et Legislator, ad eum pertinet jus dicere, et poena afficere inobedientes, praemio justos. Ergo etc.

Prob. 2a. *pars.* 1.° Angelos malos Christo judici sistendos, ut publicam damnationis sententiam subeant docent Petrus *II. Ep. Cap. II.* 4. et Judas *v.* 6. qui ait, Jesum *Angelos, qui non servaverunt suum principatum, sed dereliquerunt suum domicicilium, in judicium magni diei, vinculis aeternis sub caligine reservasse.* 2.° De omnibus sanctis cum Christo judicaturis ait Apostolus *I. Cor. VI.* 3. *Nescitis quoniam Angelos judicabimus?* Ergo multo magis judicabit ipse Christus. 3.° Si Angeli perduelles publicam a Christo damnationem expectant, ex consequenti Angeli boni publicam laudem de sua perseverantia, atque ministerio; ac proinde omnium Angelorum judex est Christus.

Dices. Ipse Christus *Joan. XII.* 47. ait: *Non veni ut judicem mundum, sed ut salvificem mundum.* Omne vero judicium Patri defert: *Joan. VIII.* 5.° *Est qui quaerat, et judicet.* Ergo.

℟. 1.° *Dist. ant.* Non venit Christus, ut judicet mundum in primo illo adventu, in quo venit, ut salvaret mundum, de quo adventu tunc loquebatur, *conc.* Non venit in secundo adventu, *neg.* In primo adventu non venit judicaturus, sed judicandus, ut inquit *Augustinus*; In secundo vero adventu, de quo loquitur ipse Christus *Matth. XXV.* et alibi saepe in Evangelio, *forma illa erit judex, qua stetit sub judice; illa judicabit, quae judicata est; judicata est inique, judicabit juste,* ut loquitur idem Augustinus. Vide *Tract. XXI. in Joan. et Lib. I. de Trin. Cap.* 13.

℟. 2.° Cum eodem *Augustino.* Christus non judicat potestate humana, *conc.* Potestate divina sibi a Patre data, propter quam ad Patrem refert et judicium, et omnia sua, *neg.*

Q. I. *Quo sensu dicitur Christus judex vivorum, et mortuorum.*

℟. 1.° Nonnulli Theologi ex illo Apostoli loco I. *Thes. IV.* 15. *Mortui, qui in Christo sunt, resurgent primi. Deinde nos, qui vivimus, qui relinquimur, simul rapiemur cum illis obviam Christo in aera,* putant, eos, qui vivi reperientur adveniente judicii die, saltem justos, non morituros, sed immortalitate dona-

tos

ros Christo judici advenienti occursuros, eoque sensu Christum vivorum, et mortuorum esse judicem.

R. 2.° Cum generalis sit Dei sententia, ut omnes homines, qui ex Adam nati sunt, moriantur, et ipse Apostolus dicat *Rom. V.* 12. *In omnes homines mors pertransiit*, et *Heb. IX.* 27. *Statutum est hominibus semel mori*; imo cùm ultimi judicii diem magna prævertere debeat orbis conquassatio, ruina, et conflagratio, non potest prior illa opinio ullo pacto defendi. Quare vivorum, et mortuorum judex est Christus, 1.° quia omnes omnino homines judicaturus est, tum eos, qui a mundi exordio mortui sunt, tum eos, qui licet adhuc vivi in extremis diebus, morientur tamen, statim cum aliis resurrecturi, 2.° quia justos et peccatores, qui per vivos, et mortuos intelligi possunt, judicabit.

Q. II. *Si ipsi sancti, et Angeli a Christo judicandi sunt, quomodo judicaturi dicuntur* Matth. XIV. 28. *Sedebitis . . . judicantes duodecim tribus Israel?*

R. Quia ipsa eorum virtus, et gloria coram omnibus refulgens, malorum judicium, et condemnatio erit; et quia ipsi quoque judicium Christi, ut sanctum, et justum laudabunt, dicentes: *Magna, et mirabilia sunt opera tua, Domine Deus omnipotens: justae et verae sunt viae tuae, Rex saeculorum*, Apoc. XV. 3. *Alleluja; salus . . : et virtus Deo nostro est: quia vera, et justa judicia sunt ejus*, Ibid. *XIX.* 1.

Q. III. *Quaenam sint futuri judicii praeludia, ac signa.*

R. 1.° Refrigescet charitas multorum, et abundabit iniquitas. *Matth. XXIV.* 12. ita ut longe, lateque grassentur, ac veluti inundent scelera: 2.° Magna erit discessio multorum a fide *II. Thessal. II.* 3. propter quam vocabit Deus ad Christianam religionem, convertetque Judæos, sicut initio Ecclesiæ ob incredulitatem Judæorum Gentiles vocaverat *Rom.* XI. 3.° Surget gens contra gentem, et regnum adversus regnum, ita ut toto orbe exarsura bella, et populorum seditiones videantur *Luc.* XXI. 10. 4.° Terræmotus, pestilentiæ, fames varias orbis regiones vastabunt *Matth. XXIV.* 7. *et Luc. XXI.* 11. Præterea signa in cælo insolita apparebunt,

 no-

novaque, et horribilia *phaenomena Luc. XXI.* 11. 5.° Inter hæc surget Antichristus, qui non est, ut somniarunt Protestantes, aliique hæretici, series quædam principum, sive ut ipsi deblaterant, Romanorum Pontificum; sed vir singularis, isque potentissimus tyrannus longe lateque dominans, qui cruentissimum contra fideles, et Christianam religionem bellum ciebit, nec quemquam ullo loco consistere patietur; nisi vel in fronte, vel in manibus insigne quoddam, sive characterem bestiæ gerat; quod quale futurum sit, clare nunc cognoscere non possumus; multa etiam prodigia patrabit, ut in errorem multi inducantur, videntes præsertim prosperitatem iniquorum hominum. Etiam Heliam, qui tunc apparebit, interficiet; sed brevi regnabit; Deus enim illum interficiet spiritu oris sui *II. Thessal. II.* 3. *et seq.* Post hæc sequetur orbis terrae conflagratio, quae omnes homines, et animalia absumet *II. Pet. III.* 1.° Denique resurrectio mortuorum erit; quod præcipuum Christianæ religionis dogma multi olim post Sadducæos negarunt haeretici, praecipue ii, qui duo rerum principia statuerunt, hodieque negant Sociniani. Sed haec ut pro rei dignitate explicarentur, integrum volumen requirerent. De extremo judicio fuse disserunt Hieronymus Magius *De exustione mundi.* Fridericus Nauseus *De consummatione mundi.* Le Quien *De judicio extremo.* Thomas Malvenda *De Antichristo.* Bellarminus, aliique. De resurrectione vero carnis Tertullianus, Augustinus *Lib. XXII. De Civ.* Inter recentiores Estius, aliique Theologi, imo inter protestantes Vossius *Disp. XII. Thesi. I.* aliique.

§. VI.

De Christo Mediatore Dei, et hominum.

Adv. I. Mediator dicitur, qui inter duos est medius, vel quoad substantiam, quatenus naturam utriusque participat; vel quoad officium, quatenus scilicet vel unius voluntatem alteri denunciat, vel unius preces alteri defert, vel utrumque dissidentem, exhibita parti laesae satisfactione, conciliat. Qui autem hæc omnia simul, habet

habet, et peragit, ille perfectus Mediator est. Negant autem Christum esse Mediatorem Dei, et hominum quoad substantiam ii, qui Christo vel naturam divinam, vel humanam negant, quos supra refutavimus. Negant vero, illum esse Mediatorem quoad officium Sociniani, qui solas internuncii, et advocati partes Christo attribuunt.

II. Christum esse Dei, et hominum Mediatorem, ex Scripturis constat, et sequitur ex ipso ejus Sacerdotio, sacrificio, et satisfactione, de qua supra disputavimus *Cap. IX.* Sed secundum quam naturam sit Mediator inquirendum est. Lutherani enim quidam, et Calvinistae hac in re turpiter hallucinati sunt. Illi Christum esse mediatorem tantum in natura humana docent, quae sententia vulgo tribuitur *Francisco Stancaro* Lutherano, licet ejus verba ambigua sint. *Calvinus* contra autumat, Christum mediatorem esse secundum utramque naturam divinam, et humanam *Epist. ad Polonos.* Eandemque sententiam sequi videntur *Bullingerus, Simlerus*, *Kemnitius*, etc.

RROPOSITIO I.

Christum esse mediatorem Dei, et hominum, dogma fidei est.

Prob. I. *ex Script. I. Tim. II.* 5. *Unus Deus, unus et mediator Dei et hominum homo Christus Jesus.* Idem docent uno ore SS. PP. Ergo.

Prob. II. *ratione.* Ille est perfectus mediator tum quoad substantiam, tum quoad officium, qui naturam participat utriusque partis dissidentis, inter quas mediator est; unius voluntatem alteri denunciat; alterius preces alteri defert et utramque partem, exhibita parti offensae satisfactione, conciliat. Atqui Christus in una persona divina naturam etiam humanam habet, ut supra ostendimus; Dei voluntatem hominibus denunciavit in Evangelio; hominum preces Deo offert *I. Joan. II.* 1. *et Heb. VII.* 25. et Deum, hominesque sua satisfactione conciliavit. Ergo. Hinc Irenaeus *Lib. III. cap.* 2.

2.° *Oportuerat*, inquit, *mediatorem Dei, et hominum per suam ad utrosque domesticitatem, in amicitium, et concordiam, utrosque adducere.*

PROPOSITIO II.

Christus neque secundum humanam solum naturam, neque secundum solam divinam, neque secundum divinam simul humanamque naturam mediator est, sed secundum naturam humanam, quatenus in persona divina subsistentem.

Prob. 1a. *pars.* Sola natura humana neque quoad substantiam, neque quoad officium mediatrix esse inter Deum, atque homines potest. Non quidem quoad substantiam, quia utriusque partis dissidentis naturam non participat. Sed nec quoad officium, quia sola natura humana per condignam satisfactionem homines Deo reconciliare non poterat, ut supra ostendimus. Hinc Augustinus *Enchir. cap.* 108. *Neque per ipsum*, inquit, *liberaremur Mediatorem Dei, et hominum hominem Christum Jesum, nisi esset et Deus.* Et Leo M. *Ser. I. De Natali Dom. Nisi esset verus Deus, non afferret remedium, nisi esset verus homo, non praeberet exemplum.* Ergo. etc.

Prob. 2a. *pars.* Ipsa sola natura divina, neque quoad substantiam mediatrix esse potest, ut patet, neque quoad officium; cum non potuerit Deo subjici, atque ita satisfaciendo conciliare illi homines. Ergo.

Prob. 3a. *pars.* quae sequitur ex secunda. Nostra cum Deo amicitia redintegrata est per obedientiam, sacrificium, preces Mediatoris. Atqui haec in naturam divinam cadere non possunt. Ergo.

Prob. 4a. *pars.* I. ex Script. Apostolus *I. Tim. II.* 5. ait: *Unus mediator Dei et hominum homo Christus Jesus.* Homo autem significat personam, quae naturam humanam habet: persona vero illa in Christo divina est. Ergo Christus mediator est quoad naturam humanam in persona divina subsistentem.

Prob.

Prob. II. *ex PP.* Augustinus *Lib. XI de Civ. cap.* 2. *Per hoc*, inquit, *mediator*, *per quod et homo.* Et idem alibi saepe inculcat (a). Cyrillus *Apologia pro XII. anathem. contra Orientales; Quando factus est homo vocatus est Pontifex, non quod majori Deo offerret sacrificium*, *sed sibi ipsi*, *et Patri.*

Prob. III. Officia Mediatoris Christus nonnisi per naturam humanam obire potuit, per quam utpote Patre minorem, se Patri subjecit. Sed natura haec nisi in Verbo subsisteret, a quo ejus operationes meritum acciperent infinitum, non potuisset homines Deo reconciliare. Ergo.

Dices. Multi ex Patribus asserunt, utramque naturam fuisse in Christo necessariam, ut Mediator esset. Sic Augustinus; vel quivis auctor *Hom. de Ovibus cap.* 12. *Non mediator*, inquit, *homo praeter divinitatem, non mediator Deus praeter humanitatem ..... mediatrix est humana Divinitas, et divina humanitas Christi.* Similia docent *Epiphanius in Ancorato*, *Chrysostomus*; *Ambrosius*, *Theodoretus*, *Theophylactus in Cap.* 2. *Ep. I. ad Timot.* Ergo.

℟. *Neg. cons.* Utraque enim natura necessaria erat, tum ut Christus etiam quoad substantiam mediator esset, habens scilicet personam divinam, et naturam humanam; tum ut natura humana in persona divina subsistens, infinitam ab ea hauriret dignitatem, atque operum meritum.

AP-

(a) *Lib.* X. *Confess. cap.* 43. *Lib. I de Trin. cap.* 7. *Lib. I. de Cons. Evang. cap.* 3. *Lib. X. de Civ. cap.* 20. *Lib. II. de Pecc. orig. cap.* 28. *et alibi saepe.* Cyrillus Alex. *Lib. I. Dialog. de Trin.* §. 6. Hilarius Lib. *IX. de Trin. et alii.*

APPENDIX

De cultu, et Invocatione Sanctorum.

Praefatio.

SOlet a Theologis haec tractatio, quae potius ad tractatum de Religione pertinere videretur, superiori subnecti, eo quod Novatores, ut suprà monuimus *Cap. II.* §. 4. ita Christum pro nobis satisfecisse, eoq. modo pro nobis mediatorem esse docent, ut injuria Christi sit sanctos venerari, et invocare, eorumque imagines, et reliquias colere, quasi contra doctrinam Apostoli *I. Tim. II.* 5. pro uno Mediatore Dei, et hominum, plures Ecclesia Catholica mediatores agnoscat, ideoque et nos istam superiori tractatui accessionem polliciti sumus. Ut autem ordine procedamus, 1.° quid sit cultus, et invocatio exponemus: 2.° quaenam Ecclesiae catholicae sit doctrina: 3.° quid haeretici variis temporibus commenti sint 4.° quomodo catholicum dogma stabiliatur, et ab haereticorum calumniis, et cavillationibus vindicetur.

CAP. I.

Quid, et quotuplex sit cultus, et invocatio.

I. CUltus, sive honor est testificatio alicujus perfectionis, et excellentiae, quae in alio est.

II Duplex autem est perfectio, sive excellentia, increata, quae solius Dei est, et creata, quae a Deo creaturis donata est; et haec rursum duplex, naturalis, quae sita est in naturalibus virtutibus, aut dignitate, qua quis in hominum societate pollet; et supernaturalis, quae posita est in donis supernaturalibus gratiae.

III. Hinc triplex potest esse cultus, ut observat S. Thomas 2a. 2ae. *Q. CIII. art.* 3. Primus est, qui perfectioni, et excellentiae increatae debetur, quique communiter recepto vocabulo λατρεια *latria* dicitur, licet aliquando in Scripturis δυλεια *dulia* appellatur, adhibito sci-

scilicet *duliae* nemine pro omnimoda illa servitute, quam Creatori creatura debet. Alter, qui creatæ et naturali perfectioni exhiberi potest, et simpliciter cultus civilis appellatur; qualis fuit, qui ab Abrahamo exhibitus est populo terræ Chanaan, cum eos *adoravit Gen. XXIII.* 12. à Salomone cum adoravit Bethsabeam *III. Reg. II.* 19. et aliis, quorum exempla in Scripturis frequentia sunt. Tertius est, qui perfectioni, et excellentiæ creatæ supernaturali exhibetur; qualem cultum fideles Apostolis adhuc viventibus detulisse, scimus ex Actibus Apostolorum. Hic cultus a Theologis *dulia* dicitur, et quia inter omnia gratiarum dona creaturis tributa, eminent illa, quæ B. Mariæ Virgini divinitus data sunt, ideo eorum cultus *hyperdulia* appellatur.

IV. Rursum cultus alius est interior, alius exterior. Interior in actibus intellectus, et voluntatis est positus, quatenus aliquem intellectu judicamus honore dignum, eique per voluntatem subjicimur. Qua in re cavendum est, ne aut judicium intellectus sit falsum, aut voluntatis subjectio vel major, vel minor sit merito. Exterior autem cultus in exterioribus actibus situs est, per quos nostram de aliquo existimationem significamus. Sed cum externi actus ab hominum placito significationem habeant; hinc nonnulli externi actus ex omnium gentium consensu ad significandum latriæ cultum electi sunt, ut est sacrificium; alii vero tum ad latriam, tum ad duliam, imo etiam ad cultum civilem significandum promiscue usurpantur, ut est thuris oblatio, luminum accensio, adgeniculatio; ac proinde tum ex intentione colentium, tum ex circumstantiis loci, temporis, etc. coarctari solent vel ad latriam, vel ad duliam, vel ad civilem cultum significandum,

V. Præterea cultus vel absolutus est, vel relativus. Cultus absolutus est, qui exhibetur alicui, qui ipse per se dignitatem, atque excellentiam habet honore dignam. Relativus vero est, qui defertur rei, quæ nulla per se fulget excellentia, sed quia pertinet ad eum, quem colimus, ideo et ipsa apud nos in honore est. Sic res, quas nobis amicus, quem maxime diligimus, in sui memoriam reliquit, habemus in pretio.

VI. Invocatio quoque vel strictiori, vel latiori signi-

ficatione usurpari solet. Primo enim significat appetitum boni, quo quis tamquam ultimo fine frui cupit. Unde Augustinus *In Psal. LV.* docet, eos qui a Deo petebant temporalia bona, non invocasse Deum, sed ipsa bona, quæ ab illo exoptabant: *Quidam Dominum sic invocare videbantur, et petebant eum de hereditatibus, de ceteris bonis temporalibus. Et quid de illis Scriptura dicit? Deum non invocaverunt.* Latius vero usurpata invocatio, est quæcumque oratio ad eum, qui bona nobis vel per se largiri, vel ab alio obtinere potest.

C A P. II.

Quid doceat Ecclesia Catholica de cultu sanctorum, Crucis, imaginum, et reliquiarum.

I. Docet Ecclesia, solum Deum colendum esse cultu latriæ tum interiori, tum exteriori ab omnibus recepto ad latriæ cultum significandum: quale est sacrificium; quod alicui creaturæ utcumque præcellenti offerre, idololatriæ sacrilegium est.

II. Solum Deum invocandum esse, invocatione illa strictius intellecta pro desiderio summi boni. Imo solum invocandum invocatione etiam latius accepta, sed qua oramus primum bonorum omnium principium, qui illa per se largiri potest.

III. Licere, ac pium esse Sanctos colere cum Christo regnantes, non *latria*, sed *dulia*, et B. Virginem *hyperdulia*; hoc tamen necessarium non esse neque *necessitate medii*, neque *necessitate praecepti* quoad singulos fideles. Utrum autem cultus hic, quo sanctos prosequimur, pertineat ad virtutem religionis, an ad aliam virtutem, puta charitatis, aut alterius, Ecclesia Theologis relinquit, salva fide, disputandum.

IV. Pium, et utile esse Sanctos cum Christo regnantes invocare, adhibita latius invocatione pro oratione ad eos directa, qui bona nobis a Deo per merita Christi impetrare possunt.

V. Crucem Christi, hoc est non solum illam ipsam, cui Christus affixus est, sed etiam eas, quæ ad illius similitudinem expressæ sunt, item imagines Christi, et san-

sanctorum, eorumque reliquias coli quidem non posse cultu absoluto, quasi divinum aliquid in se contineant, sed pie coli posse, cultu relativo, quatenus scilicet in memoriam nobis revocant *prototypa*, quæ diligimus, et honoramus, ad quæ *prototypa* cultus ille eorum imaginibus exhibitus refertur.

VI. In cultu tamen crucis, imaginum, et reliquiarum adhiberi tantum posse illa exteriora signa, quæ ex communi hominum consensu ad latriam significandam non sunt instituta.

Hæc Catholicæ Ecclesiæ doctrina, quæ ipsa sua soliditate se commendat, ex Conciliis OEcumenicis Nicæno II. et Tridentino constat, ita ut quidquid huic contrarium adversarii fingant ab Ecclesia doceri, hæreticorum calumnia sit.

C A P. III.

Quid haeretici, variis temporibus de cultu Sanctorum commenti sint.

I. JAm inde a primo Ecclesiæ sæculo hæretici nonnulli imbuti doctrina Platonicorum, qui hunc mundum Angelorum regimini a Deo relictum putabant, asseruerunt, non posse ad Deum perveniri, nisi vota, et sacrificia ad Angelos dirigantur, quos Platonici *Genios*, aut Deos minores appellabant. Hunc errorem reprehendit Apostolus *Colos II.* 18. dicens: *Nemo vos seducat, volens in humilitate, et religione Angelorum, quae non vidit ambulans, frustra inflatus sensu carnis suae* (hoc est mundanæ philosophiæ). Eumdem adhuc vigentem sæculo tertio damnavit Synodus Laodicæna *Can. XXXIV.* Ejus etiam mentionem faciunt Chrysostomus *Hom. VII. in loc. cit.* et Theodoretus *Lib. III. Haeretic. fabular. cap.* 4. *et in Cap. II. Ep. ad Colos.*

II. Manichæi tertio sæculo omnem cultum Sanctorum, eorumque imaginum, et reliquiarum, imo ipsius Sanctæ Crucis, respuerunt, hæc omnia objicientes Catholicis, tamquam idololatriæ crimen: ex quo patet, jam in Ecclesia catholica cultum illum publice usurpatum. Vide Augustinum *Lib. VI. cont. Faustum.*

III.

III. *Eunomius* in Oriente, et *Vigilantius* in Occidente omnem cultum reliquiarum, ut superstitiosum damparuit, Catholicosque eam ob caussam Cinerarios, et idololatras appellabant. ut testatur Hieronymus *Lib. contra Vigilantium.*

IV. Contra sacras Imagines bellum indixit in oriente Sæculo VIII. *Leo Isauricus* Imperator, a Judæo quodam deceptus. Ejus filius *Constantinus Copronymus* paternae impietati haeres incredibili crudelitate ob eam causam catholicos vexavit; imo coacto Constantinopoli Concilio Episcoporum plusquam trecentorum, sollemni decreto imagines omnes abolendas curavit, ita ut non solum Principum edicto, verum etiam concilii auctoritate sublatae, confractae, deletae viderentur. Ejus filius *Leo* Imperator eodem furore contra sacras imagines debacchatus est, ideoque Imperatores isti, eorumq. fautores *Iconomachi*, et *Iconoclastae* dicti sunt. Eorum impietas in eo sita est, quod non solum sacras imagines sacrilege proculcarent; verum etiam addita haeresi docerent, errassè Ecclesiam, quae eis cultum exhiberi eo usque passa erat.

Porro obstiterunt Inconomachis in Oriente quidem *Germanus* Patriarcha C. P. et *Joannes Damascenus*; in Occidente vero Summi Pontifices *Gregorius* II, *Gregorius* III. *Stephanus* IV. qui coactis Romae Conciliis, Inconomachorum haeresim, et Constantinopolitanum Conciliabulum damnarunt. Tandem sub *Constantino* Imperatore, et *Irene* ejus matre piissimis principibus habitum est Concilium VII. Oecumenicum, Constantinopoli primo inchoatum, deinde Nicaeae absolutum, unde dictum est Nicaenum II. In eo Concilio, praesidentibus legatis Hadriani I. S. Pontificis, legitimus Sacrarum imaginum cultus restitutus est. Ejus Concilii decreta Gallicana Ecclesia tunc recipere detrectavit, eo quod ex mendosa versione Latina putarunt Gallicani Episcopi, a Concilio decretum esse S. Imaginibus eundem honorem, qui SS. Trinitati debetur Quo errore postmodum detecto, Ecclesia universa Concilium Nicaenum II. ut Oecumenicum recepit.

V. Iconomachi licet imagines omnes Sanctorum confriu-

fringerent; Sanctae tamen Cruci pepercerunt. At in Occidente fuerunt primo nonnulli Saeculo IX. qui solum Crucem, cui Christus affixus est, honorandam putabant, reliquas rejiciendas. Deinde *Claudius Taurinensis* Episcopus Cruces omnes, ne ipsa quidem excepta vera Christi Cruce, conculcavit. Eandem impietatem secuti sunt *Petrobrusiani*, et *Albigenses* Manichaeorum propago; nec non *Wicleflus*, et *Hieronymus Pragensis* in Concilio Constantiensi damnati.

VI. Tandem omnium haereticorum, qui supra descripti sunt, errores (excepto tantum dogmate eorum, quos primo loco commemoravimus) Lutherani, et Calvinistae amplexi sunt, in unum colligentes haeresim *Manichaeorum*, *Iconomachorum*, *Eunomii*, *Vigilanti*, *Petrobrusianorum*, *Albigensium* objicientes etiam exemplo Manichaeorum Ecclesiae catholicae Idololatriam, eo quod sanctos, eorumque imagines, et reliquias, nec non sanctam Christi crucem veneratur. Calviniani tamen, ac Lutherani in eo ab Iconomachis, et a se invicem dissentiunt, quod Calviniani docent, posse imagines domi ad solam memoriam retineri, non tamen in Ecclesia; Lutherani vero etiam in Ecclesia eas retinent; sed utrique nullo eas cultu honorandas putant, quorum impudentiam sequentibus capitibus retundemus.

C A P. IV.

Utrum liceat sanctos cum Christo regnantes colere.

Adv. NOn est quaestio de cultu *latriae*, quem Catholici soli Deo tribuendum toties professi sunt contra Paganos, et Manichaeos, quorum calumnias mirum est rursus a Protestantibus fuisse Ecclesiae impactas, sed de cultu *duliae*, qui eorum supernaturali excellentiae respondeat.

PRO-

PROPOSITIO.

Dogma fidei est, licitum esse, et pium sanctos colere, non tamen necessarium necessitate medii, aut praecepti singulos fideles obligantis.

Prob. 1a. *pars.* I. ex Scripturis. Sanctis Angelis exhibitum fuisse cultum a viris sanctitate eximiis sacrae litterae testantur. Sic Abraham *Gen. XVIII.* 2. venientibus ad se Angelis, *cucurrit in occursum eorum de ostio tabernaculi, et adoravit in terram.* Loth. *Gen.* XIX. 1. Angelos, qui Sodomam venerant, *adoravit, pronus in terram.* S. Joannes Evangelista. *Apoc. XIX.* 20. *et XXII.* 8. Angelum bis adorare voluit, quod non tentasset saltem secunda vice, si id non licere scivisset. Josue etiam *Jos. V.* 15. Angelum, qui se esse dixerat Principem exercitus Domini, *pronus in terram adoravit.* Sed angeli non minus creaturae sunt, quam sancti homines cum Christo regnantes. Ergo si illis cultus legitime adhiberi potuit, potest etiam istis.

Prob. II. Ille cultus licitus est, quem Ecclesia semper, et ubique sanctis exhibuit; quod enim universa facit Ecclesia; utrum sit faciendum disputare, insolentissimae insaniae est, ut ait *Augustinus.* Atqui Ecclesia semper, et ubique cultum aliquem Sanctis exhibuit; quod ex sequentibus momentis patet.

1.° Ecclesia vel a primis saeculis dies festos in honorificam Sanctorum memoriam instituit, ut patet ex Constitutionibus, quae dicuntur Apostolicae *Lib. VIII. Cap.* 33. quisquis earum auctor sit, qui certe primis saeculis vixit; sic enim habent: *In die autem Stephani Proto-Martyris vacent, ac reliquis diebus S S. Martyrum, qui Christum vitae suae anteposuerunt.*

2.° Loca etiam sacra, vel a primis saeculis in Sanctorum honorem dedicata, quae *Oratoria, Martyria, Basilicae, Ecclesiae*, et aliquando etiam *Templa* dicebantur, res est ex Ecclesiastica historia satis evidens.

3.° SS. Patres cultus Sanctorum testes sunt locupletissimi 1.° *Populus Christianus*, inquit Augustinus *Lib. XX. cont. Faust. cap.* 21. *memorias martyrum religiosa sol-*

sollemnitate concelebrat. 2.° Ante eum Eusebius *Lib. XIII. Praep. Evang. cap. 7. Nos*, inquit, *verae pietatis milites, ut Dei amicissimos honoramus.* 3.° Basilius *Orat. in XL. Martyres*; *Honor, quem bonis conservis exhibemus, benevolentiae erga communem Dominum significationem de se praebet.* 4.° Teodoretus *Lib VIII. ad Graecos*: *Suos mortuos Dominus Deus noster in Templa pro Diis vestris induxit . . . Atqui nos, o Graeci homines, nec hostias Martyribus, nec libamina ulla deferimus, sed ut sanctos homines, Deique amicissimos honoramus.* Idem alii docent (1). 5.° Ipsi Ecclesiae hostes testantur, cultum Sanctorum fuisse semper, et ubique receptum. Manichaei enim, ut supra diximus, eum cultum crimini vertebant Catholicis, nec umquam nostri responderunt, id esse falsum, sed non esse malum.

4.° Non potest signari tempus, quo in Ecclesia universa cultus Sanctorum inceperit, nec quomodo recens a paucis usurpatus universam ubique terrarum Ecclesiam nemine reclamante infecerit. Ergo ab Apostolis est traditus. Quod enim universa tenet, aut facit Ecclesia, nec in Conciliis institutum, sed semper retentum est nonnisi Apostolica auctoritate traditum rectissime creditur, ut ait *Augustinus.* Ergo.

Prob. III. *ratione.* Illi pie coli, sive honorari possunt, qui honore digni sunt. Atqui sancti honore sunt digni. Donorum enim supernaturalium cumulus, quibus illos auxit Deus, maxima excellentia est, quam ipsi amittere in aeternum non possunt. Ergo. Porro si omnes sancti *dulia* coli possunt, utiq. B. Virgo, quae sanctos omnes et Angelos dignitate, et gratia antecellit, majori veneratione colenda est, quae veneratio *hyperdulia* dicitur.

Prob. 2a. *pars.* Possunt homines salutem consequi per fidem, spem, charitatem, et sacramenta, modo Sanctos non

(1) Origenes *Hom. III. de divers.* Nazianzenus *Orat in Machab.* Nyssenus *Orat. in. S. Theodor.* Chrysostomus *Hom. de II. Juvent.* et *Maxim.* Cyrillus *Lib. VI. in Julian.* Ambrosius *Serm*, VI. etc.

religio, absolutus honor, et gloria, ideo potest dici cultus religiosus, quia saltem a religione imperatur, licet disputent Theologi, utrum elicitus sit a religione, an a charitate. Creaturis vero illis, quas Ethnici colebant, nullum cultum exhibere licet; idest non solum *latriae*, aut omnimodae *duliae*, qualem cultum Creaturis illis gentes exhibebant: sed nec cujuscumque *duliae*. Nam venerari daemones, aut homines scelestos, manifesta est in Deum injuria, cui illi inimici sunt: venerari vero creaturas inanimas, ut solem, lunam, animalia, manifesta in ipsum hominem injuria est, qui est creaturis illis longe nobilior, et in cujus servitium illae conditae, et subjectae sunt.

Objic. II. Ecclesia prioribus saeculis non aedificabat sanctis templa, non erigebat altaria, ut clare docet Augustinus *Lib. XXII. de Civ. cap.* 10. *Nos martyribus nostris non templa sicut Diis, sed Memorias sicut hominibus mortuis aedificamus*: non statuas ponebat: non coram ipsis statuis lumina, aut thymiamata incendebat, aut genua flectebat. Atqui haec omnia hodie Catholici faciunt. Ergo verae *idololatriae* rei sunt.

℟. *Dist. maj. quoad* 1m. *part.* Non aedificabat templa, et altaria ipsis sanctis, quasi Diis, ut scilicet illis offerret sacrificium, *conc.* Non aedificabat templa, et altaria Deo in honorem Sanctorum, ut scilicet offerret Deo sacrificium in honorificam sanctorum memoriam, *neg.* Et quoad statuas, luminaria, incensum, *Transeat. Distinguo* etiam *min. quoad* 1m. *part.* Haec omnia faciunt catholici, hoc est erigunt sanctis templa, et altaria, ut ipsis offerant, tamquam diis sacrificium, *neg.* Erigunt templa, et altaria Deo in honorificam sanctorum memoriam, *conc.* Et *quoad* 2m. *part.* Catholici statuas sanctorum per lumina etc. venerantur in signum *duliae*, conc. *latriae*, neg.

Itaque possemus etiam hodie Novatoribus respondere quod Hieronymus Vigilantio: *quis, o insanum caput, aliquando Martyres adoravit? quis hominem putavit Deum?* et quod Augustinus *Lib. XX. cont. Faust. cap.* 21. *Nobis calumniatur Faustus, quod martyrum memorias honoramus, in hoc dicens nos idola vertisse... Nulli martyrum, sed ipsi Deo martyrum, quamvis in*

memorias martyrum, constituimus altaria. Quis enim Antistitum in locis sanctorum corporum assistens altari, aliquando dixit: Offerimus tibi Petre, aut Paule, aut Cypriane? Templa ergo, altaria, et sacrificia nostra, quae sola ad latriam significandam sunt definita, soli Deo constituta sunt: unde in Liturgia non dicimus: *offerimus tibi Petre, aut Paule*, sed *offerimus tibi Domine*. Incensum vero, luminaria, genuflexiones non sunt signa externa *latriae*, sed ad *duliam* quoque significandam adhiberi solent, etiam erga Principes, aliosque dignitate praecellentes, unde ab interno *duliae* actu, et circumstantiis adhibentur a nobis ad *duliam*, non ad *latriam*. Esto vetus Ecclesia nondum adhibuerit talia externa *duliae* signa.

Objic. III. Angelus *Apoc. XIX.* 10. prohibuit *Joannem*, ne ipsum adoraret: *Vide ne feceris; conservus tuus sum . . . Deum adora.* Atqui *Joannes* noluit Angelorum adorare ut Deum. Ergo proibitus est, quemcumque cultum Angelo exhibere.

℟. 1.° Retorquendo argumentum. *Joannes* enim ab Angelo admonitus voluit tamen illum etiam altera vice adorare *Apoc. XXII.* 8. Atqui tantus Evangelista, et propheta nec ignorasset, id esse malum, saltem post Angeli monitum; nec tentasset, si revera malum esset. Ergo Angelus id non prohibuit, quia malum erat, sed aliam ob causam.

℟. 2.° *Neg. cons.* Ratio enim cur Angelus uolnit ab *Joanne* adorari ea fuit, vel quia putabat Joaunes, Angelum esse ipsum Christum, ut censet Augustinus *Quaest. LXI. in Genes.* vel quia reverentiam ostendere voluit erga tantum Christi Apostolum, Evangelistam, Prophetam, et Martyrem, ut censent alii Patres, quod magis cohaerere videtur ipsius Angeli verbis: *Vide ne feceris: conservus tuus sum: et fratrum tuorum habentium testimonium Jesu.*

Objic. IV. *Esther XIII.* 14. Mardochaeus constanter recusavit *Aman* inclinare caput; *ne honorem, inquiens, Dei mei transferrem, ad hominem, et ne quemquam adorarem, excepto Deo meo*: Ergo.

℟. *Neg. cons.* Cum enim frequentissima sint in Scriptu-

pluris exempla virorum sanctitate illustrium, qui magnates adorarunt proni in terram pro more apud Orientales usitato; imo cum ipse Deus precipiat *Eccli. IV. 7. Magnato humilia caput tuum*, dicendum est, *Aman* divinum honorem affectasse.

Objic. V. Augustinus *Lib. de Vera Relig. cap.* 55. *Non sit*, inquit, *nobis religio cultus hominum mortuorum, quia si pie vixerunt non sic habentur, ut tales quaerant honores; sed illum a nobis coli volunt, quo illuminante laetantur, meriti sui nos esse consortes.* Idem docent alii PP. ut Epiphanius *Haeresi LXXIX.* Ambrosius *in Cap. I. ad Rom.* aliique. Ergo.

℟. *Neg. cons.* Damnant enim Patres cultum divinum sanctis exhibitum vel ab haereticis; quales erant illi, qui Angelis offerebant sacrificia, quos redarguunt *Chrysostomus*, et *Theodoretus*; item *Collyridiani*; qui B. Virginem colebant, ut Deam, eique per quasdam mulieres offerebant sacrificia quos reprehendit *Epiphanius*: vel a superstitiosis Christianis, quos si aliquando errare videt Ecclesia in cultu Sanctorum, semper instruit, vel corripit, ut facit in laudatis verbis *Augustinus*.

Objic. VI. *cont. 2m. part.* Ecclesia instituit festos dies in honorem Sanctorum, eorumque festorum observationem singulis fidelibus praecipit. Ergo cultus Sanctorum singulis necessarius est *necessitate praecepti*.

℟. *Neg. cons.* In festis enim illis Ecclesia non aliud fidelibus praecipit, nisi ut adsint sacrificio Missae, et aliquando etiam ut vacent ab operibus servilibus, quo possint liberius alia pietatis officia peragere; quae duo pertinent ad Dei cultum. Finis quidem praecepti Ecclesiae est honor sanctorum; sed si quis sine sanctorum contemtu, qui semper sacrilegus est, ad hunc finem non advertat, dummodo sancte obeat duo illa religionis munera, satisfacit Ecclesiae praecepto. Vide ista fusius apud *Jac. Latomum*, *Jodocum Clictovaeum*, *Bellarminum etc.*

CAP. V.

Utrum licitum, pium, et utile sit Sanctos invocare.

Adv. NOn est quaestio de illa invocationis specie, quam supra diximus esse ipsum summi boni, sive ultimi finis desiderium: certum enim est, illa ratione nonnisi Deum invocari posse; sed de invocatione latius intellecta pro precibus ad eum directis, qui nos aliquo pacto ad ultimum finem consequendum adjuvare potest.

PROPOSITIO.

Dogma fidei est, licitum, pium, et utile esse sanctos cum Christo regnantes invocare, ut a Deo per Jesum Christum beneficia nobis impetrent.

Prob. I. *ex Script.* 1.° Licitum est, pium, et utile invocare Angelos; hoc enim sanctos viros fecisse Scriptura commemorat. Sic Loth oravit Angelum *Gen. XIX.* 18. *et seq.* item Jacob *Gen. XLVIII.* 16. Ergo et sanctos. 2.° Licitum est, pium, et utile invocare, sanctos viros adhuc viventes, mortales, peccatis saltem venialibus adhuc subjectos, necdum omnino de sua praedestinatione securos. Sic Israelitae Samuelem orant *I. Reg. VII.* 8. *Ne cesses pro nobis clamare ad Dominum... ut salvet nos*, et Apostolus *Rom. XV.* 30. *Obsecro*, inquit, *vos, fratres ... ut adjuvetis me in orationibus vestris pro me ad Deum.* Imo Jacobus Apostolus omnibus insinuat *Jac. V.* 16. *Orate pro invicem, ut salvemini: multum enim valet deprecatio justi assidua.* Et ipse Deus amicos *Job* jubet ad eum confugere, ut oret pro ipsis. *Ite ad servum meum Job, et ... orabit pro vobis*: *Job. XLII.* 6. Ergo a fortiori licitum est invocare Sanctos cum Christo regnantes, majori charitate ferventes *jam de sua immortalitate securos, de nostra incolumitate sollicitos*, ut loquitur *Cyprianus Lib. de Mortalitate.* Hoc argumentum Protestantibus crucem figit; nec se inde umquam extricare potuerunt.

Prob.

Prob. II. *ex PP.* 1.° Augustinus *Serm. XVII. de Verb. Apost. Injuria est*, inquit, *pro martyre orare, cujus nos debemus orationibus commendari.* Et in Psal. *CV.* expendens illa verba: *Si non Moyses electus ejus stetisset in confractione*, ait: *non ita dixit stetisse in confractione, ut frangeret iram Dei, sed in confractione, idest in plaga, qua illi feriendi erant, nisi objecisset seipsum pro eis*: *ubi demonstratum est, intercessio Sanctorum quantum pro aliis valeat.* 2.° Cyrillus Hieros. *Catechesi V. Cum hoc sacrificium offerimus, facimus etiam mentionem eorum, qui ante nos obdormierunt, Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum ... ut Deus orationibus illorum suscipiat preces nostras*, 3.° Patres Concilii Chalcedonensis *Act. XI. Flavianus post mortem vivit, Martyr pro nobis oret.* 4.° Idem denique definitum est in Concilio generali VII. *Act. VI.* et Tridentino *Sess. XXV. Decr. de venerat. et Reliq. Sanct.* ubi declaravit, *Sanctos una cum Christo regnantes orationes suas pro hominibus Deo offerre*; *bonum, atque utile esse, suppliciter eos invocare, et ob beneficia impetranda a Deo per Filium ejus Jesum Christum Dominum nostrum, qui solus noster Redemtor, et Salvator est, ad eorum orationes, opem, auxiliumque confugere.*

Prob. III. *ratione.* Sanctos pro hominibus adhuc viventibus orare, discimus ex Scripturis, et Traditione. Nam *II. Machab. XV.* 12. *et seqq. Onias*, qui fuerat summus Pontifex, et *Jeremias* Propheta orant pro populo Israel, et *Tob. II.* ait Angelus Raphael Tobiae: *Quando orabas cum lacrymis ... ego obtuli orationem tuam Domino.* Unde Gregorius Nazianz. *Orat. XIV.* de Patre suo defuncto ait: *Nunc magis proficit nobis precibus, quam antea doctrina*; idemque alii Patres testantur (a). Si ergo illi in Caelo pro nobis orant, bonum est,

(a) Eusebius *Lib. XIII Praep. Ev. Cap.* 7. Basylius *Orat. in XL. Mart.* Chrysostomus *Hom. LXVI. ad Pop.* Nyssenus *Orat. in S. Theodor.* Damascenus *Lib IV. de fid. ort. Cap.* 16. Hilarius *in Psal. CXXIX.* Ambrosius *Lib. de Vid* Fulgentius *Serm. De Laudib. B. Mar.* Gregorius M. *Lib. II. Dial. cap. ult.* Bernardus *Serm. II. in Missus est etc.*

est, et utile ad eorum orationes confugere. Vide haec fusius apud *Davenportium*, *Nic. Fabrum*, et *Hesselium* in peculiaribus Tractatibus *De invocatione Sanctorum*. *Joannes Garetius Collectanea* edidit testimoniorum e S. Patribus pro invocatione Sanctorum, Multa etiam de his habet *Bellarminus*; *Tournely*, aliique recentiores.

Solvuntur objectiones.

Objic. I. Ille solus invocari potest: in quem credere possumus; ait enim Apostolus *Rom. X. 14. Quomodo invocabunt, in quem non crediderunt?* Atqui in Deum solum credere possumus. Credere enim in aliquem est in eo spem nostram collocare, eumque diligere ut summum bonum. Ergo.

℟. *Dist. ant.* Ille solus invocari potest invocatione strictius intellecta pro desiderio summi boni, *conc.* Invocatione latius dicta pro quacumque oratione, *neg.* Vult ergo Apostolus, neminem posse Deum invocare, nisi prius in eum crediderit. Quid inde?

Objic. II. *I. Tim. II.* 5. *Unus Deus, unus et mediator Dei et hominum homo Christus Jesus.* Atqui si sanctos etiam invocamus, plures facimus mediatores praeter Christum; ergo invocatio Sanctorum injuria Christi est.

℟. *Dist. maj.* Unus mediator primarius, qui sua ipsius merita Deo Patri offert, et pro suo ipsius merito pro nobis intercedit, *conc.* Unus mediator absolute excludens alios, qui meritis ipsius primarii mediatoris innituntur, *neg.* Alioquin illicitum esset etiam nos orationibus hominum viventium commendari, quod falsum esse, ex ipso Apostolo patet, ut supra ostendimus. Hinc intercessio Sanctorum auget, non minuit gloriam Christi mediatoris; cujus merita tanta sunt, ut etiam virtutem sanctis tribuant intercedendi apud Deum pro nobis. Sic *Cicero Caesarem* laudat, eo quod non solum sibi pepercerit *Pompeji* partes secuto, verum etiam pro aliis intercedendi potestatem fecerit. Apposite Augustinus *Lib. II. cont. Parmenian. Hic* (nempe Christus) *est unus, et verus mediator noster, et advocatus, pro quo nullus interpellat, sed ipse pro omnibus,*

ali-

aliquando quidem per membra corporis sui, quae pro se invicem sollicita sunt. Ideo Ecclesia orationes omnes, etiam illas, in quibus suffragia Sanctorum exposcit, *per Christum Dominum nostrum* concludit.

Inst. Ex concessis Christus mediator primarius ex suis ipsius meritis pro nobis intercedit; aliorum vero intercessio, si quid valet, ex Christi meritis valet. Ergo habentibus mediatorem longe potentiorem, quam omnes sancti, et Angeli simul, inutile est ad istos confugere.

℟. *Neg. cons.* Voluit enim Deus, ad gloriam Sanctorum suorum augendam, quaedam per eorum orationes concedere.

Objic. III. Sancti nihil cognoscunt eorum, quae hic aguntur, unde dicitur *Eccle. XI.* 5. *Mortui nihil noverunt amplius.* Ergo orationes nostras non audiunt, ac proinde inutiles sunt.

℟. *Dist. ant.* Non cognoscunt naturaliter quae hic aguntur: *conc.* Supernaturaliter, Deo illis revelante, *neg.* Habemus enim in Scripturis argumenta, ex quibus constat, sanctos non latere aliqua, quae hic aguntur, atque ad eos pertinent. Sic *Luc. XV.* 7. Beati gaudent de poenitentia hominum peccatorum. *Luc. XVI.* 15. Abraham cognovit preces Epulonis, licet chaos magnum inter illos firmatum esset. *Possunt*, inquit Augustinus *Lib. de cura pro mortuis cap.* 15. *spiritus mortuorum aliqua, quae hic aguntur, quae necessarium est eos nosse .... Spiritu Dei revelante cognoscere, sicut Prophetae, dum hic viverent, cognoscebant quae illis revelanda, Dei providentia judicabat.* Ceterum quamvis sancti ignorarent singulas preces nostras (neque enim hoc Ecclesia definivit, utrum sancti orent tantum pro nobis generatim, an singillatim) non minus tamen utilis esset invocatio nostra; cum Deus, cui placet haec inter triumphantem, et militantem Ecclesiam sancta societas, possit per se dare, quae nos a sanctum orationibus expectare videt.

In. 1.° Ut sancti pro nobis orent, oportet primo, Deum ipsis revelare preces nostras. Nonne ergo melius erit statim confugere ad ipsum Deum Patrem nostri amantissimum, ab eoque postulare, quae volumus, in nomine

mine Filii ejus Jesu Christi, qui dicit in Evangelio *Joan. XVI. 23. Amen, amen dico vobis si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis* . . . . et seq. v. 26. *In illo die in nomine meo petetis: et non dico vobis, quia ego rogabo Patrem de vobis: Ipse enim Pater amat vos.*

℟. *Neg. cons.* Licet enim amet nos Deus, multo tamen magis amat sanctos, quorum orationibus nobis quaedam concedere decrevit. *Omnes Sancti*, inquit Gregorius M. *Lib. IX. Moral. cap. 9. qui irae Dei obviant, ab ipso accipiunt, ut contra impetum percussionis ejus opponantur, atque ut ita dixerim, cum ipso erigunt se contra ipsum, eosque divina vis sibi opponit secum.*

Inst. 2.° Chrysostomus *in Cap. 2. ad Colos. Neque enim*, inquit, *tam facile Deus annuit, cum alii orant pro nobis, quam cum ipsimet oramus, etiamsi plurimis malis plenissimi.* Ergo.

℟. *Neg. cons.* Reprehendit enim *Chrysostomus* eos, qui nihil ipsi orare volunt, dicentes esse Sanctos in caelis, qui pro iis orent. Nos contra dicimus, orandum esse Deum per merita Christi, et utile esse etiam sanctorum intercessionem, Christi meritis innixam, adhibere.

Inst. 3.° Ipse Christus docens Apostolos orandi modum *Matth. VI. 9.* non aliud ipis praecepit, nisi ut dicerent: *Pater noster, qui es in caelis* etc. Ergo frustra addimus preces ad sanctos.

℟. *Neg. cons.* In laudata enim, ac praecellentissima oratione Dominica voluit nos edocere Christus, quid, et quo ordine peteremus. Non tamen vetuit ne quod in ea oratione petimus, intercessionibus etiam Sanctorum petamus. Nam in oratione illa meritorum Christi mentio nulla est, et tamen nemo sanus dixerit, non posse nos petere per merita Christi. Ergo licet non fiat mentio intercessionis sanctorum, non sequitur tamen, illam esse vetitam.

Inst. 4.° Rudiores homines occasione invocationis sanctorum obliviscuntur Christi; imo Dei ipsius putantes, sanctos esse primos bonorum, quae postulant, auctores. Et quod longe est deterius; quibusdam orationibus ad sanctos fusis contenti, parum, aut nihil

sunt

sunt de sua salute, et vera pietate solliciti; putantes, non posse damnari qui sancto alicui sit devotus. Quis numeret superstitiones, et nugas, quae hac in re invaluerunt apud vulgus? Ergo satius esset omnem penitus prohibere sanctorum invocationem.

℟. *Neg. cons.* Si enim ob paucorum abusum, qui corrigi facile potest diligentia Pastorum, quibus Ecclesia in Concilio Tridentino omnem falsae devotionis extirpationem commendavit; si inquam, ob paucorum abusum ipsa invocatio sanctorum abolenda esset, abolendae quoque essent Sacrae Scripturae abolenda sacramenta, et quidquid boni a Christo, vel ab Ecclesia institutum est, cum constet, homines vel indoctos, vel impios hisce omnibus abuti ad suam, et aliorum perditionem; quod absurdum est (*a*).

Scholion.

Utrum autem non solum sanctos cum Christo regnantes, sed et animas piorum, quae in Purgatorio sunt, invocare juvet, ac liceat, magna inter Theologos agitata controversia est. S. Thomas enim id negare videtur 2a. 2ae. *Q. LXXXIII. art.* 11. *et in IV. Dist. XV. Q. IV. art.* 5. ideoque Thomistae non pauci ejus auctoritate commoti negantem sententiam secuti sunt, quos collegit *Joannes Frescobaldus* peculiari Dissertatione de hoc argumento. Sed cum *S. Thomas* non ex professo rem pertractet, ut advertit *Sylvius*; ideo ex ipsa Thomistarum Schola Theologi contrarium affirmant, ut non solum ipse *Sylvius*, sed et *Estius*, *Gottius*, aliique, ita ut affirmans sententia communis inter Theologos videatur; cui favet etiam fidelium persuasio, et usus. Praeclare Estius: » Si dives Epulo, inquit, apud inferos constitutus pro fratribus » suis erat sollicitus, erga quos tamen veram caritatem non habebat, quanto magis animae in Purgatorio jam de sua salute securae, et veram erga nos » charitatem habentes pro nobis orant? Requirit enim » hoc quoque membrorum ejusdem corporis in cari-

ta-

(a) De variis autem abusibus scripserunt, *Thiers*, *Cordemoi*, *Bailles*, *Muratorius*. Caute tamen omnia expendenda sunt, quae abusus esse dicuntur; cauteque in eorum extirpatione procedendum.

» tate communio; praesertim cum non ignorent, imo » certo sciant, nos indigere suffragiis alienis Itaque » sic nos, et illi mutuam praestamus operam, dum » nos pro illis, illi pro nobis orant, quomodo viven- » tes oramus pro invicem, ut salvemur. Nec magis » ab illo caritatis officio eos impedit poenarum acer- » bitas, quam divitem Epulonem impediebat, ne pro » fratribus sollicitudinem haberet. Quamvis enim ani- » mae Purgatorii sint in maximis poenis, non tamen » iis impeditur intentio mentis in quodcumque volue- » rint, quemadmodum accidit nobis in hac vita. Sunt » enim in magna animi tranquillitate. Unde et somnus » pacis eis tribuitur, et quiescere dicuntur in Christo » apud Augustinum *Tract. LXXXIV. in Jo.* et in *Canone Missae* « Risu ergo excipiendi sunt, qui sum- » ma confidentia, tamquam ex tripode, pronunciant, invocationem animarum Purgatorii popularem esse abusum cum tam gravium Theologorum auctoritate, rationibusque nitatur.

C A P. VI.

De cultu Sanctarum Reliquiarum.

Adv. RElíquias dicimus non solum cineres, et ossa corporum sanctorum, sed etiam vestes, aut alia, quae eorum usui, dum viverent, inservierunt.

P R O P O S I T I O

Licitum, et pium est Sanctorum reliquias venerari. Est dogma fidei.

Prob. I. *ex Script.* Deus Sanctorum reliquias miraculis illustravit, easque religiose fideles venerati sunt. Nam 1.° per pallium *Eliae* ab *Elisaeo* adhibitum fluenta Jordanis stupendo prodigio divisit, ut Propheta per siccum alveum pedibus transiret *IV. Reg. II.* 8. 2.° Ipsius Elisaei cadaver solo contactu vitam mortuo restituit

tuit *IV. Reg.*21. 3.° Ossa *Joseph* a Moyse honorifice ex Ægypto translata *prophetasse* dicuntur *Eccli.XLIX.* 18. 4.° Mulier, quae sanguinis fluxum patiebatur, religiose tetigit fimbriam vestimenti Christi, et illico sanata est a plaga *Matth.IX.* 20. 5.° Fideles religiose deferebant ad aegrotos, et vexatos a spiritibus malignis *sudaria*, et *semicinctia* Apostoli Pauli, et sanabantur *Act. XI.* 12. 6.° Ipsam umbram Apostoli Petri fideles venerabantur, ita ut in plateas ejicerent infirmos, ut veniente Petro *saltem umbra illius obumbraret quemquam illorum*, *et liberarentur ab infirmitatibus suis Act. V.* 15. Ergo etc.

*Prob.*II. *ex PP.* 1.° Basilius *in Psal. CXV.n.*4. *In veteri lege si quis moriebatur*, *horum morticina habebantur abominationi*: *contra si mors cuipiam irrogatur pro Christi nomine*, *pretiosissimae sunt reliquiae Sanctorum ejus.' In priori lege dicebatur Sacerdotibus, et Nazaraeis*: *Non contaminabitur super ullo mortuo*: *modo vero quisquis ossa martyris attigit*, *nonnullam sanctificationis communicationem percipit ex ea gratia*, *quae illius corpori insidet.* 2.° Nazianzenus *Orat. III.* sic in Julianum invehitur. *Tunc illos reveritus non es*, *quibus praeclari honores*, *et festa constituta sunt*, *a quibus daemones expelluntur*, *et morbi curantur*, *quorum corpora tantumdem possunt*, *ac sanctae eorum animae sive tangantur*, *sive honorentur*? 3.° Augustinus *Lib.XXII. de Civ. cap.* 8. refert miracula, quae in Africa in religiosa circumgestatione reliquiarum S. Stephani patrata sunt, et *Epist. CCXII. al. CIII. Gallam*, et *Simpliciolam* Quintiliano commendans, *Portant sane*, inquit, *reliquias beatissimi*, *et gloriosissimi martyris Stephani*, *quae non ignorat sanctitas vestra*, *sicut et nos scimus*, *quam convenienter honorare debeatis.* Idem docent Ambrosius *Epist. XXII.* de miraculis in inventione corporum *S. Gervasii*, et *Protasii.* Hieronymus, qui ex professo scribit contra *Vigilantium*, Gennadius *De Eccles. Dogm. cap.*72. qui contrariam sententiam ita notat: *si quis contra hanc sententiam venerit*, *non Christianus*, *sed Eunomianus*, *et Vigilantianus creditur.* Ergo.

Prob.

Prob. III. ex perpetua Ecclesiae praxi. Primo enim saeculo fideles religiose servabant, et venerabantur cathedram Jacobi Apostoli, ex Eusebio *Lib. VII. Hist. cap.* 15. Altero saeculo ossa *S. Ignatii*, et *S. Polycarpi* martyrum magna reverentia fideles coluerunt, ut constat ex *Actis S. Ignatii apud Ruinart. pag.* 10. *et* 22. et ex Epistola Ecclesiae Smyrnensis apud Eusebium *Lib. IV. cap.* 15. Tertio saeculo corpus, et sanguis *S. Cypriani* religiose a fidelibus culta sunt, ut testantur *Acta apud Ruinart. p.* 218 De praxi Ecclesiae Saeculo quarto testis est Hieronymus *Lib. cont. Vigilant.* aliique innumeri. De saeculis posterioribus res est apertissima; ipsi enim Iconomachi sanctas reliquias colendas esse concedebant. Ergo. Tandem id probatur ex Conciliis Carthaginensi V. *can.* 4. Nicaeno II. Bracarensi III. Lateranensi IV. et tandem Tridentino *Sess. XXV.* ubi contrarium sentientes damnati sunt. Ergo etc.

Solvuntur objectiones.

Objic. I. Deus Moysis corpus Judaeis occultum esse voluit, ne illud venerarentur. Ergo etc.

℟. *Dist. ant.* Ne venerarentur cultu latriae, in quam erant proni, et quam postea serpenti aeneo impenderunt, *conc.* Ne venerarentur cultu relativo, *neg.*

Objic. II. Christus *Matth. XXIII.* 29. Pharisaeis exprobat, quod sepulchra prophetarum extruxerint, atque ornaverint: *Vae vobis, Scribae, et Pharisaei hypocritae, qui aedificatis sepulchra Prophetarum, et ornatis monumenta justorum.* Ergo hoc superstitiosum est.

℟. *Dist. ant.* Christus exprobat Pharisaeis quod extruxerint sepulchra prophetarum propter eorundem Pharisaeorum hypocrisim, *conc.* Propter superstitionem, aut idololatriam, *neg.* In eo ergo sita erat hypocrisis, quam Christus eo loci Pharisaeis exprobat, quod aedificantes sepulchra prophetarum, ut viderentur alieni a scelere patrum suorum, qui prophetas occiderant, interim maximum scelus meditabantur, nempe mortem ipsius Christi, Prophetarum omnium Domini. Quapropter aedificando sepulchra illa publice testabantur se esse filios eorum, qui prophetas interfecerant. *Testimo-*

monio estis vobismetipsis, quia filii estis eorum, qui prophetas occiderunt. Et meditando mortem Christi ostendebant, se non esse ab illis dissimiles, sed longe nequiores. Quid hoc contra cultum reliquiarum? Profecto melius in Calvinistas Christi objurgatio retorqueri posset. Ipsi enim longe pejores Pharisaeis, imo ipsis Ethnicis extiterunt. Nam Ethnici quidem martyres occiderunt, ipsi vero martyrum cineres sacrilege combusserunt, et in profluentem conjecerunt.

Objic III. Nefas est, hominem subjici creaturis irrationabilibus, quae sunt homine ipso ignobiliores. Atqui reliquiae sanctorum sunt res inanimatae; cineres nempe, ossa, vestes. Ergo nefas est eos colere.

℞. *Dist. maj.* Nefas est; hominem subjici rebus irrationabilibus cultu absoluto, *conc.* Cultu relativo, *neg.* Sic res inanimatas ab amico nobis donatas habemus in pretio, non propter res ipsas, sed ob amici memoriam. Porro reliquiarum cultus refertur ad sanctos, ad quos illae pertinent, et ad ipsum Deum, cujus corpora sanctorum fueruut templa, ut ait Apostolus *I. Cor. VI.* 19. *Nescitis quoniam membra vestra templum sunt Spiritus Sancti?*

C A P. VII.

De cultu sanctarum imaginum.

Adv. JAm supra vidimus, quinam sanctarum imaginum olim hostes fuerint, et hodie sint. Nunc ut rem clare enucleemus, distinguenda sedulo est doctrina Ecclesiae ab ejus disciplina, et opinionibus Theologorum. 1.° Doctrina Ecclesiae est, non esse illicitum cultum imaginum, non quidem absolutum, sed relativum; nec errasse Ecclesiam; quae illas coluit. 2.° Disciplinae vero Ecclesiae est, imagines pro temporum, et locorum varietate, ac necessitate nunc frequentius, nunc rarius cultui fidelium exponere: aliquas imagines permittere, aut prohibere, easque colere hoc, aut illo modo. 3.° Denique ad Theologorum opiniones pertinet explicare, utrum cultus imaginum dirigatur ad imagines ipsas, an vero coram imaginibus quidem ma-

materialiter peragatur, sed mente dirigatur ad ipsos sanctos. Tres enim hac in re sunt Theotogorum Catholicorum sententiae. Prima quidem *Estii*, qui docet, imagines coli propter *prototypa*, sed cultu distincto, et minori; qui quidem cultus ad ipsas imagines dirigitur non propter earum materiam, sed propter repraesentationem. Altera sententia est *Bonaventurae*, *Sanderi*, et aliorum, qui ajunt, imagines per mentem concipi cum ipsis prototypis conjunctas; atque ideo coli eodem honore, quo prototypa, sicut Regem una cum veste ipsi conjuncta, uno eodemque honore veneramur. Tertia est *Thomassini*, et aliorum, qui asserunt, nullum honorem internum imaginibus deberi, sed omnia externa venerationis signa mente dirigi ad ipsa *prototypa*.

PROPOSITIO I.

Non est illicitum imagines sanctorum formare, easque cultu aliquo relativo venerari. Est dogma fidei.

Prob. I. *ex Script.* Ipse Deus, qui Israelitis omnes imagines severissime iuterdixerat, propter periculum idololatriae, in quam gens illa valde proclivis erat, tamen signa quaedam, et figuras divinae majestatis adorari permisit, et praecepit. Sic *Josue VII. 6. Josue ... pronus cecidit in terram coram arca Domini usque ad vesperam tam ipse, quam omnes senes Israel.* Et *I. Reg. VI.* 19. *Percussit* (Dominus) *de viris Bethsamitibus, eo quod vidissent arcam Domini* non cum ea, qua par erat, reverentia; et II. *Reg. VI.* 7. *percussit* (Ozam Levitam) *super temeritate*; eo quod extendisset manum ad sustinendam arcam Dei. Quanto autem cum honore translata sit arca a Davide in civitatem Sion, ibidem describitur. Denique *Psal. XCVIII.* jubet Deus: *Adorate scabellum pedum ejus* (scilicet Arcam): *quoniam sanctum est.* Pro verbo *adorate* in Hebraeo est *Incurvate vos*, quod verbum ad veram adorationem religiosam explicandam in Scripturis adhibetur; ut *Exod. XX.* 5. pro iis verbis; *Non adorabis*

bis ea , neque coles , in Hebraeo habetur : *Non incurvabis te iis ; neque coles.* Ergo si arcam , quae ex ligno formata erat , adorare licuit , propter figuram et umbram divinae majestatis , quidni alias imagines sanctorum ?

Prob. II. *ex PP.* 1.° Ambrosius *in Psal. CXVIII. Qui imaginem imperatoris coronat, utique illum honorat , cujus imaginem coronavit ; Qui statuam contemserit Imperatoris , Imperatori utique fecisse injuriam videtur.* Ex quibus pronum est colligere , quid de cultu , aut contemtu Sanctarum imaginum sentiendum sit. 2.° Augustinus *Lib. III. de Trin. cap.* 10. loquens de sacris signis , inter quae serpentem etiam aeneum recenset a Moyse in deserto exaltatum , *Haec* , inquit , *honorem tanquam religiosa possunt habere* ; et *Lib. III. de Doct. Christ. cap.* 9. *Qui veneratur utile signum ... non hoc veneratur , qaod videtur , sed illud , quo talia cuncta referenda sunt.* 3.° Gregorius M. cujus auctoritate Novatores maxime abtuntur , *Lib.* 7. *Epist.* 5. *ad Januar.* mandat *Januario* Calaritano Episcopo , ut auferat e Synagoga Judaeorum imagines Crucis , et B. Virginis , quas Christianus quidem falso zelo in synagogam Judaeorum intulerat : *His* , inquit, *hortamur affatibus , ut sublata exinde cum qua dignum est , veneratione , imagine , atque cruce , debeatis quod violenter ablatum est , reformare.* Et *eod. lib. Epist. LIV. ad Secundinum* mittit *Secundino* imagines Christi , B. Mariae Virginis , et Apostolorum , ut *ob recordationem Filii Dei in ejus amore recalescat.* De Patribus posteriorum saeculorum , praesertim post Concilium Nicaenum II. nulla quaestio est.

Prob. III. ex Conciliis. 1.° Concilium Trullanum *Can.* 82. imagines appellat *venerabiles.* Quod Concilium licet Oecumenicum non sit , ostendit tamen , quae esset Graecorum Patrum sententia. 2.° Tria Concilia Romana , primum sub Gregorio II. anno DCCXXVI. (*apud Hadrianum Epist. ad Carol. M.*) alterum sub Gregorio III. anno DCCXXXII. tertium sub Stephano III anno DCCLXIX. cultum imaginum contra Iconomachos asseruerunt. 3.° Concilium Nicaenum II. *Act. VII. Definimus,* inquit *sicut figuram pretio-*

tiosae, ac vivificae crucis, ita venerabiles, et sanctas imagines proponendas ... tam videlicet imaginem Domini Dei, et Salvatoris nostri Jesu Christi, quam intemeratae Dominae sanctae Dei genitricis, honorabiliumque Angelorum, et omnium Sanctorum, simul et almorum virorum ... ad primitivorum memoriam, et desiderium, et ad osculum, et ad honorariam iis adorationem tribuendam; non tamen ad veram latriam ... Imaginis enim honor ad primitivum transit, et qui adorat imaginem, adorat in ea depicti subsistentiam. 4.° Concilium VIII. Oecumenicum *Act. X. Can.* 3. idipsum definivit. 5.° Denique Tridentinum *Sess. XXV. Imagines Christi, Deiparae Virginis, et aliorum sanctorum, in templis praesertim habendas, et retinendas, eisque debitum honorem, et reverentiam impertiendam; non quod credatur inesse aliqua in iis divinitas, vel virtus, propter quam sint colendae, vel quod ab eis sit aliquid petendum, vel quod fiducia in imaginibus sit figenda, veluti olim fiebat a gentibus, quae in idolis suis spem suam collocabant; sed quoniam honor, qui eis exhibetur, refertur ad prototypa, quae illae repraesentant, ita ut per imagines, quas osculamur, et coram quibus caput aperimus, et procumbimus, Christum adoremus, et Sanctos, quorum illae similitudinem gerunt, veneremur. Id quod Conciliorum, praesertim vero secundae Nicaenae Synodi decretis contra imaginum oppugnatores est sancitum.* Quibus verbis Concilium Ecclesiae catholicae doctrinam luculenter exponit.

Prob. IV. ratione, quam insinuat Ambrosius *loc. cit.* Licitum est imaginem Principis honorare, imo qui illam conculcat, reus majestatis est. Ergo a fortiori licitum est imagines Sanctorum venerari, et qui eas contemnunt, et conculcant, ut haeretici faciunt, sacrilegi sunt.

PRO-

PROPOSITIO II.

Disciplina Ecclesiae varia fuit variis locis, et temporibus tum quoad res per imagines repraesentatas, tum quoad frequentem imaginum usum, tum quoad modum illas honorandi.

Prob. 1a. *pars.* quoad res per imagines repraesentatas. Imago Dei, et SS. Trinitatis per novem priora saecula nusquam a Christianis posita, vel formata est. Id testantur de tribus prioribus saeculis Patres, qui contra gentiles, et Judaeos disputarunt, ut Origenes *Lib. VIII. cont. Celsum*, Minucius Felix *in Octavio*, aliique. De saeculo V. testis est Augustinus *Lib. de fide, et symbolo, cap. 7. et in Psal. CXIII.* De saeculo VIII. res est manifesta ex Concilio VII. generali, in quo refellitur ut calumnia eorum criminatio, qui dicerent, Christianos imaginem Dei effingere *Act. VII. Christiani*, inquit, *invisibilis, et incomprehensibilis naturae imaginem numquam fecerunt.* De saeculo IX. res constat ex Scriptoribus illius aevi. Saeculo XIII. eas rejecerunt *Henricus Gandavensis*, et *Lucas Tudensis*, *Nicephorus*, et *Durandus* eas improbarunt saeculo XIV. imo narrat Aventinus *Annal. Bojor. Lib. VII.* Joannem XII. censuisse igni tradendos quosdam, qui imaginem Dei Patris effinxerant, eo quod in haeresim *Antropomorphitarum* viderentur impingere. Tandem posterioribus saeculis usus imaginis Dei obtinere coepit, ea forma, qua in Scripturis apparuisse scribitur *Dan. VII. 9 et al.* Ecclesia non repugnante, sed propter periculum rudiorum graviter monente: *Quod si aliquando historias, et narrationes Sacrae Scripturae figurari contigerit, cum id indoctae plebi expediet, doceatur populus, non propterea Divinitatem figurari, quasi corporis oculis conspici, vel coloribus, aut figuris exprimi possit.* Tridentinum *Sess. XXV.* Ceterum nihil Ecclesia hac de re definivit: ac proinde neque ut haeretica, neque ut erronea notari posset ejus opinio, qui assereret, non posse imaginem

Dei Patris in templo collocari, sed tantum aliquid videretur sapere temeritatis, propter quam Romae in Tribunali inquisitionis anno MDCXC proscripta est ea propositio. *Dei Patris simulacrum nefas est Christiano in templo collocare.*

Prob. 2a. *pars.* quoad frequentiam imaginum. Tribus quidem prioribus saeculis fuit earum usus valde rarus, imo et alicubi interdictus, non tamen omnino imagines defuerunt. Fuit inquam valde rarus: cum enim Ecclasia tunc ex Judaeis, et Gentilibus colligeretur, quorum illi ex Lege Mosaica ab imaginibus valde abhorrere consueverant; isti vero idolis colendis assueti erant; periculum erat, ne aut illi ob hanc causam a religione abalienarentur, aut isti putarent, se non idola relinquere, sed mutare: hinc in scriptis Patrum, qui contra Judaeos et Gentiles tunc certarunt, altum est de imaginibus silentium. Imo aliquibus in locis vetitae sunt imagines, ut patet ex *Can. XXXVI.* Concilii Eliberini; *Placuit picturas in Ecclesia esse non debere; ne quod colitur, et adoratur, in parietibus depingatur.* Non tamen imagines tunc omnino defuerunt. Eusebius enim *Lib. VII. Hist. cap.* 18. meminit statuae Christi Paneade erectae a muliere *Syrophoenissa* a profluvio sanguinis curata *Matth. IX.* 20. quam statuam sub *Juliano* apostata violatam, Christiani in Ecclesiam cum honore transtulerunt, ut refert Philostorgius *Lib. VII. Hist. cap.* 7. Tertullianus *Lib. de Pudicitia cap.* 7. testatur, adeo communem fuisse imaginem Christi sub figura Pastoris, amissam ovem humero vectantis, ut inde catholici argumentum sumerent contra insanum Montanistarum rigorem, qui lapsis spem veniae denegabant.

Reddita vero Ecclesiae pace, nempe a saeculo IV. ad nostra usque tempora usus imaginum in tota Ecclesia frequentissimus esse coepit, ut patet non solum ex scriptis Patrum, nempe Basilii *Orat. in S. Barlaam Mart.* Nysseni *Orat. de Patris, Filii, et Sp. S. divinitate,* Chrysostomi *Hom. XLV. ad Popul.* Ambrosii *Ep. LIII.* Paulini *Epist. XII.* et aliorum, verum etiam ex ardenti studio, quo Catholici in Oriente; et Occidente pro sacris imaginibus decertarunt contra Inconomachos, et Manichaeos. Ceterum principio imagines planae fuerunt; sta-

statuarum usus rarior, et in oriente etiam hodie fere nullus. At processu temporis nulla est in Ecclesia latina inter statuas et planas imagines facta distinctio.

Prob. 3a. *pars.* Quoad modum vero colendi imagines, primo quidem collocatae sunt in Ecclesia ob honorificam sanctorum memoriam. Deinde super altaria positae, etiam purioribus Ecclesiae saeculis, ut constat ex Liturgia *Chrysostomi*, quae praecipit Sacerdoti sacrum facienti, ut imagini crucifixi caput inclinet. Denique lumina, incensum, genuflexiones, circumgestationes adhiberi coeperunt in Ecclesia Graeca, ut constat ex Concilio VII. et in Ecclesia Romana, quam Concilium illud probasse perspicuum est ex Epistolis *Hadriani I.* At Ecclesia Gallicana novem prioribus saeculis conveniebat quidem in dogmate cum Ecclesia Romana; nempe imagines honorandas, easque confringere sacrilegium esse, ut patet ex Concilio Gentiliacensi anno DCCLXVII. sub *Pipino*, in quo rejicitur *Iconomachorum* impietas, ex Concilio Romano sub *Stephano* III. cui ipsi Gallicani Praesules subscripserunt; ex Concilio Parisiensi sub *Ludovico Pio*, et ex Gallicanis Scriptoribus Jona Aurelianensi *in Libris III. de cultu imag.* Dungalo *Respons. cont. Claudii sentent.* Walafrido Strabone *Lib. de Rebus Eccles. cap.* 8. Libris *Carolinis*, seu a *Carolo M.* nomine Ecclesiae Gallicanae ad *Hdrianum.* I. missis, aliisque. Sed cultum illum, quem Graeci, atque Itali imaginibus impendebant, superstitiosum, aut periculi plenum putans Ecclesia illa recipere noluit, nec Romani Pontifices ob eam causam, quae ad disciplinam tantum pertinebat, Gallis litem intenderunt; imo potius eorum fidem, et pietatem laudarunt. Sed tandem sensim etiam in Galliis RomanaeEcclesiae disciplina circa cultum imaginum recepta est. Ergo.

PROPOSITIO III.

Versimilius est, honorem imaginibus delatum non eo sensu dici relativum; quod coram imaginibus quidem fiat, sed ad ipsos sanctos mente dirigatur. sed quod honor ipsis imaginibus exhibitus redundat in honorem sanctorum. et ob eorum amorem, non propter materiam imaginis exhibetur.

Prob. 1.° Si honor imaginibus exhibitus priori tantum sensu relativus esset, jam dicendum esset, nullum honorem imaginibus ipsis deberi, sed ipsis tantum sanctis; quod manifestum est ex eo, quod si quis signum aliquod in pariete faciat, ne excidat e memoria oratio aliqua, quam ad Deum quotidie fundit, is nullum honorem signo illi defert, licet coram illo signo Deum precetur. Atqui Concilia Nicaenum II. et Tridentinum definiunt, ipsas imagines honorandas esse *propter prototypa*. Ergo.

2.° Si honor imaginum priori sensu relativus esset, sequeretur, coram imaginibus deferri eundem cultum, qui exemplari debetur; ac proinde dici posset, imaginem Christi, ac SS. Trinitatis adorandam esse cultu *latriae*. Atqui Concilia caute distinguunt honorem debitum imagini ab honore, qui exemplari debetur: hunc majorem, illum inferiorem esse statuunt, nec unquam imaginibus cultum *latriae* a Christianis exhiberi. Ergo honor ille ad ipsas imagines dirigitur non propter earum materiam, aut propter aliquid divinitatis, quod in ipsis apprehendimus, sed quia sicut charae nobis sunt imagines amicorum propter similitudinem, quam cum illis praeseferunt, ita honorabiles nobis esse debent imagines sanctorum propter similitudinem, quam habent cum viris Deo, et nobis charitate conjunctis.

Ceterum illud sedulo advertendum, atque in eo plebs rudis a Pastoribus instruenda est, quod si quis non modo honorem, sed preces coram imaginibus fundat, non esse preces illas ad imaginem dirigendas, sed ad ipsos Sanctos: contrarium enim a Concilio Trindentino, et jure

jure naturali prohibetur; nec ab *idololatria*, saltem materiali, in rudioribus excusari potest. Tractant fusius de S. imaginibus *Jac. Gretserus*, *Sanderus*, *Bellarminus*, *Nat. Alexander*, aliique.

Diluuntur objecta.

Objic. I. Deus omnem imaginem vetat *Exod. XX.* 4. *Non facies*, inquit, *tibi sculptile*, *neque omnem similitudinem, quae est in caelo desuper, et quae in terra deorsum, nec eorum, qui sunt in aquis sub terra. Non adorabis ea, neque coles*: quod praeceptum repetit *Levit. XXVI.* 1. *Deuter. VI.* 15: *et alibi.* Atqui hoc praeceptum etiam ad Christianos pertinere docent Patres, Clemens Alex *Lib. V. Strom.* Tertullianus *Lib. de Spectac. cap.* 23. Origenes *Lib. VII. cont. Cels. num.* 25. Ergo.

℞. *Dist. maj.* Deus omnem vetuit imaginem, quae facta esset ad divinam naturam sensibus repraesentandam, aut adhibendum ipsi imagini cultum *latriae*, *conc.* Omnem omnino imaginem, etiam licito usui destinatam, *subdist.* Et hoc praeceptum *ceremoniale* erat, *conc.* Naturale, *neg.* Duo itaque in Dei praecepto attendenda sunt: unum, ne fiat imago ulla, aut ad repraesentandam sensibus Dei naturam, aut ad cultum divinum imagini ipsi exhibendum; unde ait: *non facies sculptile . . . . non adorabis*, *neque coles*, et hoc cum sit natura sua malum, ipsaq. lege naturae prohibitum, ad Christianos etiam pertinet: alterum est, ne propter periculum idololatriae, in quam prona erat illa gens, ulla omnino fieret imago. Quod praeceptum *ceremoniale* erat; unde ipse Deus aliquando ei derogavit, sicut legimus *Num. XXI.* 8. ipsum Deum jussisse erigi serpentem aeneum, et *Exod. XXV.* 17. duo Cherubim ex utraque parte oraculi fieri praecepisse, et *III. Reg. VIII.* 11. majestate sua implevisse Templum, cujus parietes Salomon variis figuris, et imaginibus ornaverat. Sed ea lex Judaeos quidem obligabat, unde pictores omnes, et statuarios a Republica Judaeorum exulasse, Philo *Lib. de Legat ad Cajum*, et Origenes *Lib. IV. cont. Cels.* auctores sunt. Sed abolita per Christi mortem lege Mosaica quoad prae-

cepta *ceremonialia*, et judicialia, relictum est prudentiae Ecclesiae, ut pro temporum, et locorum varietate imagines vel permitteret, vel vetaret. Haec responsio, quae est Damasceni *Lib. IV. de fid. Cap.* 17. diluendae objectioni satis est.

Non desunt autem qui putant, eo praecepto prohiberi tantummodo imagines falsorum numinum, cujus sententiae auctores sunt Beda *Bib. de templo Salom. cap.* 19, Cajetanus *in cit. loc. Exod* Sanderus *Lib. I. de Imagin. cap.* 7. Pamelius *Annot. ad Lib II. Tertul. cont. Marc.* aliique: aut prohiberi tantum imagines etiam veri Dei, quae fierent ad adorationem latriae ipsis impendendam, ut censet Bonaventura *In III. Dist. IX. art.* 1. *q.* 2. *ad* 1. ejusque sententiae adhaerere videtur S. Thomas 3. *V. Q. XXV. art.* 3. *ad* 1. Hae tamen responsiones parum a superiore differunt.

Inst. Scriptura saepenumero Gentiles reprehendit, quod idola manu hominum facta colerent. Atqui illi non credebant, idola illa esse Deos, sed eorum imagines, ita ut honorem imaginis ad exemplar raferrent. Ita enim ait Trismegistus apud *Augustinum Lib. VIII. de Civ. cap.* 23. *Celsus* apud *Origenem Lib. VII. cont. Cels. n.* 62. et alii. Ergo praeceptum, quod fieri, aut coli ullam imaginem vetabat, non ceremoniale erat, solos obligans Judaeos, sed naturale omnibus gentibus commune.

℟. 1.° *Dist. maj.* Quod colerent cultu latriae, *conc.* cultu inferiori, *Transeat.* Hoc enim erat Gentilium capitale scelus, quod verum Deum aut ignorantes, aut contemnentes, homines scelestos, daemones, animalia, aut irrationales creaturas putabant Deos, eorumque idola cultu divino venerabuntur, quae neque cultu latriae, neque duliae, neque absoluto, neque relativo digna erant, sed detestatione, atque odio. Idola igitur proprie sunt falsorum numinum simulacra, ac proinde non omnis imago idolum est.

℟. 2.° *Neg. min.* Licet enim nonnulli, qui purgatioris religionis videri volebant, saltem post Religionem Christianam ubique stabilitam, dicerent, se non putare, *idola* esse deos; tamen reliqui omnes illa revera deos, aut a diis inhabitari; et aliquid divinum in se habere gre-

credebant. Hinc Prophetae saepe in id incumbunt, ut ostendant, idola deos non esse, ut videre est in *Psal. CXIII.* et *CXXXIV. Isaiae XLVI et alibi*; et Patres ob falsam illam opinionem Gentiles irrident. At Catholici non scelestos homines, aut daemones, vel creaturas irrationales ut Deos colunt, sed Dei amicos, et servos in eorum imaginibus venerantur, quae propterea *idola* dici non possunt; nec putant, divinum aliquid in ipsis imaginibus inesse, ut declarat Tridentinum, cujus verba paulo ante recitavimus.

Inst. 2.° *IV. Reg. XVIII.* 4. laudatur *Ezechias* piissimus Rex, eo quod *confregit serpentem aeneum, quem fecerat Moyses: siquidem usque ad illud tempus filii Israel adolebant ei incensum.* Notum autem est, serpentem illum figuram Christi fuisse. Ergo nefas est incensum adolere coram quacumque imagine, etiam ipsius Christi.

℞. *Neg. cons.* Duplici enim ratione Judaei peccabant, 1.° quia incensum coram serpente adolebant; incensum autem apud Judaeos in solis adhibebatur sacrificiis, ita ut adolere incensum idem esset, ac sacrificium offerre, ut patet ex *IV. Reg. XXIII.* 5. et aliis Scripturae locis, ubi *adolere incensum Baal* oblationem sacrificii significat, 2.° Quia serpentem in idolum converterant, et pro Deo colebant. At catholici incensum non in solo adhibent sacrificio, sed illud etiam saeculi principibus, clero, populo, et ipsis mortuis exhibent, nec imagines sanctorum habent ut *idola.*

Objic. II. Tribus prioribus saeculis cultus imaginum nullus erat, imo et interdictus omnis imaginum usus. Nullum quidem fuisse imaginum cultum, constat ex silentio Patrum eorum temporum, atque ex silentio Gentilium, qui non praetermisissent cultum imaginum (si quis tunc fuisset) Christianis objicere, qui cultum idolorum ipsis Gentilibus objiciebant. Interdictum etiam fuisse omnem imaginum usum, constat ex *Can. XXXVI.* Concilii Eliberini supra laudato: *Placuit, picturas in Ecclesia esse non debere; ne quod colitur, et adoratur, in parietibus depingatur.* Imo etiam quarto saeculo, reddita Ecclesiae pace, Patres contra usum imaginum insurrexerunt; *Eusebius* enim *Constantiae* flagitanti imagi-

nem

nem Christi mittere noluit *Epist. ad Constant.*) Epiphanius vero *Epist. ad Joan. Jerosolym.*) narrat, se in quodam vico Jerosolymitanae dioecesis, cum vidisset in foribus templi pendens velum, imaginem Christi, aut alterius sancti referens, illud concidisse: *Cum vidissem, inquit, in Ecclesia Chiristi, contra auctoritatem Scripturarum, hominis pendere imaginem, scidi illud velum, et magis dedi consilium custodibus ejusdem loci, ut pauperem mortuum eo obvolverent.* Ergo etc.

℟. *Dist. ant.* Nullus fuit imaginum usus, imo et interdictus in universa Ecclesia, *neg.* In aliquibus Ecclesiis, *subdist.* Ex prudenti disciplina tempori illi, et loco opportuna, *conc.* Ex eo quod jure naturali, aut divino prohibebatur, *neg.* Diximus, Ecclesiae disciplinam circa imagines fuisse variam pro locorum, et temporum opportunitate, primis saeculis fuisse raras, et alicubi interdictas tum propter periculum idololatriae in iis Christianis, qui ex Gentilibus crediderant, tum ne Gentilibus ipsis Christianos calumniandi praeberetur occasio: sed tamen etiam tunc imagines non omnino defuisse, et aliquo cultu fuisse honoratas. Reddita vero Ecclesiae pace saeculo IV. si qui adhuc imagines cultui fidelium exponere metuebant, ut *Eusebius*, et *Epiphanius* in objectione laudati, ii peculiari suarum Ecclesiarum disciplina movebantur, in quibus adhuc vetus disciplina durabat. At eorum zelum Ecclesia non probavit; ut ipse *Epiphanius* in eadem Epistola satis innuit; et constat ex contraria praxi totius Ecclesiae. Ceterum non desunt qui cum *Damasceno*, et aliis putant, Epistolam *Epiphanii* esse spuriam, aut interpolatam; item cum *Petavio* spuriam esse Epistolam *Eusebii*. Sed concedantur *Dallaeo*, ut genuinae; nostra responsio satis difficultatem diluit.

Inst. Ipse Epiphanius *Haeres. XXVII.* post Irenaeum *Lib. I. cap.* 24. inter alia Gnosticorum crimina illud recenset, quod imaginem Christi haberent, eamque sertis coronantes venerarentur. Alii vero Patres, ut *Ambrosius*, *Heronymus*, *Augustinus* acriter adoratores imaginum reprehendunt. Ergo etc.

℟. *Dist. ant.* Quod imaginem Christi venerarentur more Gentilium, offerentes ei sacrificia cum aliis simulacris Philosophorum, ut *Protagorae*, *Aristotelis* etc.

conc. Quod eas venerarentur more Catholicorum, *neg.* Inquit enim Epiphanius: *Cum quibus* (imaginibus Philosophorum) *etiam imagines Jesu collocant, collocatasque adorant, et gentium ministeria perficiunt. Erectis enim his imaginibus de cetero gentium mores servant. Qui vero gentium mores alii, quam sacrificium atque alia?* Idem esto responsum ad aliorum Patrum loca, qui adoratores imaginum coarguunt; damnant enim adorationem *latriae*, vel adorationem nimis pro illo tempore effusam, et receptis Ecclesiae moribus contrariam.

Objic. III. *Gregorius* M. ad solam memoriam retineri imagines in Ecclesia voluit, non vero ad adorationem. Inquit enim in Epistola *ad Serenum Massiliensem*, qui imagines confregerat, *Epist IX. Lib. IX. Ind.* 4. *Idcirco pictura in Ecclesia adhibetur, ut ii, qui litteras nesciunt, saltem in parietibus videndo legant, quae legere in codicibus non valent. Tua ergo fraternitas et illas servare, et ab earum adoratu populum prohibere debuit, quatenus et litterarum nescii haberent unde scientiam historiae colligerent, et populus in picturae adoratione minime peccaret.* In eandem sententiam loquitur in altera ad eumdem *Serenum* Epistola *Epist. CXI. Lib. VII. Indict.* 2. Ergo Concilium Nicaenum II. et post illud omnes Catholici, qui imagines habendas, docent non solum ad memoriam, sed etiam ad adorationem, doctrinae *Gregorii* M. manifeste adversantur.

℟. *Dist. ant. Gregorius* M. retineri vult imagines ad solam memoriam, quae excludat adorationem indebitam, *conc.* Quae excludat omnem omnino venerationem, *neg.* Vult enim Gregorius, imagines retineri ad memoriam, sed non sine debito honore, ut patet non solum ex his Epistolis, in quibus imagines collocari vult in Ecclesiis, et quidem loco decenti, quae est non exigua honoris species, verum etiam Epistolis ad *Januarium*, *et Secundinum* supra laudatis, in quibus imagines auferri mandat *ea qua decet veneratione.* Prohibet ergo solum *Gregorius* adorationem *latriae* imaginibus impendi. Ait enim: *Manufactum adorari non licet, quoniam scriptum est Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies*

vies .... *Sed hoc sollicite fraternitas tua admoneat, ut ex visione rei gestae ardorem compunctionis percipiant, et in adorationem solius Trinitatis prosternantur*; quae verba nemo non videt, intelligenda de adoratione *latriae*.. Sed quia adorationis nomen ambiguum est, et saepe in ipsis Scripturis pro quocumque cultu etiam civili usurpatur, ut cum dicitur Abraham *adorasse populum Gen. XXIII.* 12. idcirco Concilium Nicaenum II. et Catholici docent, posse imagines adorari, sed caute addunt, non adorari eas cultu *latriae*, qui soli Trinitati debetur, ut ex ipsis Concilii Nicaeni verbis perspicuum est.

Objic. IV. Ecclesia Gallicana Concilium Nicaenum II. recipere noluit, imo et damnavit in Concilio Francofordiensi anno DCCXCIV. *Can.* 2: ubi proposito Concilio Nicaeno II. dicitur: *Sanctissimi Patres nostri omnimodis adorationem, et servitutem renuentes contemserunt, atque consentientes damnaverunt.* Idipsum definivit Synodus Parisiensis anno DCCCXXVI. cum scilicet res sedulo examinata esse debuerat. Carolus etiam quatuor Libros contra imaginum cultum a Concilio Nicaeno II. statutum, ad *Hadrianum* I. Papam misit; nec Pontifex eam ob causam ipsum reprehendit. Frustra autem quis responderet aut cum *Bellarmino*, Libros Carolinos, et Sinodum Parisiensem fuisse conficta ab haereticis, aut cum *Suaresio*, *Cointio*, et aliis, Synodum Francofordiensem non damnasse Nicaenum II. sed aliud quoddam Concilium; evidenter enim contrarium erudi ti demonstrant. Omnes praeterea nobiliores ejus temporis Galli Scriptores unanimi consensu imaginum cultum damnant, ut Agobardus Lugdunensis *Lib. de Imaginibus*; Jonas Aurelianensis *Lib. de cultu imaginum*, Dungalus *Respons. ad Claudium Taurin.* Walfridus Strabo *Cap. VIII. de Reb. Eccles.* Neque umquam ut haeretici, aut temerarii ab Ecclesia damnati sunt, dum apertis verbis Romanum colendarum imaginum morem ut *indiscretum*, et *superstitiosum* traducebant. Ergo etc.

℟. *Dist. ant.* Ecclesia Gallicana Concilium Nicaenum II. noluit aliquandiu recipere, tum ex errore facti, tum propter disciplinam in ea Ecclesia diversam, *conc.* Noluit

luit umquam recipere propter contrarium , quod tenebat , dogma, *neg* Duo itaque in causa fuerunt , cur Gallicana Ecclesia Concilium illud principio respuit ; primum infidelis , et barbara versio Latina textus Graeci. Sic enim in versione illa habebantur verba *Constantini* Cypri Episcopi : *Suscipio , et amplector honorabiliter sanctas, ac venerandas imagines secundum servitium adorationis , quod Trinitati emitto* , ut videre est in *Libro III. Carolino Cap.* 17 cum contra in Graeco textu legatur · *adorationem vero , quae sit secundum latriam , soli Trinitati emitto.* Hinc Concilium Francofordiense etiam in objectione citatum ait *Con.* 2. *Allata est in medium quaestio de nova Graecorum Synodo, quam de adorandis imaginibus Constantinopoli fecerunt* (quippe Synodus Nicaena II. Constantinopoli coepta est) *in qua scriptum habebatur, ut qui imaginibus sanctorum ita, ut deificae Trinitati servitium, aut adorationem non impenderent, anathema judicarentur.* Fortasse Summus Pontifex , ejusque legati vel auditi non sunt , vel Acta sincera nec ipsi habuerunt , unde *Hadrianus* I. rescribens *Carolo* M. excusat dictum *Constantini Cyprii* , sed non detegit versionis errorem.

Altera causa rejiciendi Concilium Nicaenum II. Gallis fuit diversa ejus Ecclesiae disciplina. Nondum enim ibi mos receptus erat osculandi imagines , aut coram iis luminaria , et thymiamata incendendi , aliaque exhibendi honoris signa , quae in eo Concilio ut licita recipiebantur. Jam enim diximus , variam fuisse variis locis , et temporibus circa modum honorandi imagines Ecclesiae disciplinam. Putabant autem Galli (quod et nos dicimus) imagines minori dignas esse honore , quam sanctorum reliquias , et vasa sacra ; cum haec quandam hauriant sanctitatem ex anima sancta , cujus fuerunt instrumenta , et ex contactu corporis Christi , quod in vasis sacris continetur , cum contra materia imaginum nihil in se sanctitatis habeat. Quapropter Galli Scriptores, ipsique *Libri Carolini*, et Concilium Francofordiense , et Parisiense conveniunt in dogmate cum Concilio Nicaeno II. scilicet honorandas esse imagines , eosque , qui eas conculcant , effringunt , aut inho-

honorant, sacrilegos esse; et in hoc sicut *Claudium Taurinensem*, sic Novatores nostri temporis damnat: licet honor, qui imaginibus in Italia, et Graecia impendebatur, nimis effusus tunc Gallis videretur. Inquit enim Walfridus Strabo *Lib. de Reb. Ecclesiat. cap.* 8. *Cum itaque talis sit Christiani perfectio sensus, non sunt omnimodis honesti, et moderati imaginum honores abjiciendi.*

Nec movere nos debet, quod Galli eo tempore omnem cultum religionis imaginibus negaverint: jam enim diximus, non esse ab Ecclesia definitum, utrum sanctorum, et imaginum cultus ad religionem pertineat, an ad charitatem.

Inst. Iidem abusus, quos Galli Scriptores Graecis, atque Italis exprobrabant, vigent hodie in Ecclesia Romana. Videmus enim Catholicos uni potius, quam alteri imagini ejusdem Sancti addictos esse, unam potius, quam alteram venerari, velis tegere, ab ea beneficia petere, et expectare; ac proinde in una imagine divinum aliquid inesse opinari, quod in altera non sit Ergo dicendum cum *Agobardo* Lugdunensi, satius esse, imagines non pingere, quam ejusmodi superstitiones in populo grassari.

℟. *Neg. ant. et cons.* Si qui enim in vulgus irrepserunt abusus, non sunt Ecclesiae tribuendi, quae adeo clare mentem suam in Tridentino Concilio exposuit, et inculcavit Pastoribus, ut abusus, pravasque opiniones, si quae sunt in populo, extirpare satagant, doceantque, nihil esse divinum in imaginibus, non esse ab iis petenda beneficia, nec unam prae alia ejusdem Sancti colendam imaginem; nisi quia forte melius formata aut antiquior, aut alia de causa magis ad pietatem movet: Ceterum si, propter aliquem abusum res sanctae essent e medio tollendae, ipsa sacramenta abolenda essent; nihil enim est adeo sanctum, quo quis male uti non possit.

Objic. V. *conc.* 2m. *Prop.* Ratio, qua Patres imaginem Dei pingi posse negabant, nimirum quod Deus purus sit Spiritus, et quidem non circumscriptus, immensus, etiam hodie valere debet. Nefas ergo est, quod in Ecclesiis Catholicorum cernitur, nempe imaginem Dei

Dei oculis, fidelium exponi. Dixerat Augustinus *Lib. De fide, et Symbolo cap. 7. Nec quasi humana forma circumdatum esse Deum arbitrandum est . . . . . . ne in illud incidamus sacrilegium, in quo execratur Apostolus eos, qui commutarunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem corruptibilis hominis. Tale enim simulacrum Deo nefas est Christiano in templo collocare.* Et tamen hanc propositionem Tribunal Inquisitionis Romae damnavit anno MDCXC. *Et Dei simulacrum nefas est Christiano in templo collocare*; quae videtur esse ipsissima Augustini propositio, atque sententia. Similia objici possunt contra imagines Angelorum, qui et ipsi corporei non sunt.

℟. *Dist ant.* Etiam hodie valere debet ratio a Patribus adhibita ad probandum illud idem, quod inde Patres inferebant, *conc.* Ad aliud probandum, *neg* Patres itaque in id incumbebant, ut fideles edocerent, nullam imaginem exprimere posse Dei naturam, quae spiritalis, et infinita est; quod etiam hodie fidelibus sedulo inculcandum est, si quando pingi debeat aliqua Scripturarum historia, ut monet Concilium Tridentinum. Sed ratio a Patribus proposita non evincit, quod sicut ejus temporis disciplina non ferebat, ut imago Dei nullo pacto pingeretur etiam sub iis signis, atque figuris, quibus eam Sacra Scriptura exprimit, ita numquam invehi possit disciplina, ut sub iis signis exprimatur. Scriptura enim a pictura non differt, nisi quod illa legitur, haec videtur. Si ergo Sacra Scriptura membra humana per metaphoram Deo tribuit, imo narrat, Deum sub humana specie Prophetis aliquando apparuisse; quidni idipsum pictura exprimi possit, modo doceatur populus, nullos colores Dei naturam posse repraesentare? Unde doctrina Catholicae Ecclesiae a Patrum dogmate non differt; disciplina varia est. Propositio autem damnata a Sacra *Inquisitione* duabus in rebus ab *Augustiniana* differt: 1°. quidem, quia *Augustinus* ait: *Tale simulacrum* (hoc est, quo significetur, Deum esse corporeum, ut ex contextu eruitur) *Deo nefas est Christiano in templo collocare*: at propositio damnata generatim asserebat: *Dei simulacrum nefas est etc.* 2.°

Quia aetate *Augustini*, vigente contraria disciplina, nefas erat Dei imaginem in templo collocare: at damnata propositio asserebat, id etiam hodie nefas esse. Ceterum haec quaestio de Dei imagine ad fidem non pertinet, ut supra diximus. Quod vero ad Angelorum imagines, si ipsi humana specie hominibus apparuerunt, ut ex Scripturis ediscimus, cur non sub eadem specie pingi possunt; modo populus edoceatur, eos esse incorporeos (a)?

Scholion.

Quamvis cultus reliquiarum, sacrorum vasorum, et imaginum non absolutus, sed relativus sit, major tamen debetur honor reliquiis, sacrisque vasis, quam imaginibus, propter argumenta a Gallis Scriptoribus Saeculi IX. saepe proposita.

C A P. VIII.

Utrum Crux Christi honoranda sit, et quo cultu.

Adv. I. CRux Christi triplex est. 1.° illa ipsa, cui Christus suffixus est, quamque *Helena* Constantini mater mirabiliter invenit. 2.° alia quaevis Crux ad ejus imaginem formata, sive cum figura Christi crucifixi, sive sine figura ulla. 3.° crux agitatione manuum peracta, qua nos ipsos signamus, aut res alias benedicimus.

II. *Iconomachi*, ut supra diximus, licet alias imagines aboleverint, crucem tamen venerabantur in triplici sensu paulo ante explicato. At Manichaei, eorumque propagines Pauliciani, Albigenses, Henriciani, Petrobrusiani omne crucis signum abjiciebant ut superstitiosum, et ad *idololatriam* pertinens, quam impietatem *Claudius Taurinensis* Saec. IX. et nostri temporis Novatores sectati sunt.

(a) Vide Natalem Alexandrum *Dissert. VI. in Diss. Eccl. Saec. VIII*, ubi *Joannis Dallaei* argumenta refellit,

sunt. Alii inter hos medii solam crucem, in qua Christus pependit venerati, omnem aliam rejiciebant.

III. Catholici Crucem in triplici supra dicta significatione honorandam docent, cultu quidem non absoluto, sed relativo. At dissentiunt inter se, quo cultu veneranda sit. Qui enim putant, totum imaginum cultum non ad ipsas imagines, sed ad *exemplaria* per mentem dirigi; ex consequenti docent, crucem eodem cultu, quo ipse Christus, esse honorandam, idest cultu *latriae*. Qui vero tenent, cultum imaginum aliquo pacto ad imagines ipsas dirigi, docent Crucem honorandam cultu inferiori.

PROPOSITIO.

Crux sive vera, cui Christus affixus est, sive ad ejus imaginem formata, sive manuum agitatione peracta, honoranda est.

Prob. 1a. *pars*. Ex quo *Helena* Constantini Mater Christi crucem in terra a tribus saeculis defossam invenit, Deo inspirante, et miraculis veram Crucem ostendente, et illustrante, hoc est anno circiter CCCXXVI, tota Ecclesia crucem illam venerata est, ut narrant *Cyrillus Jerosolymitanus*; qui fortasse ipsi inventioni Crucis praesens adfuit *Epist. ad Constantin. Imper. et Catheck. IV. et X.* Ambrosius *Oration. in Theodos.* qui ait, *Helenam* imposuisse crucem coronis Regum, ut ab omnibus crux adoraretur; Paulinus *Epist. XI.* ex quo habemus, Festum Inventionis. S. Crucis, quod etiam hodie Ecclesia sollemniter celebrat, jam inde ab ejus aetate fuisse institutum; Sulpicius *Lib. II. Histor.* Ruffinus *Lib. I. Hist.* Theodoretus *Lib. I. Hist. cap.* 18. aliique innumeri. Atqui quod universa facit Ecclesia, quin sit faciendum disputare, insolentissimae insaniae est. Ergo etc. Porro de inventione S. Crucis ejusque festo, vide quae eruditissime disserunt *Bollandistae* in *Actis SS. Maji*, *Tillemontius in Memor. Eccl.* etc.

Prob.

Prob. 2a. *pars.* eadem ratione. A primis usque saeculis Christiani cruces ad imaginem verae crucis formatas coluerunt, eumque morem Sancti Patres uno ore approbarunt. Hinc 1.° Theodoretus *Serm. VI.cont. Graec. Graeci*, inquit, *Romani, ac Barbari crucifixum profitentur Deum; Crucisque signum venerantur.* 2.° Augustinus *Serm. LXXXVIII. al. XVIII. de Verb. Dom. cap. 9. Quia ipse honoraturus erat fideles suos in fine hujus saeculi, prius honoravit Crucem in hoc saeculo.* 3.°Chrysostomus *Hom. LXI.* testatur, ipsos Imperatores Crucem summo honore prosecutos, dum eam suis coronis, vestibus, et armis imposuerunt; imo lege prohibuerunt, ne quis deinceps crucis supplicio afficeretur *L. I. Cod. de Sacros. Eccles.* Denique idipsum omnes ferme Patres confirmant. Imo tam constans, et universalis fuit in Ecclesia crucis honor, ut Manichaei id catholicis objecerint, nec Catholici umquam negaverint; et ipsi Iconomachi sane cetera audacissimi, Crucis tamen cultum intactum reliquerint, quamvis viderent, catholicos hinc validissimum depromere pro ceteris imaginibus argumentum. Ergo.

Prob. 3a. *pars.* Tertullianus *Lib. de Corona Ad omnem*, inquit, *progressum, ad omnem exitum, ad lavacra, ad mensas, quocumque nos conversatio exercet, frontem crucis signaculo terimus. Harum, et aliarum hujusmodi disciplinarum si legem expostules Scripturarum, nullam invenies, traditio tibi praetendetur auctrix, consuetudo conservatrix, fides observatrix.* Quod autem haec traditio, quae jam secundo saeculo, quo floruit *Tertullianus*, antiqua erat, et apud omnes Christianos recepta, non (ut somniant Novatores) a doctrina *Montani*, qua ille infectus erat, sed ex Apostolis descendat, testatur Basilius *Lib. de Spiritus S. cap. 27. Dogmata et instituta, quae in Ecclesia praedicantur quaedam habemus ex doctrina scripta, quedam rursus ex Apostolorum traditione, ... quorum utraque parem vim habent ad pietatem . . . . . ut quod primum est ac vulgatissimum primo loco commemorem, ut signo crucis eos, qui spem collocarunt in Christum, signemus. quis scripto docuit?* Idem docent *Origenes, Cyprianus, Na-*

Nazianzenus, *Athanasius* etc. (a) Augustinus vero ex professo morem illum vindicat a Manichaeorum calumniis *Lib. VI. cont. Faustum.* Multa etiam miracula per hoc signum patrasse Christianos, docent Patres; ita ut teste Nazianzeno *Orat. III.* ipse *Julianus* apostata cum magicis quibusdam superstionibus daret operam, subita daemonum apparitione consternatus, signo crucis, cui a puero assuetus erat, se muniens, eos fugaverit.

Refutantur Objecta.

Objic. I. *cont.* 1m. *part.* Historia inventionis S. Crucis commentitia videtur. Nam 1.° *Eusebius* ejus aevi Scriptor de ea non meminit in Historia. 2.° Tam varie narratur a variis Scriptoribus, ut ipsa varietas argumentum falsitatis sit. Merito ergo illam rejecerunt Magdeburgenses *Centur. IV. cap.* 14. *Salmasius*, aliique.

Neg. ant. Quod enim attinet ad *Eusebium*, et ipse inventionis S. Crucis mentionem facit tum in *Chronico*, tum in *Vita Constantini Cap.* 3 ° Quod autem spectat ad Scriptorum discrepantiam, ea non in rei ipsius summa, sed in quibusdam tantum adjunctis versatur; quod veritati non officit.

Objic. II. Patibulum, in quo pater suspensus interiit, horror potius, quam honori filiis esse debet. Ergo. etc.

℞. *Neg. cons. et parit.* In eo enim dispar est ratio exempli in objectione positi; quod in patibulo, in quo pater interiit, nihil aliud filiis spectare possunt, nisi ignominiosam Patris mortem. At Crux Christi licet a Judaeis posita fuerit ut poena nocentis, ideoque ipsis sit scandalum, gentibus autem stultitia; tamen a Christo electa est, ut ara, in qua ipse summus Pontifex sacrificium obtulit, quo mundus Deo reconciliatus est, ever-

(a) Origenes *Hom. VI. in Gen. et Hom. VI.* in *Exod.* Cyprianus *Epist. LVIII* Nazianzenus *Orat. III.* Athanasius *in vita Antonii.* Basilius Seleuciensis *Lib. I. Vita S. Theclae* Eusebius *Lib. VI. Demonstr. Evang. cap. ult.* Lactantius *Lib. VI. Instit. Cap.* 27.

sum diaboli imperium, firmatum foedus inter Deum et homines etc.

Objic. III. cont. 2m. *part.* Si cruces ad imaginem verae crucis formatae essent colendae, sequeretur, colendos esse etiam omnes clavos, quia gerunt similitudinem eorum, quibus Christus cruci est affixus, omnes lanceas, spinas etc. Atqui consequens absurdum est. Ergo.

℞. *Dist. seq. maj.* Si clavi illi de industria formati sint ad eos repraesentandos, quibus Christus confixus est, *conc.* Si aliam ob causam, atque usum, *neg.* Neque enim nos omnes cruces etiam casu, aut ad alium usum formatas colimus, sed eas tantum, quae ad repraesentandam Christi crucem de industria factae sunt.

Objic. IV. Christiani primis saeculis, objicientibus Gentilibus, ipsos Crucem colere, ideoque appellandos *Crucicolas*, aut *Cruciarios*, negarunt, Crucem apud Christianos coli, ut videre est apud Origenem *Lib. II. cont. Cels. n.* 47. Tertullianum *Apolog. Cap. XVI.* Minutium Felicem (*in Octavio*), qui absolute pronuntiat. *Cruces nec colimus, nec optamus.* Ergo illicitus est ille cultus.

℞. *Neg. cons.* Quod enim Ecclesia a IV. Saeculo usque adhuc usu suo declaravit licitum, etiam primis saeculis licuisset. Sed quoniam, ut ait Apostolus: *omnia mihi licent, sed non omnia expediunt I. Cor. VI.* 12. disciplina trium priorum saeculorum videtur nondum crucis imagines, saltem frequenter adhibuisse. Usus enim crucis manuum agitatione peractae antiquior est crucis ex quacumque materia extantis imagine.

PRO-

PROPOSITIO II.

Versimilius est, cultum crucis non esse latriae, quo Christum ipsum adoramus, sed ab eo distinctum, et inferiorem; licet majorem cultu, qui ceteris impenditur imaginibus.

Prob. Iisdem momentis, quibus supra ostendimus, cultum imaginum a cultu exemplaris esse distinctum, eoque inferiorem. 1.° In Concilio Nicaeno II. *Act. VII.* declaratur, imaginem Christi non esse adorandam cultu *latriae*. 2.° Irenaeus *Lib. I. cap.* 24. Epiphanius *Haeres. XXVII.* Augustinus *Haer. VII.* aliique damnant Gnosticos, eo quod imaginem Christi cultu divino colerent; posita autem contraria sententia, haeretici illi respondere potuissent, se imaginem Chisti colere cultu *latriae*, qui ad Christum ipsum refertur. 3.° Patres, et Concilia constanter docent, nulli imagini a Christianis cultum *latriae* exhiberi, qui soli Deo debetur, imago enim, nec ratione materiae, nec ratione relationis, et repraesentationis Deus est 4.° Gregorius M. *Lib. VII. Epist. CXI. et Lib. IX. Epist. IX.* monet *Serenum*, ut populum edoceat, non esse imaginem Christi adorandam, sed solam Trinitatem, ubi manifeste loquitur de cultu *latriae*. 5.° Adrianus *I. Epist. ad Carol. M.* docet, nullam imaginem cultu divino adorandam. Ergo imagini Christi, ejusque cruci debetur cultus *latria* inferior, major tamen cultu ceterarum imaginum, pro majori dignitate exemplaris. Quem quidem cultum si quis contendat ad latriam pertinere eo sensu, quia crux adoratur propter Christum, sive quia ratio adorandi crucem *latria* est, quae Christo debetur, non contradicimus, dummodo ipsa crux non dicatur cultu *latriae* adorari.

Objecta diluuntur.

Objic. I. Ecclesia in adoratione Crucis ait: *O crux ave spes unica*, et cetera hujusmodi, quae adorationem *latriae* significant: Ergo etc.

℟. *Neg. cons.* Ecclesia enim ibi *crucem* accipit pro

Christo ipso crucifixo, vel per quandam *prosopopoejam* crucem alloquitur, ut significet, se fructum crucis, et passionis Christi optare.

Objic. II. Communis est Patrum Concilii Nicaeni II. et Theologorum sententia, cultum imaginis referri ad *prototypum*, cultum crucis ad Christum, et celebre est axioma Aristotelis *Lib. de memoria*, unum esse motum in imaginem, ut imago est, et in ipsum exemplar. Unde S. Thomas 3. *P. Q. XXV. art.* 4. *Si loquamur*, inquit, *de ipsa Cruce, in qua Christus crucifixus est, utroque modo est a nobis veneranda: uno scilicet modo, in quantum repraesentat nobis figuram Christi extensi in ea, alio modo ex contactu ad membra Christi, et ex hoc quod ejus sanguine est perfusa. Unde utroque modo adoratur eadem adoratione cum Christo, scilicet adoratione latriae.* Idem docent Alexander Halensis 3. *P. Q. XXX. art. ult. Cajetanus, Almaynus, Capreolus*, aliique veteres Scholastici. Ergo eodem cultu honorandae sunt imagines Christi, B. Virgnis, et aliorum Sanctorum, quo ipse Christus, B. Virgo, aliique Sancti, atque ideo crux Christi adoranda est cultu *latriae*.

℞. *Dist. ant.* Cultus imaginis refertur ad exemplar, sed minor est eo, qui exhiberetur ipsi exemplari, si praesens esset, *conc.* Idem est, ac cultus exemplaris, *neg.* Ita licet honor imagini Regis exhibitus, ad Regem ipsum referatur, non tamen eodem honore afficitur imago, ac ipse Rex, si praesens adesset. Axioma autem *Aristotelis* concedimus, si eo sensu intelligatur, nimirum imaginem, ut imago est, eodem animi motu, seu eadem de causa, et ratione coli, qua exemplar, non tamen eodem modo. Denique quod attinet ad auctoritatem *S. Thomae*, aliorumque Scholasticorum, respondet Bellarminus *Lib. II. de Sacr. Imag. Cap.* 22. *Est autem valde credibile, Scholasticos illius temporis non vidisse Nicaenam Synodum II. neque octavam Synodum generalem, neque Epistolam Hadriani Papae I. pro defensione Synodi Nicaenae; nam haec omnia longo tempore latuerunt, et hoc nostro saeculo primum edita sunt, ut ex eo cognosci potest, quod in Tomis Conciliorum paulo antiquioribus nihil horum extat, et S. Thomas, aliique Scholastici vete-*

res nullam unquam de hac Nicaena synodo mentionem faciunt. Ceterum pro auctoritate tanti Doctoris contrariam sententiam non negamus esse probabilem; nostram ut versimiliorem defendimus. De signo, atque imaginibus S. Crucis eruditissime disserit *Gretserus* peculiari opere *De signo Crucis.* Multa etiam de iis habet *Morinus Part. III. De Sacris Ordin. Exerc. IV.*

Scholion.

I. Quod licitum, piumque sit crucem venerari, dogma fidei est, quod autem actu veneranda illa sit, et quonam modo, id vero ad disciplinam pertinet, atque ad opiniones Theologorum.

II. Licet cultus Crucis, imaginum Christi, B. Virginis, et aliorum Sanctorum minor sit cultu, qui ipsis debetur exemplaribus, tamen major, vel minor est pro ipsorum exemplarium dignitate. Hinc major cultus crucis aliarumque Christi imaginum, quam B. Virginis, et hujus major, quam aliorum Sanctorum.

III. Crux ipsa, cui Christus affixus est, longe majori cultu honoranda est, quam aliae; quia sanctificata quodammodo contactu corporis Chrisi, ejusque sanguine; non habet modo rationem imaginis, sed etiam reliquiae omnium pretiosissimae.

IV. De Christo multa scitu perjucunda, et quodammodo etiam necessaria ab eruditis tractantur, de ejus scilicet Nativitate, vita, passione, morte, resurrectione, ascensione. Sed haec cum historica sint, nec intra institutae brevitatis angustias cogi possint, necessario praetermittimus. Vide Benedictum XIV. *De festis Jesu Christi, et B. Mariae Virginis*, apud quem etiam passim alios auctores invenies, qui copiose, et erudite de hoc argumento scripserunt.

Libri conclusio

Ipsum igitur aeterni Patris Verbum Dei filius, imago Dei invisibilis, et figura substantiae ejus, cujus sapientia ab aeterno cogniti, atque in tempore creati sumus, cum in profundum incidissemus malorum, naturam nostram assumens, factusque noster Sacerdos, et sacrificium, et victima, et panis, et advocatus, et medicus, et consolator, et sapientia, et justitia, et sanctificator; et mediator, et Rex, et Redemptor, et legislator, et caput, et amicus, et frater, et spes, et gloria, ex exemplum, et Pater, et Pastor, et via, et veritas, et vita, et Praeceptor, et lux, et finis, et omnia; semetipsum totum impendit, ut nos perpetuae mortis ereptos faucibus, aeterna secum beatitudine donaret. Impendamus igitur et nosmetipsi totos, ut tanto amori non ingrati videamur. Cumque eum quantum meretur diligere non possimus, ineamus sanctam illam, de qua *Joannes* loquitur, cum Patre et Spiritu Sancto societatem, ut dilectio nostra eorum dilectioni conjuncta vehementior, tantoque Christi erga nos amore digna sit. Verum non diligamus lingua, sed opere, et veritate, ejusque imitari exempla, et mandata servare; quod verae dilectionis argumentum ipse nobis proposuit, studeamus. Qua in re quoniam nos praeclarissima praeiverunt exempla sanctorum, eos etiam ita colere satagamus, ut vitae nostrae ratio eorum vitae imitatio sit, ne frustra eorum patrocinium imploremus (a).

Finis Lib. VI.

LI-

(a) Vide aureum Librum de Congnitione J. Christi (*La Connoissayce de J. Christ,*) et Muratorii Opuscolum *De vera devotione.*

LIBRI VII. PROOEMIUM.

Ex Prospero Carm. De Ingratis.

Congenitae in Christo gentis mihi castus ab alto
Insinuatus amor proprias excedere vires
Me jubet, atque pias accendere carmine mentes;
Ne post confectum celebris victoria bellum,
Securos animos incauta pace resolvat:
Ceu metus eliso iam nullus ab hoste supersit,
Nec caput attriti virosum palpitet anguis.
Unde igitur commenta mali sopita resurgant,
Quemve ipso de fine dolum nova promat origo,
Da fari, pater omnipotens, artemque malignam
Pandere, prostratus qua rursum nititur error.
Dogma quod antiqui satiatum felle draconis,
Pestifero vomuit coluber sermone Britannus:
Hac primos homines cretos ditione ferebat,
Ut seu praescriptum mandatum transgrederentur,
Sive inculpati servata lege manerent,
Mortem istam prorsus, qua carnem vita relinquit,
Oppoterent: quae non peccato parta, sed ipso
Instituente Deo comes esset fixa creatis.
Progenitos igitur nullum traxisse reatum
De patribus: neque dissimiles nunc nascier illo
Ortu primorum, qui libertate male usi
Peccarunt, forma nocui non semine proli.
Posse autem insontes omnes virtutis in arce
Vitam agere, et menti ingenitum servare decorem:
Arbitrio quoniam subsistat recta volentis
Naturalis honos, lexque insita cordibus intus
Hoc moneat, quod scripta foris: cui gratia Christi
Addita, perfugium lapsis generaliter in se
Condiderit; sacro si vellent fonte novari:
Ut sponte attractum venia solvente reatum,
Sponte sua in vires proprias natura rediret:
Quoque per errores esset spoliata vigore,
Hunc servare semel posset purgata receptum.
Tam dives vero hoc donum baptismatis esse,
Et tam multa homini conferri foedere in isto,

Ut

Ut parvis etiam, vitioque carentibus omni
Congruat, ut qui sunt geniti bene, sint meliores,
Naturaeque bonum adiecto illustretur honore.
Nullum autem ex cunctis exortem muneris hujus,
Judicio genitum esse Dei: Sed quemque mereri
Libertate sua, ut capiat promissa vocantis;
Quae sint aversis indebita, debita rectis.
Talia cum demens late diffunderet error,
Commentisque rudes traheret lethalibus aures,
Adfuit exhortante Deo provisa per orbem
Sanctorum pia cura patrum, non dispare motu
Conficiens diros jaculis caelestibus hostes.
Iisdem namque simul decretis spiritus unus
Intonuit. Pestem subeuntem prima recidit
Sede ROMA Petri: quae pastoralis honoris
Facta caput mundo, quidquid non possidet armis,
Relligione tenet: non segnior inde Orientis
Rectorum cura emicuit: captumque nefandi
Dogmatis auctorem constrinxit lege benigna
Commentum damnare suum, nisi Corpore Christi
Abjungi, et sancto mallet grege dissociari.
Lene quidem hoc, nimiumque malos tolerasse videtur
Judicium: sed sancta fides examine in illo
Vicit oborturam diro de semine prolem:
Prospectum namque est, divino et munere cautum,
Ut licet istantem declinans bestia poenam,
Perfidiae secum sensus tenuisset eosdem:
Ipsa tamen proprium germen damnando necaret:
Ore malam extinguens sobolem, quam protulit ore.
Tunc etiam Bethlei praeclari nominis hospes,
Hebraeo simul et Graio, Latioque venustus
Eloquio, morum exemplum, mundique magister
HIERONYMUS, libris valde excellentibus hostem
Dissecuit, noscique dedit, quo turbine veram
Vellent exortae lucem obscurare tenebrae.
Quid loquar? et curam magna quam gessit in urbe
Constantinopoli docto bonus ore Sacerdos
ATTICUS, antiqua legatos haereticorum
Confutando fide? de qua tunc impia corda,
Quumvis se obducta tegerent velamine forma,
Judicii et tacitae tulerant tormenta repulsae.

Praetereo quanto fuerit bene mota tumultu
Clara Ephesos, non passa suis consistere tectis
Vasa irae, et morbi flatus, et semina mortis:
Quaque fide tellus etiam Trinacria fervens,
Agmen vipereum propriis exegerit oris.
Tu causam fidei flagrantius Africa nostrae
Exequeris: tecumque suum jungente vigorem
Juris Apostolici solio, fera viscera belli
Conficis, et lato prosternis limite victos.
Convenere tui de cunctis urbibus almi
Pontifices, geminoque senum celeberrima coetu,
Decernis quod Roma probet, quod regna sequantur.
Nec sola est illic synodorum exerta potestas,
Ceu quos non possent ratione evincere nostri,
Vi premerent; discussae artes, virusque retectum est
Haeretici sensus: nullumque omnino relictum,
Docta fides quod non dissolveret, argumentum.
Condita sunt, et scripta manent, quae de cataractis
Æterni fontis fluxere undante meatu,
Et tercentenis procerum sunt edita linguis.
Ut qui damnato vellent de errore reverti;
Acciperent pacem; pulsis qui prava tenerent.
An alium in finem posset procedere sanctum
Concilium, cui dux AURELIUS, ingeniumque
AUGUSTINUS erat? quem Christi gratia cornu
Uberiore rigans, nostro lumen dedit aevo,
Accensum vero de lumine? nam cibus illi,
Et vita, et requies Deus est: omnisque voluptas
Unus amor Christi est, unus Christi est honor illi:
Et dum nulla sibi tribuit bona, fit Deus illi
Omnia: et in sancto regnat sapientia templo.
Istius ergo inter cunctos, qui de grege sancto
Insanas pepulere feras, industria major:
Majus opus, totum praestantius imbuit orbem.
Nam quocumque gradum convertit callidus hostis,
Quaque per ambages anceps iter egit opertas,
Hujus ab occursu est praeventus, mille viarum
Insidiis aditum non repperientibus ullum.
Cumque foris rabies avidorum exclusa luporum
Frenderet, inque omnes mendacia verteret artes,

Ne mentes ullarum ovium corrumpere posset,
Neu dubia obliquis turbaret corda querelis,
Istius ore viri fecit Deus : istius ore
Flumina librorum mundum effluxere per omnem,
Quae mites humilesque bibant ; campisque animorum
Certant vitalis doctrinae immittere rivos.
Jamque procellosae disjecto turbine noctis, (a)
Heu nova bella ; novi partus oriuntur in ipso
Securae matris gremio : quae crescere natis
Visa sibi, discors horret consurgere germen,
Degeneres pavitant inimico ex semine foetus :
In quibus ante diu, specie fallente, benignus
Erraret genitricis amor, cum obducta decoris
Moribus, externae stirpis tegeretur origo.
Sic veris subeunt falsa, et discrimine caeco,
Fronte placent ; quae fine latent : sic laudis amore,
Virtutum studium corrumpitur : atque ab honesto
Principio in vitium exitur plerumque tumoris :
Quo quidam inflantur nunc turpiter, atque perempti
Dogmatis extinctas tentant animare favillas :
Dum libertatem arbitrii, affectumque volendi
In naturalis motus virtute locantes,
Tam bona quemque docent sectari posse suopte
Ingenio, quam posse subest, cuique in mala ferri. etc.

LI-

(a) Notat Semipelagianos

LIBER VII.

SIVE

TRACTATUS DE GRATIA CHRISTI ET PRAEDESTINATIONE SANCTORUM.

Praefatio.

Explicata in superiori Libro *Incarnationis* doctrina apposite jam in hoc est *de Gratia* disputandum, quae incarnationis ipsius et finis, et effectus est. Quo in libro etiam de praedestinatione Sanctorum disseremus, quae a gratia ipsa divelli nequit. Ad hoc enim Verbum Caro factum est, ut de plenitudine gratiae ejus omnes acciperemus, atque ubi abundavit delictum superabundaret gratia. Sed quia varii fuerunt, et sunt circa eam haereticorum errores ii primum, ne in eos et ipsi incaute inducamur, aperiendi sunt.

CAP. I.

Recensentur breviter gratiae hostes, et praecipui de gratia errores haereticorum.

I. Judaei, et Gentiles.

Judaei de lege Mosaica, et Gentiles de naturalibus ingenii viribus, atque scientiis gloriati, aut nulla se egere Dei gratia putabant, aut eam suis operibus sibi meruisse arbitrabantur, quos vehementer redarguit Apostolus in Epistola ad Romanos.

II.

II. Pelagiani.

Pelagius Britannus Monachi habitu, vitam agens vagam, primum Romae Magistro usus *Ruffino* Origenianis erroribus imbuto docuit, hominem originali peccato non nasci infectum, eo quod Adam per peccatum sibi soli nocuit: quem errorem *Lib. V.* refutavimus. Hinc inferebat, ex liberi arbitrii viribus adhuc sanis, atque integris posse hominem universam Dei legem servare, totamque vitam sine ullo peccato ducere, et Regnum Caelorum mereri. Ad declinandam tamen catholicorum invidiam, gratiam necessariam esse concedebat, nihil aliud gratiae nomine intelligens, nisi 1.° liberum arbitrium, 2.° legem, atque doctrinam, 3.° interiores mentis illustrationes ad facilius operandum, ut testatur Augustinus *Lib. de Gratia Christi* 4.° denique remissionem peccatorum; gratiam tamen, quam agnoscere videbatur, asserebat, secundum merita nostra dari. Numquam vero adduci potuit, ut eam gratiam fateretur, qua non solum facienda noverimus, verum etiam cognita faciamus. Hac subdola gratiae confessione damnationem vitavit in Concilio Diospolitano anno CCCCXV. Verum ejus haeresis ubique detecta, et damnata est in primis ab *Innocentio I. Zosimo, et Caelestino* I. tum in variis Conciliis provincialibus, ac demum in generali Ephesino, ita ut viginti quatuor Concilia ad eam profligandam habita sint, de quibus vide *Norisium*, qui *Historiam Pelagianam* (*a*) fuse, et accurate prosequitur.

Ejus Discipulus *Caelestius* acriori ingenio praeditus, liberius, ac vehementius haeresim spargere studuit, unde Pelagiani aliquando *Caelestiani* dicti sunt. *Julianus* vero Episcopus Eclanensis in Campania in hoc aliquantu-

(a) Scripserunt etiam Pelagianam Historiam *Gerhardus Jo. Vossius, et Cornelius Jansenius* Sed *Norisius* gravior est, atque accuratior Multa etiam egregia habet *Jo. Garnerius* in *Dissertationibus.*

tulum *Pelagii* systema temperavit, quod putabat, necessariam esse gratiam ad profectum, non vero ad initium boni operis, ceterum in reliquis cum *Pelagio* sentiens, accerrime contra *Augustinum* scripsit, a quo tamen invictissime refutatus est. Pulsus in exilium, atque haeresis infamia flagrans, ad *Theodorum Mopsuestenum*, et *Nestorium* se recepit.

III. *Semipelagiani*

Semipelagiani, sive *Massilienses* dicti sunt, qui in Gallia, praesertim Massiliae, lectis *Augustini* libris tum contra Pelagianos, tum ad sedandas turbas, quae de gratia inter Monachos Adrumetinos ortae erant, valde commoti, novum procuderunt dogma, ut scribunt *Prosper*, et *Hilarius* in suis ad *Augustinum* Epistolis, quod partim cum Pelagiana haeresi congruebat, partim ab illa discrepabat. Discrepabat quidem a *Pelagio*, eo quod agnoscebant isti originale peccatum, et necessitatem gratiae ad bona opera; sed cum *Pelagio* congruebat, eo quod putabant, ad initium fidei, et bonae voluntatis, et ad perseverantiam usque in finem praeveniente Dei gratia opus non esse, ideoque ad hanc gratiam nonnullos esse prae aliis ab aeterno praedestinatos, negabant. Haec tria inter *Semipelagianos* omnes conveniebant, licet in paucis aliis ipsi inter se dissentirent. Refutati primum ab Augustino in libris *de Praedestinatione Sanctorum*, et *de Dono perseverentiae*, deinde damnati in Concilio Arausicano II. anno DXXXIX non destiterunt diu adversus Catholicam doctrinam bellum gerere eo periculosius, quod inter illos viri erant doctrinae, et pietatis opinione celebres, imo et dignitate illustres. In eo errore versati sunt *Faustus Regiensis*, *Cassianus*, *Vincentius Lirinensis*, *Gennadius*, aliique: eundemque errorem mox, inquit *Ludovicus Habert* post Clerum Gallicanum in Comitiis anni MDCC. mutatis tantum vocibus revocarunt, qui inter recentiores commenti sunt pactum quoddam inter Christum, et Patrem, ut facienti quod id se est naturae viribus, Deus gratiam non negaret. Habes Semipelagianorum Historiam apud eundem *Norisium in Historia Pelagiana*.

IV.

IV. *Praedestinatiani.*

Praedestinatiani sunt, qui ex libris *Augustini* perperam intellectis, docuisse dicuntur 1.° Liberum hominis arbitrium per Adae peccatum fuisse amissum. 2.° Deum nolle nisi solos praedestinatos salvos facere. 3.° pro iis solis mortuum esse Christum. 4.° reliquos vero praedestinatos ad peccandum, et ad poenam aeternam subeundam. Sed eruditi hanc sectam usquam extitisse negant, putantque, quatuor illa dogmata a Semipelagianis per calumniam imposita fuisse *Augustini* Discipulis, quos *praedestinatianorum* nomine traducebant. Vide *Natalem Alexandrum*, *Norisium*, *Berti*, etc. Ceterum quatuor illa capita damnata sunt in Conciliis Moguntino, Carisiaco, Valentino, Tulleusi, ac tandem Tridentino. *Gothescalcus* Monachus ejus haeresis accusatus, atque damnatus est a *Rabano* in Concilio Moguntino, atque ab *Hincmaro* in Concilio Carisiaco, ubi virgis caesus, Sacerdotali honore exauctoratus, atque in carcerem trusus, e sententia tamen usque ad mortem dimoveri non potuit. Habuit tamen ille, habetque hodie sicut adversarios insignes, sic et patronos non ignobiles, qui putant eum strenuum Augustinianae doctrinae vindicem in eoque fortasse tantummodo culpandum, quod nimio zelo, sed non secundum scientiam, atque prudentiam, imo nimis dure *Augustini* dogmata proferebat, ac propugnabat. Vide Christianum Lupum *Not. in. I. Con. Roman.* et Norisium *in Histor. Gothescalchi* (a).

V.

(a) Jac. Syrmondus in *Historia Praedestinatiana*, quem defendit Ludovicus Cellotius in *Historia Gothescalchi*, et Duchesnius in *Praedestinatianismo* probare conantur, te. vera *Praedestinatianos* extitisse. Fortasse in eo dogmate erravit aliquis, sed sectam non constituit.

V. *Lutherani*, *et Calvinistae*.

Lutherani et Calvinistae quatuor illa praedestinatianorum dogmata revera amplexi sunt (*a*); additis etiam de suo novis erroribus; sic autem totum systema informarunt. 1.° Gratiam sanctificantem fuisse naturalem primi hominis proprietatem, sicut et arbitrium omnino liberum a necessitate, a concupiscentia, a miseria. 2.° Per peccatum Adae non solum gratiam sanctificantem esse amissam, sed ipsum liberum arbitrium periisse, ita ut remanserit *titulus sine re*, *figmentum humanum*, et voluntas hominis *passive se habeat*; quam tamen sententiam emollientes statuerunt, voluntatem hominis non quidem *passive se habere*, sed moveri vel a gratia Dei vel a concupiscentia necessario, quamvis non coactam. 3.° Opera tamen hominis, etiam non libera, vera esse peccata, et damnationem mereri, si aliquid inordinati habeant: eo quod sua culpa in hanc peccandi necessitatem homo se conjecerit. 4.° Non aliud esse *formaliter* originale peccatum, nisi concupiscentiam ipsam; ejusque motus, quamvis involuntarios, vera esse peccata *actualia*, *et mortalia*. 5.° Cum concupiscentia cunctis hominum operibus aliquid inordinatum, licet involuntarium admisceat, omnia opera hominum esse peccata mortalia. 6.° Et quoniam concupiscentia neque per Baptismum, neque per alia Sacramenta deletur; hinc docent, peccata in justificatione non deleri, sed tegi, hoc est non imputari. 7.° Tegi autem peccata per justitiam ipsius Christi, sive (juxta *Osiandrum*) ipsius Dei, quam justitiam homo sibi per fidem applicat; ita ut sola fides justificet, quatenus per solam fidem apprehenditur justitia Christi, eaque tamquam veste peccata operiuntur, ideoque omnes justi aequales in justitia sunt, cum una sit Christi justitia omnibus applicata per fidem,

(a) Licet ea recentiores, praesertim Lutherani, emollire satagnant, ut videre est apud *Buddeum*.

dem, neq justitia est aliquid animae intrinsecus inhaerens, sed Dei favor, extrinsecus non imputantis peccata per Christum. 8.° Sacramenta ad nihil aliud valere, nisi ut excitent in homine fidem. 9.° Fidem autem justificantem non esse fidem historicam omnium eorum, quae revelavit Deus, sed fidem promissionum, qua quis certo credit, peccata sibi esse remissa, hoc est non imputata per Christum. 10.° Quandiu quis hanc fidem habet, peccata ei non imputari; quandiu ea caret, imputari; ideoque omnia opera infidelium, quia per concupiscentiam infecta, peccata esse mortalia; omnia vero opera fidelium esse peccata venialia, hoc est, esse quidem peccata gravia, sed non imputari in peccata; ceterum nullum esse meritum bonorum operum, cum omnia opera peccata sint, et vix per summam Dei misericordiam non imputentur fidelibus. 11.° Lutherani tamen docent, per omnia peccata voluntaria amitti fidem, ideoque vere illa, et sequentia opera imputari in peccata. Calvinistae vero statuunt, fidem semel apprehensam amitti nullo modo posse, ideoque praedestinatos numquam amittere justitiam per fidem apprehentam. Quod si quis aliquando voluntarie peccat, non tunc fidem amittere, sed ostendere, se numquam veram fidem habuisse. In hoc *Calvinus* a *Luthero* distat; ideoque docet, quemque teneri ad credendum, se esse praedestinatum; et omnia praedestinatorum opera esse peccata venialia, reproborum mortalia. Damnata sunt haec omnia hujus systematis capita in Concilio Tridentino *Sess. V. et VI.*

VI. *Bajus.*

Michael Bajus Doctor, et Decanus Lovaniensis Academiae, redux e Concilio Tridentino, quo missus fuerat una cum *Hesselio* a *Philippo II.* Hispan. Rege, opuscula quaedam vulgavit, in quibus cum a communi Theologorum doctrina recedere videretur, excerptae ex iis sunt Propositiones LXXVIII. vel LXXIX. pro variis editionibus, atque ad sedem Apostolicam delatae, damnataeque primum a *Pio* V. anno MDLXVII. tum a *Gregorio* XIII. anno MDLXXIX. tandem ab *Urbano*

VIII.

VIII. anno MDCLXIV. tamquam *haereticae, erroneae, suspectae, temerariae, scandalosae, et pias aures offendentes respective* (a). Totum autem *Baij* systema ex thesibus illis excerptum huc redit. I. Integritatem primae conditionis naturae humanae non fuisse supernaturale Dei beneficium, sed naturalem conditionem hominis *Prop.*25 ideoque ejus exaltationem, et sublimationem in consortium divinae naturae, debitam fuisse integritati primae conditionis, ac proinde naturalem dicendam esse, non supernaturalem *Prop.*21. nec Deum potuisse a principio talem creare hominem, qualis nunc nascitur *Prop.* 55. hinc meritum bonorum operum in ipsa hominis creatione fuisse naturale, nec vitam aeternam tunc vocari potuisse gratiam, sed mercedem *Prop.* 1. 3. 4. *etc.* II. Amisso per peccatum Adae libero arbitrio ad bene vivendum, et vitanda peccata *Prop.*27. 28. 29. 30. peccare hominem, etiam damnabiliter in eo, quod necessario facit *Prop.*67. concupiscentiam, et ipsam infidelitatem *negativam* in iis, qui nihil audire potuerunt de Evangelio, peccatum esse *Prop.* 68. nec ullum esse peccatum natura sua veniale, sed omne peccatum mereri poenam aeternam *Prop.* 20. Pelagianum esse asserere, Deum impossibilia non jubere *Prop.*54. cumque concupiscentia etiam necessaria in eo systemate peccatum sit, hinc omnia opera peccatorum, et infidelium vera esse peccata *Psop.*25. *et* 35. nec ullum esse opus bonum sine charitate *Prop.*16. nomine autem charitatis gratiam sanctificantem intelligebat. Hinc omnem amorem creaturae rationalis aut esse cupiditatem damnabilem (in peccatoribus), aut charitatem laudabilem (in justis) *Prop.* 38. Necessariam ergo esse ad opus bonum gratiam sanctificantem, sed meritum bono-

(a) Questi sunt *Baji* fautores, non singulas propositiones, sua quamque censura notatas, sed omnes *in globo, et respective* Sed quamvis optandum sit, ut semper si fieri potest, sua cuique propositioni censura addatur; cum tamen Ecclesia justis, ut existimare debemus, de causis aliter facit, ut in Conc. Constantiensi, nefas est obstrepere. Vide *Lib. II. cap.* 13.

norum operum non esse repetendum ex eo, quod fiat ab homine justo, sed ex ipsa operis bonitate, quae natura sua mercedem exigit, sicut opus malum sua natura meretur poenam *Prop.* 2. III. Asserebat etiam, dari posse gratiam sanctificantem sine remissione peccatorum *Prop.* 31. 32. *et* 33.

Damnatas has propositiones revocavit, et damnavit ipse *Bajus*, agente *Francisco Toleto* e *S. J.* postea *Cardinali*, sed cum ipse *Pius V. in Bulla* ita pronuntiaverit; *Quamquam nonnullae* (*Propositiones*) *aliquo pacto defendi possint, in rigore, et proprio verborum sensu ab auctoribus intento damnamus etc.* hinc *Baji* fautores dictitabant, vel legendum hoc comma sine interjecta virgula, sicut revera habuisse dicebatur exemplar Bullae Lovanium delatae; itaut sensus sit, theses illas defendi posse in sensu *Baji*; vel si interjicienda sit illa virgula, Pontificem *errore facti* deceptum, nec theses illas in sensu pravo positas a *Bajo*. Sed cum supremum Ecclesiae Tribunal sententiam maturo examine pronunciavit, eam privatos impugnare summae temeritatis, et arrogantiae est; praesertim cum et ipse *Bajus* obedientiae exemplum praebuerit, et *Jansenius*, non ultimus ex ejus sodalibus, ingenue fateatur, *Bajum Augustini fundamenta non satis detexisse, vel penetrasse* (a). Illud nobis scire satis est, Sedem Apostolicam nequaquam theses illas damnasse in sensu Patrum, et Catholicorum Theologorum; sed tantum *in rigore, et proprio sensu ab auctoribus intento.*

VII. *Jansenius.*

Cornelius Jansenius ex Doctore Lovaniensi Episcopus Yprensis, edito in *Evangelicam Concordiam* commentario non ignobili, peste in Dioecesim suam grassante correptus, ac morti proximus *Reginaldo Lamaeo* librum a se longo multorum annorum labore conscriptum commendavit, cui titulus *Augustinus*, ut eum typis mandaret,

(a) *De statu naturae lapsae lib. IV. ap. 27.*

daret, collatis cum *Fromondo*, et *Caleno* consiliis, *ut editio esset fidelissima.* Addidit tamen in testamento, quod adhuc legitur operi illi praefixum: *Si tamen Romana Sedes aliquid mutari velit, sum obediens filius. et illius Ecclesiae, in qua semper vixi usque ad hunc lectum mortis, obediens sum.* Sed occasione ejus editionis quinque propositiones primum ad *Theologicam facultatem* Parisiensem sine nomine auctoris delatae, atque damnatae, deinde eaedem a pluribus Episcopis Gallicanis, indicato etiam *Jansenii* nomine, *Innocentio X.* denunciatae, ab eodemque damnatae sunt anno MDCLIII. in Bulla *Cum occasione*, in qua (licet obiter) clare tamen significabatur, propositiones illas in libro *Jansenii* contineri. Sunt autem hae:

I. *Aliqua Dei praecepta hominibus justis volentibus, et conantibus, secundum praesentes, quas habent, vires sunt impossibilia, deest quoque illis gratia, qua possibilia fiant.*

II. *Interiori gratiae in statu naturae lapsae numquam resistitur.*

III. *Ad merendum, et demerendum in statu naturae lapsae non requiritur in homine libertas a necessitate, sed sufficit libertas a coactione.*

IV. *Semipelagiani admittebant praevenientis gratiae interioris necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium fidei, et in hoc erant haeretici, quod vellent, eam gratiam talem esse, cui posset humana voluntas resistere, vel obtemperare.*

V. *Semi pelagianum est dicere, Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse, aut sanguinem fudisse.* Harum thesium prima damnata est ut *temeraria, impia, blasphema, anathemate damnata, et haeretica*; altera ut *haeretica*: tertia item ut haeretica: quarta ut *falsa* quoad primam ejus partem, et *haeretica* quoad alteram; quinta ut *temeraria, scandalosa, et intellecta eo sensu ut Christus pro salute dumtaxat praedestinatorum mortuus sit, ut impia, blasphema, contumeliosa, divinae pietati derogans, et haeretica.*

At *Jansenii* fautores cum frustra tentassent ejus Librum a pontificia censura liberare, missis etiam Romam legatis, qui diu ante editionem Bullae auditi sunt, non destiterunt eum pro virili defendere, quamvis

proscriptum ab eodem *Innocentio X.* in Congregatione generali *Inquisitionis* anno MDCLIV. Distinguentes enim quaesitionem *juris* a quaestione *facti*, professi sunt, se judicio Sedis Apostolicae quoad damnationem illarum quinque thesium acquiescere, sed negare, eas esse in *Jansenii* libro, praeter primam, quae conceptis quidem verbis posita est a *Jansenio Lib. III. de Gratia Salvatoris cap.* 13, sed sensu, inquiebant, Catholico. In quaestionibus autem *facti* Ecclesiam errare posse, communi Theologorum consensu constare. Quapropter, ne qua fraus sub hac distinctionis larva latitaret, *Alexander* VII. Innocentii successor anno MDCLVI. declaravit, quinque propositiones revera esse quoad sensum in *Jansenii* libro, editoque *Formulario*, in quo non solum quinque theses damnabantur, sed etiam asserebatur, eas esse *Jansenii*, omnes Galliae Praesules, aliosque suspectos ei subscribere compulit (*a*).

Non potest autem paucis verbis; imo nec paucis libris explicari, quot turbas ea occasione *ansenii* fautores in Galliis coneiverint. Nos quamvis fateamur, quaestionem *juris* a quaestione *facti* esse diversam, primam pertinere ad fidem, non autem alteram; tamen supremo Ecclesiae Pastori, ejusque judicio ab Ecclesia universa jam probato, judicium nostrum anteferre nefas putamus. Vide quae diximus *Lib. II. cap.* 7. Ceterum cum nonnulli catholicos Theologos inique vexarent, atque ut *Jansenistas* traducerent, *Innocentius II.* tanto malo occurens anno MDCXCIV. severe proibuit, ***ne quis traducatur invidioso nomine Jansenismi**, **nisi prius legitime constiterit, aliquam ex quinque propositionibus docuisse**, **et tenuisse***: Quod animadversione dignum est,

VIII.

(a) Calvinistae illi, inter quos praecipue Melchior Leidekerus in *Historia Jansenismi*, qui contendunt, *Jansenii* doctrinam a Calviniana non differre, dum causam suam facere se putant *Jansenii* societate, atque auctoritate meliorem, judicium Sedis Apostolicae verum fuisse, ac jussum inviti confirmant. Ceterum qui *Formularii Alexandri* VII. subscribere detrectarunt, *Refractarii* dicti sunt, inter quos praecipue illi, qui in Portum Regalem se receperunt prope Parisios.

VIII. *Quesnellius.*

Non pauciores, nec minores tum in Gallia, tum alibi excitavit motus liber *Paschasii Quesnellii*, Oratorii Gallicani Presbyteri, cui titulus est; *Novum testamentum cum animadversionibus moralibus in singulos versus* (a), ex quo extractae sunt theses CI, quibus *Baji*, et *Jansenii* systemate renovato, aliae insuper addebantur de Ecclesia, ejusque potestate sententiae, a veritate alienae. Et quamvis plures ex iis thesibus expressae essent verbis S. Patrum, praesertim *Augustini*, eas tamen omnes, in sensu Auctoris, cum ipso quoque libro damnavit *Clemens* XI in celebri Constitutione *Unigenitus* anno MDCCXIII. tamquam *falsas*, et *captiosas*, *male sonantes*, *haereticas etc.*

Quesnellius e Galliis profugus apud Batavos se recepit. At occasione Constitutionis *Unigenitus*, magnam excitarunt *Quesnellii* fautores in Gallicana Ecclesia perturbationem, renovata iterum distinctione quaestionum *juris*, *et facti*. Nos sicut de *Bajo*, ac *Jansenio*; sic de *Quesnellio* Sedis Apostolicae judicio acquiescimus, hoc scientes, quod saepe a Summis Pontificibus *Innocentio XI. Alexandro VII.* aliisque declaratum est, nequaquam ab Apostolica Sede damnatas hasce theses in sensu *S. Augustini*, *S. Thomae*, aliorumque Catholicorum Theologorum. Nunc quod instat, Deo juvante, agamus: primum tamen quanti in hoc argumento aestimandus sit is, quem paulo ante dixi, *Augustinus*, expendere operae pretium est.

CAP.

(a) *Le Nouveau Testament en François avec des Reflexiones morales sur chaque verset.*

C A P. II.

Quanti facienda sit in controversiis de Gratia auctoritas S. Augustini.

Adv. I. QUamvis omnium SS. Patrum veneranda sit auctoritas, ii tamen in uno quoque dogmate prae ceteris consulendi, quos praecipue suscitavit Deus, atque objecit haereticis, dogma illud impugnantibus, ut *Iraeneum* contra Gnosticos, *Athanasium* contra Arianos, *Cyrillum* contra Nestorianos, *Augustinum* contra Manichaeos, Donastistas, Arianos, Pelagianos.

II. Quamvis ergo in hac tractatione de Gratia, quam Pelagiani, et Semipelagiani oppugnarunt, unus prae ceteris suspiciendus sit *Augustinus*, qui haereticos illos acerrime scriptis insectatus est, ac penitus profligavit; duo tamen vitanda sunt extrema, alterum *Calvinianorum*, qui ita *Augustinum* extollunt (quem prave ad suos sensus detorquent) ut in reliquos Patres injuriosi sint; alterum *Molinae*, ejusque sectatorum, qui aliorum Patrum sententias quasdam vel ante exortam haeresim Pelagianam, vel in aliis dogmatibus obscurius prolatas, avide arripientes, *Augustinum* flocci faciunt. *Veteres omnes*, inquit *Calvinus Lib. II. Instit. cap.* 2. §. 4. *excepto Augustino, sic hac in re variant, aut vacillant; ut certi fere nihil ex eorum scriptis referre liceat.* Contra vero Petavius *Lib. X. tom.* 1. sodalibus suis gratificari gestiens, ac retractare *Augustini* doctrinam de Praedestinatione, quam strenue propugnaverat *Lib. IX.* sic ait: *Jampridem in Scholis disputari coepit ista quaestio, nec pro aliquo praejudicio valere ad hanc controversiam credita est auctoritas Augustini.* Nos utrumque scopulum vitamus.

PRO-

PROPSITIO.

In controversiis de Gratia, et Praedestinatione consulendus prae omnibus Patribus, ac suspiciendus Augustinus, ejusque discipuli Prosper, Fulgentius, S. Thomas: non tamen aliorum negligenda sententia est, modo auctorum scopus, et scribendi tempus, et occasio sedulo attendantur.

Prob. 1a. *pars.* I. ratione, quam paulo ante innuimus. In omnibus Theologiae controversiis illi prae ceteris consulendi sunt Patres, qui prae ceteris adversus oppositos haereticorum errores decertarunt. Atqui unus prae omnibus contra gratiae inimicos decertavit *Augustinus*. Ergo.

Prob. II. auctoritate Summorum Pontificum, qui *Augustini* de gratia doctrinam, Ecclesiae Catholicae doctrinam esse, declararunt. 1.° *Innocentius* I. Epistolis ad *Augustinum* datis, occasione Conciliorum Carthaginensis, et Milevitani, nec non libri *de natura, et gratia*, quem *Augustinus* ad eum miserat, ejus doctrinam impense laudat: quod facit et *Zosimus*, probans Canones Concilii Carthaginensis ex *Augustini* libris excerptos. 2.° Caelestinus I. *Epist. ad Episcop. Gall. Augustinum*, inquit, *sanctae recordationis virum pro vita sua, atque meritis in nostra communione semper habuimus, nec unquam hunc sinistrae suspicionis saltem rumor aspersit: quem tantae scientiae olim semper fuisse meminimus, ut inter magistros optimos etiam a meis decessoribus haberetur. Bene ergo de eo omnes in commune senserunt, utpote qui ubique cunctis et amori fuerit, et honori. Unde resistatur talibus*, quibus scilicet *Augustini* de Gratia libri displicebant. Quod elogium commemorans Prosper *Lib. Cont. Collat.* miratur, quomodo *contra istam clarissimae laudationis tubam: contra istam sacratissimi testimonii dignitatem audeat quisquam malignae interpretationis murmur emittere*, 3.° Hormisdas *Epist. ad Possessorem*: *De arbitrio, et gratia Dei quid Romana, idest Catholica sequatur, et asseveret Ecclesia,* li-

licet in variis libris B. Augustini, et maxime ad Hilarium, et Prosperum, possit cognosci. 4.° Clemens VIII. in *Congregationibus de Auxiliis* ad expendendam *Molinae* doctrinam Romae habitis, statuit, ut omnia ad *Augustini* mentem, et doctrinam, tamquam ad certam regulam exigerentur: *Cum Sanctissimi Pontifices,* inquit, *praedecessores nostri doctrinae S. Augustini tam acres fuerint defensores, ac vindices, ut quasi haereditario jure eam in Ecclesia relinqui voluerint, aequum non est, ut patiar; illam hac haereditate privari ap. Noris. Vindic. Cap.* 6 50. Denique ut alios omittamus, *Innocentius X.* quibusdam timentibus, ne in damnatione Libri *Jansenii* S. Augustini doctrinae aliqua labes suspicionis adspergeretur, respondit: *Ubi est Augustinus, ibi est Ecclesia ap. Morin. Tom. IV. Tradit. 7*

Prob, III. ex Conciliis. 1.° de conciliis Africanis contra Pelagianos habitis, quae sedes Apostolica probavit, nulla dubitatio est, quin *Augustinum* Doctorem, et ducem sequuta sint; hinc Prosper (*Carm. de ingratis*). *Concilium, cui dux Aurelius, ingeniumque Augustinus erat.* 2.° Concilium Praesulum in Sardinia exulum: *Prae omnibus,* inquit, *studium gerite, libros S. Augustini, quos ad Prosperum, et Hilarium scripsit, memoratis fratribus legendos tradere ap. August. Tom. X in Apend.* 3.° Concilium Arausicanum II. ab universa Ecclesia probatum, Canones de gratia contra Semipelagianos ex libris *Augustini* ipsissimis ejus verbis excerpsit. 4.° Tria Concilia in Galliis habita Saec. IX. nempe Valentinum III. Lingonense, et Tullense, in causa *Gothescalchi* de praedestinatione, et gratia, *Augustini* libros tamquam lydium lapidem statuerunt, ad quem Canones de gratia informarentur. 5.° Concilium Florentinum vocat eum praeclarissimum, et praestantissimum Latinorum Doctorem; et Tridentinum Canones de gratia ipsis Augustini sententiis, ac verbis expressit.

Prob IV. *ex PP.* testimonio. 1.° *Hieronymus*, a quo certe vitium adulationis aberat, sic ad ipsum scribit *Augustinum*, occasione eorum, quae contra Pelagium ediderat *Epist. LXXX. Macte virtute in orbe celebraris, Catholici te conditorem antiquae rursum fidei venerantur, atque suspiciunt, et quod signum majoris gloriae est,*

est, *omnes haeretici detestantur.* Quod elogium nescio, an cui alteri ex Patribus tributum unquam fuerit, vel tribui possit. 2.° Quantis laudibus Augustini doctrinam de gratia *Prosper*, et *Fulgentius* extollant, cuique notum est. 3.° *Remigius* Lugdunensis *Lib. de tuenda verit. Scripturae cap.*2. *Haec cum legissemus* (Capitula scilicet Hincmari Rhemensis) *graviter percussi*, *et animo confusi vidimus . . . S. Augustini reverendam in omni Ecclesia Catholica*, *receptissimamque auctoritatem novo conatu*, *et ausu nimis temerario impugnari.* Idem alii faciunt (*a*) a quibus appellatur. *Benedictus Doctor Israel*, *Tuba Domini*, *vir caelestis sapientiae*, *excellentissimae auctoritatis*, *culmen Doctrinae Christianae*, *abyssus sapientiae*, *columna Ecclesiae*, *maximus post Apostolos Ecclesiarum instructor*, *etc.* Ergo risu potius excipiendi, quam refutandi ii sunt, quos affirmare non puduit, Augustinum excessisse modum, atque errasse cum in Pelagianorum disciplinam ejus ingenium exarsisset.

Prob. V. ex ipsius *Petavii* testimonio, qui *Tom. I. Lib. IX. cap.*6. sic ait: *Cum de gratia*, *vel electione*, *ac praedestinatione disputandum est*, *minus haberi solet antiquorum Patrum ratio*, *qui ante Pelagianam ortam haeresim extiterunt*, *quam eorum*, *qui postea sunt secuti. Latinorum vero multo major*, *quam Graecorum*, *etiam haeresi illa posteriorum*: *propterea quod magis aliquanto Latinam Ecclesiam*, *quam Orientalem exercuit haeresis Pelagiana*; *quae iis de rebus altercandi occasionem praebuit*, *sic ut Graeci plerique intima Pelagianorum dogmata*, *vel ignorarint funditus*, *vel minus accurate perspexerint. Omnium vero Latinorum*, *quorum in hac controversia majorem dixi auctoritatem*, *princeps est*, *consensu* Theologorum, *Agustinus*, *cujus de gratia sententiam quotquot deinde consecuti sunt Patres*, *ac Doctores*; *tum vero Ecclesiae Romanae Praesules*, *Praesulumque conventus aliorum ratam*, *et Catholicam esse ju-*

(a) Bernardus *Serm. LXXX. in Cant. et Tract. de Bapt. cap.* 2. Paulinus *variis Epist. ad Augustinum*: Possidius *ad Macedonium etc.*

judicarunt, *ut hoc satis magnum putarent veritatis argumentum*, *quod ab Augustino positum*, *ac decretum esse constaret*. Nihil luculentius dici poterat: ut merito ab aliorum testimoniis recensendis supersedeam. Ergo.

Prob. 2a. *pars.* Idem ex consequenti sentiendum de *Augustini* discipulis *Prospero*, et *Fulgentio*; quidquid enim habent, ex *Augustino* depromtum est. Sed de S. *Thoma* longiori opus esset dissertatione, quam patiatur instituti brevitas. Unum sufficiat testimonium *Joannis* XXII. qui ubi agebatur de tanti Doctoris *canonizatione*; *Aliis*, inquit, *opus non est ad Thomae apotheosim miraculis*; *tot enim sanctus ille miracula edidit*, *quot articulos scripsit*. Alia SS. Pontificum, Conciliorum generalium, illustriorumque totius Europae Academiarum praeconia vide apud Gonet *Tom. I.*

Prob. 3a. *pars.* 1.° Ipse *Augustinus* aliorum Patrum, etiam Graecorum, doctrinam non neglexit, sed veneratus est; imo ex aliorum Patrum auctoritate suam doctrinam munire studuit, scribens contra *Julianum*, et *Semipelagianos*. 2.° Si *Augustinus* a ceteris Patribus dissideret, potius ipse videretur deserendus, quam contemnendi ceteri; traditio enim non unius testimonio; sed omnium Patrum consensu moraliter unanimi constat. Ergo non est putandum, alios Patres contra *Augustinum* sentire, ideoque eorum auctoritas contemnenda non est.

Prob. 4a. *pars*, 1.° Scopus aliorum Patrum est attendendus; multi enim contra Manichaeos disputantes, extollere plus aequo videntur liberum arbitrium, quod illi haeretici negabant. *Haec autem quaestio*, *ubi de arbitrii libertate*, *et Dei gratia disputatur*, *ita est ad discernendum difficilis*, *ut quando defenditur liberum arbitrium*, *negari Dei gratia videatur*; *cum autem asseritur Dei gratia*, *liberum arbitrium putetur auferri*; ut inquit idem Augustinus *Lib. IV. cont. Julian. cap.* 8. 2.° Attendendum etiam tempus, quo floruerunt: qui enim ante ortam Pelagianam haeresim scripserunt, minus caute locuti sunt, quod et in aliis dogmatibus ante exortas contrarias haereses accidit; ut notavimus *Lib. II. cap.* 2. Hinc Augustinus *Lib. De prae-*

de-

destinatione sanct. Cap. 14. Quid opus est, inquit, *ut eorum scrutemur opuscula, qui priusquam ista haeresis oriretur, non habuerunt necessitatem, in hac difficili ad solvendum quaestione versari.* Idem dicendum est de iis, qui scripserunt quidem post exortos Pelagianos, sed in locis ab occidente remotioribus, ubi nondum se Pelagiana dogmata penetraverant. 3.° Scribendi occasio; qui enim *Homilias* ad populum scribunt, in eo sunt, ut auditorum socordiam excitent, nec opus habent gratiae necessitatem inculcare; praesertim ubi non timetur contrariae haeresis periculum, ut, accidebat in oriente, ubi Pelagiani vix noti erant. Ergo adhibitis his cautionibus, aliorum Patrum negligenda non est auctoritas.

Corollarium.

Cum ergo *Augustini* doctrina a S. Pontificibus agnita sit, ac laudata, tamquam doctrina Romanae, idest Catholicae Ecclesiae; ne cui mirum sit, si saepenumero in hoc Libro sola *Augustini* auctoritate contenti sumus; non quod alios negligamus Patres, sed quia scimus, eos *Augustino* consentire. Quod si quae loca aliorum Patrum *Augustini* doctrinae in speciem contraria videbuntur; non praetermittemus ea, qua par est reverentia eorum sensum expendere. Jam ut recta via, atque ordine procedamus, primum quidem, quid sit ipsa gratia explicandum est.

C A P. III.

Explicatur Gratiae definitio.

Adv. I. QUamquam Latini Scriptores vario sensu Gratiae nomen usurpaverunt; Patres tamen, atque Theologi ea voce significant donum a Deo gratis datum. *Ei autem, qui operatur, merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum*, ut inquit Apostolus *Rom. IV.* 4. Ideoque ipsa creatio, conservatio, liberum arbitrium, ceteraque naturalia dona *non improbanda ratione gratia dici possunt, quia non praece-*

dentibus aliquorum bonorum operum meritis, sed gratuita Dei bonitate donata sint, ut ait Augustinus *Ep. CLXXVII al. XCV. ad Innoc.* Hoc autem sensu *Pelagius*, gratiae nomen usurpans, Patres Concilii Diospolitanti fefellit, damnationemque evasit, imo damnavit et ipse eos, qui gratiam Dei negarent esse necessariam. Vide *Augustinum* in Libro *De gestis Pelagii.*

II. *At mirum est*, pergit idem Augustinus, *si hoc sensu gratiae nomen in ullis legitimis Propheticis, Evangelicis, Apostolicisque litteris legimus .... Gratia enim, quam doctrina Christiana demonstrat, non est natura* (aut ullum naturale donum) *sed qua salvatur natura* (*cit. loc.*).

III. Gratia ergo, de qua hic agimus, recte definitur: *Donum Dei supernaturale rationali creaturae gratis a Deo concessum in tempore, ad aeternam beatitudinem consequendam.* Quae definitio tum illam complectitur gratiam, quae nostra sententia, non ex meritis Christi, sed bonitate Creatoris data est Angelis, atque homini innocenti; tum istam, quae datur homini in statu naturae lapsae ex meritis Christi, de cujus plenitudine omnes accepimus *Joan. I.* 16.

IV. Dicitur autem Gratia 1.° *Donum Dei*, quibus verbis ponitur *genus*, cujus veluti *species* sunt dona naturalia, et supernaturalia. 2.° *Supernaturale*, hoc est supra debitum, et conditionem totius naturae, non solum quae a Deo creata est, sed etiam quae creari possit: ita ut natura creata, cui gratia naturalis sit proprietas, nulla fingi possit. Hoc autem nomen *supernaturale* loco *differentiae* positum est, ut scilicet excludantur naturalia dona, quae latiori vocabulo gratiam dici posse, paulo ante diximus. 3.° *Creaturae rationali*; quibus verbis ostenditur gratiae *subjectum*, homo scilicet, atque Angelus. 4.° *Gratis concessum*; alioquin *gratia jam non esset gratia*, ut ait Apostolus *Rom. XI.* 6. si scilicet naturalibus creaturae operibus a Deo deberetur. 5.° *In tempore*, ut significetur, gratiam non esse amorem illum aeternum, et increatum, quo nos Deus ab aeterno dilexit, sed amoris illius effectum in tempore productum. 6.° *Ad aeternam beatitudinem consequendam*, quia gratia *semen est gloriae*, ad

quam

quam homines movet, atque disponit, unde dicitur *Joan. IV.* 14. *Fons aquae salientis in vitam aeternam.*

V. Dixi autem, nullam fore gratiam, *si naturalibus operibus* creaturae deberetur. Nam fide constat, justum bonis operibus supernaturalibus ex gratia effectis augmentum gratiae mereri, ut suo loco dicemus. Tanta enim est Dei bonitas, ut velit esse merita nostra, quae sunt dona sua, ut loquitur Tridentinum *Sess. VI. Cap.* 16. ideoque augmentum illud gratiae est simul merces, et gratia; merces quidem, quia meritis redditur; gratia vero, quia gratis data sunt ipsa merita, quibus redditur. Verum hoc quod diximus, gratiam Dei naturalibus operibus neminem posse mereri, paulo uberius explicandum est, ac diligentius.

C A P. IV.

Explicatur uberius quod in capite superiori dictum est, gratiam Dei naturalibus operibus neminem posse mereri.

Adv. I. CHristum hominibus gratiam, et quae inde consequitur, gloriam meruisse, satis diximus Libro superiore. Sed meritum illud non in hominibus est, sed extra ipsos; sive est, ut ajunt, *extrinsecum.* Quaeritur ergo hic, utrum in eo, qui gratiam accipit, aliquod ex naturalibus operibus meritum esse possit, seu ratio, quae Deum ad gratiam ipsi tribuendam moveat.

II. Meritum autem duplex est, ut suo loco dicemus, alterum de *condigno*, alterum de *congruo*: Prius mercedem postulat ex strictioris justitiae legibus, posterius vero ex quadam honestate, et convenientia.

III. Sed dispositio ad beneficium aliquod accipiendum, latiori significatione meritum dici potest. Est autem dispositio duplex: altera *positiva*, qua per opera quaedam inferioris ordinis ad beneficium accipiendum praeparatur aliquis, altera *negativa*, quae efficit dumtaxat, ut minora sint beneficio obtinendo impedimenta.

IV, *Pelagius*, ut supra demonstravimus, eam gratiam, quam agnovit, secundum merita nostra dari docuit,

cuit, hoc est secundum merita naturalibus liberi arbitrii viribus comparata. Accusatus tamen in Concilio Diospolitano; damnavit eos, qui hoc assererent; nomine scilicet gratiae intelligens naturam, quam sine ullo merito in creatione accepimus. *Semipelagiani* vero asserebant, ex nobis esse initium fidei, et bonae voluntatis: ex hoc autem initio mereri nos gratiam, et justificationem, ut constat tum ex Epistolis *Prosperi*, *et Hilarii* ad *Augustinum*, tum ex *Augustini libris De praedestinatione Sanctorum*, et *De dono perseverantiae*, tum denique ex *Prosperi* Libro *Contra Collatorem*, sive *Cassianum Collationum* Auctorem. Fatebantur tamen, aliquando, extra consuetum ordinem gratiam ipsum fidei initium praevenire, ut in conversione Pauli.

V. *Ludovici Molinae* sectatores pactum quoddam commenti sunt inter Patrem, et Filium ejus Jesum Christum, ut quicumque faceret quod in se est naturae viribus, ei Deus gratiam largiretur. Quod pactum Scripturae, et Patribus ignotum, renovare errorem Semipelagianorum, Clerus Gallicanus in Comitiis anni MDCC. declaravit, idque fassi sunt nonnulli ex *Societate Jesu* Theologi, ut *Vasquez*, *Ripalda* etc.

VI. Nonnulli veteres Scholastici, ut Scotus, et Gabriel *in II. Diss. XXVI.* Durandus *in IV. Dist. XV. q.* 4. aliique, quibus suffragatur est Alfonsus de Castro *Lib. II de Lege poenali cap.* 14. opinati sunt, posse hominem ex liberi arbitrii viribus se ad gratiam praeparare, ac *positive* disponere. Alii saltem dispositionem *negativam* agnoscunt.

PRO-

PROPOSITIO.

Nullis operibus ex naturali liberi arbitrii virtute peractis, potest creatura rationalis mereri gratiam sive de condigno; sive de congruo, nec ad eam se positive disponere: negativae autem dispositionis nullam rationem habet Deus in gratiae suae largitione. Est dogma fidei, saltem quoad primam partem.

Prob. 1a.*pars*, quae est de merito. I. ex Scripturis, ex quibus 1.° edocemur, nullum opus bonum ad salutem quoquo modo ducens, sine praeveniente gratia fieri posse. *Joan.XV.* 5. *Sine me nihil potestis facere.* Et *Philipp. II.* 13. *Deus est qui operatur in vobis et velle, et perficere. II. Cor. III.* 5. *Non sumus sufficientes cogitare aliquid a nobis, quasi ex nobis.* Et *I. Cor IV.* 7. *Quis te discernit? Quid autem habes, quod non non accepisti?* 2.° Quibus addi possunt quae infra dicturi sumus, ut ostendamus, gratiam ad singulos actus bonos, et salutares esse necessariam. Si enim gratia est principium, et causa ipsorum operum, absurdum est, per opera ipsa nos gratiam promereri, alioquin effectus causam produceret. Unde effatum illud merito in Scholis inveteravit: *principium meriti non cadit sub meritum.* 3.° Habemus praetera Scripturae loca, quae conceptis verbis omne meritum rejiciunt. *Rom.XI.*35. *Quis prior dedit illi, et retribuetur ei? quoniam ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt omnia.* Et *Rom. XI.* 6. *Si autem gratia, jam non ex operibus.* Et *Ephes.II.* 8. *Gratia estis salvati per fidem. et hoc non ex vobis: Dei enim donum est; non ex operibus, ut ne quis glorietur.* II. Tim. I. 9. *Liberavit, et vocavit nos Deus vocatione sua sancta, non secundum opera nostra, sed secundum propositum suum, et gratiam.* Quibus similia frequentissime occurrunt (*a*). Atqui haec omnino meritum omne destruunt. Ergo.

Prob.

(*a*) *Rom. III. Rom. IV. Rom. XI. Tit. III. Ezech. XXXVI. Is. LXV. etc.*

Prob. II. ex Conciliorum definitionibus. 1.° In Concilio Diospolitano ipse *Pelagius* ore suo damnavit eam doctrinam, quae *Caelestii* nomine damnata erat in Concilio Carthaginensi; *Gratiam Dei secundum merita nostra dari.* 2.° Aurisicanum *Cap. VI. Si quis sine Dei gratia, credentibus, volentibus, conantibus, laborantibus, vigilantibus, studentibus, petentibus, quaerentibus, pulsantibus nobis, misericordiam dicit conferri divinitus.. resistit Apostolo dicenti; quid habes, quod non accepisti?* Idem habet *Can. IV. V. et VIII.* 3.° Idipsum definitum est in pluribus Conciliis Africanis contra *Pelagium*, quae recenset Norisius *Hist. Pelag.* et collecta habentur *in Append. Tom. X. opp. August. Ed. BB.* 4.° Denique Concilium Tridentinum *Sess. VI. Cap.* 5. *et can.* 3. idem etiam postremo definivit. Ergo.

Prob. III. *ex PP.* 1.° De *Augustino* nulla potest esse dubitatio, utpote qui totis viribus contrarium Pelagianorum errorem oppugnavit; itaut ipsi canones Arausicani sententiae sint ex ejus Libris excerptae, ut supra diximus. *Gratia Dei non invenit merita, sed efficit*, inquit *Tract. XXXXVI. in Joan.* et *Lib. de peccato orig. cap.* 24. *Spiritus ubi vult spirat, nec merita sequens, sed etiam ipsa merita faciens* (a). 2.° Hieronymus *in Epist. ad Philemon. Gratia est, qua nullo merito, nec opere salvamur.* 3.° Leo M. *Serm. I. De Jejun. Dec. mens. Caussa reparationis nostrae non est, nisi misericordia Dei.* Idem communi consensione alii docent (*b*). Ergo etc.

Prob. 2a. *pars.* I. ex Script. *Ezech. XXXVI.* 22. *Non propter vos ego faciam, sed propter nomen meum, quod polluistis in gentibus.* Et *Rom. IX.* 16. *Non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei.* Atqui haec senten-

(a) V. etiam *Lib. II cont. duas Epist Pelag. cap* 8. *Lib. de grat. et lib. arb. cap* 24 *Lib. de Praedest. Sanct. in princ. lib. I. ad Simplic. etc.*

(a) Prosper *Cont. Collatorem cap.* 5. *et* 16. *et in Carm. de Ingratis* Fulgentius *lib. de Incarn. Ch. cap.* 8. *et Ep. VI. cap.* 7. Gregorius M. *Hom. XIX. in Ezech. et Hom. XXVII. in Evang.*

tentiae, aliaeque his similes non constarent, si homo suis ipse viribus se ad gratiam disponeret. Ergo.

Prob. II. *ex PP.* 1.° Prosper *Resp. VIII. ad Cap. Gal. Sine gratia*, inquit, *nemo currit ad gratiam.* Et *Lib. II. De vocat. gent. cap.* 26. *ipsa gratia in eo, quem vocat, primam sibi receptricem, et famulam donorum suorum praeparat voluntatem.* Et in *Carm. de Ingrat. cap.* 25.

> *Haec ut cujusquam studio, affectuque petatur,*
> *Ipsa agit, et cunctis dux est venientibus ad se:*
> *Perque ipsam nisi curratur, non itur ad ipsam.*

2.° Concilium Arausicanum II. *Can VI.* supra laudato omnem omnino dispositionem gratiae rejicit, cum ait, eam non conferri *petentibus, pulsantibus, quaerentibus, etc.* 3.° S. Thomas 1a. 2ae. *Q. CIX. art.* 6. fuse probat, *quod homo non potest se praeparare ad lumen gratiae suscipiendum, nisi per auxilium gratuitum Dei interius moventis*, quod et alibi saepe repetit (a). Imo *Quodlib.* I. *art.* 7. contrariam sententiam pertinere docet ad haeresim Pelagianorum. Ergo eorum sententia, qui asserunt, posse hominem naturae viribus se praeparare ad gratiam, ex *S. Thomae* judicio vel ipsum est dogma Pelagianorum, et Semipelagianorum, vel proxime ad illud accedit.

Prob. 3a. *pars.* innumeris scripturarum exemplis. 1.° Tyriis, et Sydoniis negatum est gratiae auxilium, quamvis non essent, ut observat Augustinus *Lib. de dono persev. cap.* 14. adeo excaecati, et obdurati, ut cives *Corozain*, et *Bethsaida*, quibus ipse Christus exprobrat *Matth.* 21. *Vae tibi Corozain, vae tibi Bethsaida, quia si in Tyro, et Sidone factae essent virtutes, quae factae sunt in vobis; olim in cilicio, et cinere poenitentiam egissent.* 2.° Magdalenae, Latroni in Cruce pendenti, Paulo Ecclesiae persecutori tribuit

(a) 1a. 2ae. *Q. CXII. art.* 2. *I. P. Q. XXIII. art.* 5. *Lib. III. cont. Gent. cap.* 149. *De verit. Q. XXIV. art. ult. etc.*

Deus gratiam, quam multis, qui longe minus peccaverant, denegavit. Hinc Augustinus *Lib. I. de peccat. merit. cap.* 22. *Unde fit*, inquit, *ut homo ab ineunte pueritia modestior, ingeniosior, temperatior, ex magna parte libidinum victor, qui oderit avaritiam, luxuriam detestetur, atque ad virtutes ceteras provectior, aptiorque consurgat, et tamen eo loco sit, quo ei praedicari gratia Christiana non possit? Alius autem tardus ingenio, libidinibus deditus, flagitiis, et facinoribus coopertus, ita gubernetur, ut audiat, credat, baptizetur, rapiatur, aut si detentus hic fuerit, laudabiliter hic vivat? . . . . . Quid hic respondeant, omnino non video, qui volentes humanis conjecturis justitiam Dei defendere, et ignorantes altitudinem gratiae, fabulas improbabiles texuerunt.* Ergo.

Prob. Denique ratione propositio quoad omnes partes. Inter meritum, et praemium aliqua debet esse, sive ex ipsa rei natura, sive ex Dei institutione, ac promissione, proportio. Atqui opera naturae viribus facta nullam omnino proportionem habent cum gratia, quae homines efficit divinae consortes naturae, neque ex natura ipsorum operum, cum sint inferioris ordinis, neque ex Dei institutione, cum nunquam Deus gratiam operibus naturalibus promiserit, imo clare revelaverit non fore gratiam, si daretur operibus. Ergo etc. Vide S. Thomam 1a. 2ae. *Q. CIX. art.* 9. Vide etiam haec fusius apud Estium *in II. Dist. XXVI.*

Solvuntur Objecta.

Objic. I. Loca Scripturarum, quae videntur totum Deo tribuere, quidquid fit a nobis boni, non probant, nullum nobis inesse meritum gratiae accipiendae. Respondebant enim Pelagiani *ap. Augustinum Lib. II. De peccator. merit. Cap.* 18. *Ideo quidquid bonae voluntatis habet homo, Deo tribuendum est, quia et hoc in illo esse non posset, si homo ipse non esset: Cum vero ut sit aliquid, atque ut homo sit, non habeat, nisi a Deo, ipsum meritum Deo auctori tribuendum est.* Ergo loca illa Scripturarum nullius sunt ad propositam quaestionem momenti.

R.

℟. *Neg. ant.* Nam, ut respondet Augustinus; *hoc modo etiam illud dici potest, malam voluntatem Deo auctori tribuendam, quia nec ipsa esse posset in homine nisi homo esset, in quo esset*: quod nefas est dicere.

Inst. Initium fidei, et pium salutis desiderium opus est imperfectum. Non ergo adversatur sententiae Apostoli: *Quid habes quod non accepisti?* si dicatur esse naturale quoddam donum ex quo ad accipiendam gratiam reddamur idonei.

℟. *Neg. cons.* Utcumque enim naturale opus ponatur imperfectum, si tamen reddit hominem ad gratiam accipiendam idoneum, habebit ille aliquid, quo se discernat ab alio: nec a Deo acceperit. Hinc Augustinus *Lib. de Praed. Sanct. Cap. 5. Prius dixit: Quis te discernit? et deinde, quid habes quod non accepisti? Posset quippe dicere homo inflatus adversus alterum: discernit me fides mea, justitia mea, et si quid aliud. Talibus occurrens cogitationibus bonus doctor; quid autem habes, inquit, quod non accepisti? a quo nisi ab illo, qui te discernit ab alio, cui non donavit, quod donavit tibi? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?*

Objic. II. *Zach. I.* 3. Ait Dominus: *Convertimini ad me . . . et convertar ad vos.* Quibus similia occurrunt in Scripturis non pauca, ut *Malach. II.* 7. *Revertimini ad me, et revertar ad vos.* II. Paralip. XV. 2. *Dominus vobiscum, quia fuistis cum eo.* Rom. X. 9. *Si credideris salvus eris etc.* Horum unum a nobis exigitur, nempe ut convertamur ad Deum, alterum nobis offertur, nempe ut Deus ipse per gratiam convertatur ad nos. Ergo non adversatur Scripturis, gratiam Dei secundum merita nostra dari. Hoc erat tritum Pelagianorum argumentum *ap. August. Lib. de Grat. et Lib. arb. cap. 5. et al.*

℟. *Dist. ant.* Unum exigitur a nobis, hoc est a libero arbitrio gratia Dei adjuto, *conc.* Sine gratia Dei, *neg.* Ut enim Scriptura nos doceat, ita voluntates nostras gratia Dei praeveniri, ut liberum non destruatur arbitrium; aliquando gratiae, aliquando nobis, aliquando utrisque nostram tribuit conversionem. *Cum ergo,* inquit Tridentinum *sess. VI. Cap. 5. in Sacris litteris*

 di-

dicitur, *convertimini ad me*, *libertatis nostrae admonemur* : *cum respondemus*: *Converte nos*, *Domine*, *ad te*, *et convertemur* (*Thren. V.* 11.) *Dei nos gratia praeveniri confitemur*. Quae quidem responsio ex *Augustino* depromta *loc. cit. et Lib. II. cônt. duas Epist. Pelag. cap.* 8. objectionem plane solvit. Sed addendum etiam est, promissionem illam, qua dicitur, *et ego convertar ad vos*, ad litteram bona temporalia spectare, quae Deus in Veteri testamento promittebat, ut advertit Estius *in II. Dist. XXVI.* §. 36. ex illis verbis *Is. I.* 19. *Si volueritis*, *et audieritis me*, *bona terrae comedetis*.

Inst. Prov. XVI. 1. dicitur. *Hominis est animam praeparare*, *et Domini gubernare linguam*. Atqui ea antithesis non constaret, si homo animam sine Dei gratia praeparare non posset. Nam etiam linguam ita regit Deus, ut hominis non excludat arbitrium, cui dicitur *Ps*. XXXIII. *Prohibe linguam tuam a malo*. Ergo.

℟. *Neg. min.* In eo enim constát antithesis, quod voluntatem suam homo praeparat, gratia Dei adjutus; Sed eventus verborum ejus, atque operum a solo Deo pendet; sicut et in eodem *Cap.* dicitur : *Cor hominis disponit viam suam*, *sed Domini est dirigère gressus ejus* : Unte ait Poeta : *Careat successibus*, *opto*, *Quisquis ab eventu facta notanda putet*. Gubernare ergo linguam eo loci, est *tribuere sermonem compositum in ore* hominis (a), ut effectu non careat.

Objic. III. *Matth. X.* 11. mittens Christus Apostolos ad praedicandum, ait : *In quamcumque civitatem intraveritis*, *interrogate*, *quis in ea dignus sit*, *et ibi manete*, *donec exeatis*. Ergo gratia aliquos ea dignos requirit.

℟. *Neg. côns.* 1.° quia ibi agitur de dignitate famae, non morum ; nec jubet Christus, Evangelium praedicari dignis, sed Apostolos hospitium eligere apud dignos, sive honoratos, et bonae famae viros, ne ipsum Evangelium male audiret, si apud infames homines diversa-

ti-

(a) *Esther. XIV.* 13.

ti essent. 2.° quia Apostoli tunc ad solas Judaeorum civitates missi sunt, imo additum est: *in viam gentium ne abieritis, et in Civitates Samaritanorum ne intraveritis.* Quis autem neget, inter Judaeos, qui jam fide informati erant, fuisse homines etiam moribus dignos?

Objic. IV. *Matth. XXV.* 15. Christus Deum comparat Patrifamilias, qui tradidit servis bona sua, *et uni dedit quinque talenta, alii duo, alii vero unum, unicuique secundum propriam virtutem.* Ergo secundum naturalem hominis virtutem, atque merita, gratia Dei tribuitur.

℟. *Neg. cons.* Vel enim ibi talenti nomine gratia *gratis data* significatur, quae aliquando secundum vires naturales tribuitur, licet id non semper accidat; vel si sermo est de gratia *gratum faciente*, propria virtus non est, quam natura dedit, sed quam ipsa gratia efficit. Adde, non omnia, quae in parabolis dicta sunt, ad narrationis ornatum, urgenda esse, atque trahenda ad res per parabolam significatas.

Objic. V. Ait Joannes *Cap. I.* 12. *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri.* Atqui haec potestas ipsa gratia est. Ergo gratia datur iis, qui Christum recipiunt, seu fidem in Christum, propria virtute concipiunt.

℟. *Neg. cons.* quae ex *praemissis* non sequitur, cum non dicatur in Evangelio: *quotquot receperunt eum propria virtute.* Hinc Augustinus *Lib. I. cont. duas ep. Pelag. cap.* 3 *Ne forte ergo*, inquit, *hanc Evangelicam sententiam sic dividant, ut meritum ponant in eo, quod dictum est: quotquot autem receperunt eum, ac deinceps non gratis datum, sed huic merito redditam gratiam in eo quod sequitur: dedit eis potestatem filios Dei fieri: numquid si quaeratur ab eis, quid sit receperunt eum, dicturi sunt aliud, nisi crederant in eum? Ut igitur et hoc sciant ad gratiam pertinere, legant quod ait Apostolus Philip. I.* 29. . *s* . . *Vobis donatum est pro Christo non solum ut credatis in eum, sed etiam ut patiamini pro eo. Nempe utrumque dixit esse donatum* . . . . , . *Datur ergo potestas ut filii Dei fiant, qui credunt in eum, cum hoc ipsum datur, ut credant in eum.*

Objic.

Objic. VI. Apostolus *Rom. VII.* 18. *Velle*, inquit, *adjacet mihi: perficere autem bonum, non invenio.* Ergo nostrum est velle; Dei vero adjuvare per gratiam, atque perficere.

℟. *Neg. cons.* Ait enim idem Apostolus *Philip. II.* 13. *Deus est qui operatur in vobis et velle, et perficere.* Quod autem ait laudato in objectione loco significat, velle quidem se bonum omni ex parte perfectum sine ulla carnis contraria concupiscentia, atque pugna; sed eam pefectionem velle poterat ex gratia Dei, at invenire non poterat, cum illam Deus beatis reservet in patria. Unde subjungit: *video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meae, et captivantem me in lege peccati... Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?* Vide Prosperum *Cont. Collator. cap.* 4.

Objic. VII. Exempla quaedam in Scripturis habemus eorum, qui bona sua voluntate gratiam meruerunt, ut Latronis *Luc. XXIII.* 43. qui a Christo audire meruit: *Hodie mecum eris in Paradiso*; Cornelii, cujus eleemosynae, et orationes meruerunt, ut a Deo vocaretur ad fidem *act. X.* Zachaei, qui ex desiderio videndi Christum, eum hospitio recepit, et gratia donatus est *Luc. XIX.* Ergo.

℟. *Neg. ant.* Ait enim Concilium Arausicanum II. *can. XXV. Hoc et salubriter profitemur, et credimus, quod in omni opere bono non nos incipimus, et postea per Dei misericordiam adjuvamur, sed ipse nobis nullis praecedentibus bonis meritis et fidem, et amorem sui ipsius inspirat, ut et Baptismi Sacramentum fideliter requiramus, et post Baptismum cum ipsius adjutorio, quae sibi sunt placita, implere possimus. Unde manifestissime credendum est, quod et illius Latronis, quem Dominus ad Paradisi patriam revocavit, et Cornelii Centurionis, ad quem Angelus Domini missus est, et Zachaei, qui ipsum Dominum suscipere meruit, illa tam admirabilis fides non fuit de natura, sed divinae largitatis donum.* Vide eundem Prosperum *Cont. Collat. cap.* 13. *et seq.*

Inst. Prima gratia est fides; *quomodo* (enim) *invocabunt, in quem non crediderunt?* inquit Apostolus *Rom. X.*

X. 14. unde a Tridentino dicitur *nostrae salutis initium.* Atqui homines illi nondum fidem habebant, cum gratiam fidei meruerunt, ut patet in *Cornelio*, cujus orationes, et eleemosynae meruerunt, ut mitteretur ad eum Angelus, et postea Petrus, qui eum fide imbueret. Ergo.

℟. *Dist. maj.* Fides perfecta, *neg.* Imperfecta, sive qualiscumque supernaturalis Dei notitia, *conc.* Similiter *dist. min.* Nondum habebant fidem perfectam *conc.* Imperfectam, *neg.* Manifestum est enim, Latronem, et Zachaeum, qui Judaei erant, fidem habuisse explicitam quidem ipsius Dei, implicitam vero Mediatoris. Idem de *Cornelio* dicas, qui ex longa cum Judaeis consuetudine Judaicam Religionem jam audire, ac discere potuerat. Unde Augustinus de illo ait *Lib. de Praedest. Sanct. cap.* 7. *Non tamen sine aliqua fide donabat, et orabat.*

Objic. VIII. *Lex paedagogus noster fuit in Christo,* ut ait Apostolus *Galat. II.* 24. Munus autem paedagogi est puerum adducere ad Magistrum; unde ait Augustinus *De perf. just. cap.* 6. Legem ad hoc datam, ut homo infirmitatem suam cognoscens, confugiat ad medicinam gratiae Christi. Ergo potest homo per legem disponi, atque adduci ad gratiam.

℟. *Dist. maj.* Lex paedagogus fuit, ostendens tantummodo justitiam, et Christum, *conc.* Tribuens voluntati vires, qua ad Justitiam, et ad Christum eatur, *neg.* Et distincta eodem modo *minori* propositione, *neg. cons. Nemo potest venire ad me,* ait ipse Christus, *Joan. VI.* 44. *nisi Pater, qui misit me, traxerit eum,* Imo lex sine gratia *iram operatur*, et vitio hominum majoris peccati occasio est, ut saepe docet Apostolus *Rom. VII. II. Cor. III.* etc.

Objic. IX. *Chrysostomus* saepe docet, nostrum esse incipere, et ad gratiam praeparari; Dei vero, per gratiam nos adjuvare. Sic *Hom. XVII. in Joan. Hinc admonemur,* inquit, *Deum suis in nos beneficiis nostras non praevenire voluntates, sed a nobis incipiendum esse.* Item *Hom. XLV. in Gen.* ait; Abraham sua prius opera effecisse, quam a Deo tam magna gratiae beneficia reciperet. Et *Hom. XII. in Ep. ad Heb. Oportet, nos eligere primum*

mum quae bona sunt, et tunc ipse, quae sua sunt, introducit. Similia habet aliis in locis *Hom. XLII. ad Pop. Antioch. Hom. XXVI. in Gen. et al.* Unde Vasquez *Disp. LXXXIX. cap.* 4. fatetur, *Chrysostomum* Semipelagianorum doctrinam tenuisse. Praeterea Irenaeus *Lib. IV. cap.* 72. ait, *Prophetas hortari homines ad justitiam, quia hoc in nobis est.* Et Origenes *Hom. XXIV. in Num. Si offeramus Deo Justitiam nostram, accipiemus ab ipso Justitiam Dei.* Ergo etc.

R. *Neg. cons.* Nam 1.° *Chrysostomus*, ait, nostrum esse incipere, non tamen sine gratiae Dei adjutorio; quod quidem non ita praevenit voluntatem, ut liberum tollat arbitrium. Patet haec *Chrysostomi* doctrina ex *Hom. IV. in Cap. II. ad Ephes.* ubi ait: *Ne beneficiorum magnitudo extollat te, vide quomodo te reprimit: Gratia, inquit, per fidem. Deinde ne rursus liberum arbitrium perimeretur, nostra etiam adhibuit, atque iterum illud idem sustulit; dicens; et hoc non ex nobis. Num enim fides, inquit, ex vobis . . . . Illud ipsum donum Dei est, ne quis glorietur, ut nos erga gratiam gratos . . . reddat.* Idem *Hom. de Adam, et Heva: Omnium, inquit, bonorum effectuum, atque operum, quibus ab initio fidei ad Deum tenditur, Deum profiteamur auctorem, et non dubitemus, ab illius gratia omnia homini merita provenire, per quam etiam fit, ut aliquid boni et velle incipiamus, et facere.* Similia habet aliis in locis *Hom. XIX. in Ep. ad Rom. Hom. XII. in I. ad Cor. IV. et al.* Vide. *Natalem Alex. Saec. IV. cap.* 6. Isaacum Habert *Lib. I. cap.* 8. §. 3. *et cap.* 24. §. 5. et alios, qui S. Doctorem egregie vindicant a Semipelagianismi calumnia, quam nimis audacter, ne dicam stulte, ei impingit *Vasquesius.* Quod si quando liberum arbitrium videtur extollere, nec facere gratiae mentionem, id accidit, quia nondum exorta Pelagianorum haeresi, cohortans populum ad virtutem sectandam, et Manichaeos refellens, qui liberum arbitrium negabant, securius loquebatur.

Idem respondeas ad auctoritatem *Irenaei*, qui licet disputaret et ipse contra haereticos liberum arbitrium negantes, non tamen praetermisit *Lib. III. cap.* 19. monere, quod *sicut terra arida: si non percipiat humorem,*

rem; non fructificat; sic et nos . . . . numquam fructificaremus ad vitam sine superna voluntaria pluvia. De *Origene* vero sollicili non sumus, cum ejus opera saltem qualia evulgata sunt (quae tamen ab haereticis corrupta saepe questus est *Origenes*) Pelagianis praeluserint. Unde Hieronymus *Epist. ad Ctesiph.* sic Pelagium alloquitur: *Doctrina tua Origenis ramusculus est.*

Objic. X. Augustinus *Opusc. cont. Porphyr. de tempore Relig. Christ. Salus,* inquit, *hujus religionis, per quam solam veram salus vera, veraciterque promittitur, nulli umquam defuit, qui dignus fuit, et cui defuit, dignus non fuit.* Item Ambrosius *Lib. II. in Luc. IV. Non enim dormientibus divina beneficia, sed observantibus deferuntur.* Et *Lib. V. Hexam. cap.* 24. de Petro ait: *Idem tamen post galli cantum fit fortior, et jam dignus, quem Christus aspiciat, quia oculi Domini super justos.* Ergo.

℞. *Neg. cons. Augustinus* enim ipse se explicat *Lib. II. Retract. cap.* 13. *Hoc non ita dixi, tamquam ex meritis suis quisquam dignus fuerit, sed quemadmodum ait Apostolus: Non ex operibus, sed ex vocante. Rom. IX.* Idem de *Ambrosio* dicas, nisi hunc absurdissimum ei velis affigere errorem, scilicet Petrum naturae viribus fuisse justificatum, ideoque dignum, quem Christus aspiceret, quo nihil est magis contrarium doctrinae *Ambrosii*, ut saepe ex ipsis *Ambrosii* verbis ostendit *Augustinus.*

Ist. Idem Augustinus *Lib. XIX. de Civ. cap.* 13. ait, Deum dedisse hominibus temporalia bona, *eo pacto aequissimo, ut qui mortalibus talibus bonis, paci mortalium accommodatis, recte usus fuerit, accipiat ampliora, atque meliora, et ipsam immortalitatis pacem, eique convenientem gloriam, et honorem.* Ita hunc locum legebat *Gregorius de Valentia* Molinianus in *Congregationibus de Auxiliis*, si vera scribit Serry *Hist. Congr. de Auxil.* Ergo ex pacto inter Patrem, et Christum, qui per liberum arbitrium bene usus fuerit bonis temporalibus accipiet ampliora, idest gratiam in hac vita, et gloriam in futura.

℞. *Neg. ant.* Turpi enim mendacio depravatum esse Au-

Augustini textum, ostendit *Thomas. de Lemos*; et pro iis verbis *et ipsam immortalitatis pacem* legendum, ut omnes Codices habent, *ipsam scilicet immortalitatis pacem*, quae lectio sensum exhibet catholicum, hoc est: qui bene usus fuerit bonis temporalibus ex gratia Dei, accipiet aeterna; cum contra adversariorum lectio contineat ipsum Pelagianorum dogma, scilicet gratiam Dei, secundum merita nostra dari, quod tanto molimine confutavit *Augustinus*. Pactum vero illud Scripturae, Patribus, omnibusque Theologis ante *Molinam* ignotum, renovare Semipelagianorum errorem; Clerus Gallicanus aliique Theologi docuerunt, ut supra monuimus.

Objic. XI. Pervulgatum est apud veteres Scholasticorum principes, ipsumque *S. Thomam* illud effatum: *Facienti quod in se est Deus largitur gratiam*. Ait enim Angelicus Doctor *Q. XXIV. de verit. art. I. ad* 2. *Quamvis gratiam, quae opera meritoria facit, non possit homo ex libero arbitrio acquirere; potest tamen se ad gratiam habendam praeparare, si fecerit quod in se est.* Idem alibi docet *Q. XIV. de verit. art.* 1.° *et* 11. *et in III. Dist. XXV. q.* 2. *art.* 1. Imo axioma illud a Patribus derivatum esse, docet *Isaacus Habert.* Ergo.

℟. Cum eodem S. Thoma 12. 2ae. *Q. CIX. art.* 6. *ad* 2. *et Q. CXII. art.* 3. et Bonaventura *in II. Dist. XXVIII. art.* 2. *q.* 1. *Dist.* ant. *Facienti quod in se est* viribus naturae, *neg.* Ex adjutorio gratiae, **conc.** Unde ait idem S. Thomas *loc. cit. q. CIX. Cum dicitur homo facere quod in se est, dicitur hoc esse in potestate hominis, in quantum est motus.* Et *Lect. III. in cap.* 1.° *Epist. ad Romanos*: *Hoc ipsum, quod aliqui faciunt quod in se est, convertendo se scilicet ad Deum, ex Deo est movente corda ipsorum, secundum illud Thren. V. converte nos, Domine, ad te, et convertemur.* Unde *S. Thomas in Summa*, et aliis etiam operibus ante *Summam* scriptis, clarius explicavit quod alibi obscurius scripserat; nec opus est, ut dicamus, eum retractasse quod junior scripserat, cum nusquam dixerit, hominem facere quod in se est sine gratiae adjutorio. Facienti ergo quod in se est ex gratiae praevenientis

nientis adjutorio, Deus non denegat uberiorem gratiam fidei perfectae, justificationis, et gloriae (*a*).

Inst. 1°. Saltem bona opera viribus naturae peracta efficiunt, ut homo minora habeat peccata, quae gratiam impediunt, ac proinde dispositio *negativa* sunt, cujus Deus rationem habet in distributione gratiae. Ait enim Apostolus *I. Tim. I.* 13. *Misericordiam consecutus sum, quia ignorans feci in incredulitate.* Ergo saltem negativa dispositio ad gratiam rejici non debet.

℟. *Neg. ant.* 1.° Quia peccata non impediunt gratiae effectum, quae ideo datur, *ut auferat cor lapideum, et det cor carneum*; unde scimus, aliquando scelestissimos homines vocatos, justificatos, ac salvos factos esse, cum minus iniqui relicti sint. 2.° Quia minora peccata faciunt quidem, ut homo sit minus gratia indignus, ut erat Apostolus Paulus, qui ex ignorantia peccaverat, sed non efficiunt, ut dignus sit.

Inst. 2.° Si Deus in gratia tribuenda nullius nec meriti, nec dispositionis rationem haberet, jam nulla esset ratio, cur uni eam tribueret, alteri denegaret. Sed hoc videtur absurdum, tum quia nihil Deus sine summa ratione facit, tum quia alioquin *acceptor personarum* esset, cum contra saepe Scripturae declarent: *Non est acceptio personarum apud Deum: Rom. II.* 12. *et al.* Ergo etc.

℟. *Neg. maj. quoad* 2m. partem, nempe quod Deus sine ratione alicui gratiam denegaret, ratio enim est peccatum sive originale, sive actuale, sive utrumque; propter quod si Deus omnes damnare voluisset, nemo juste quereretur, ut saepe observat *Augustinus. Distingue vero maj. quoad* 1m. *partem.* Nulla esset ratio in ipso homine, cur Deus uni gratiam largiretur, *conc.* Nulla esset ratio in Deo, qui omnia secundum altissimas sapientiae, misericordiae, et justitiae suae rationes, saepe nobis ignotas, operatur, *neg.* Sed redibit haec quaestio ubi de praedestinatione disseremus.

Co-

(a) Vide Sylvium *in* 1. 2. *Q. CIX. art.* 6. *Quaest.* 1. *et* 2. ubi fusius hoc Scholasticorum effatum explicat.

Corollarium.

Quoniam gratiam Dei non secundum merita dari, dogma fidei est; ea autem, quae facit Deus in tempore, praedestinavit, sive decrevit ab aeterno, consequens est, ut etiam ad dogma fidei pertineat, praedestinationem ad gratiam non esse ex praevisis hominum meritis. Sed de hoc satis, ut arbitror disputavimus. Nunc quotuplex gratia ipsa sit, explicandum est.

C A P. V.

De multiplici gratiae divisione.

Adv. I. MUltiplex est apud Theologos divisio Gratiae. Prima est in Gratiam *Creatoris*, et Gratiam *Salvatoris*. Illa quidem est, quae Angelis, et primo homini non ex meritis Christi, sed beneficio Conditoris tributa est: ista vero, quae ex meritis Christi homini lapso conceditur.

II. Gratia autem Salvatoris dividitur 1.° in *externam*, atque *internam*. Externa est, quae hominem exterius afficit, ut praedicatio, miracula, exempla, Sacramentorum institutio; interna vero, quae ipsam hominis animam interius tangit. Nos de externa gratia non agimus, sed de interna.

III. Iterum Gratia interna dividitur in *gratis datam*, et *gratum facientem*. Gratia gratis data est, quae primo, ac *per se* datur ad salutem aliorum, ideoque potest aliquando etiam esse in peccatoribus, ut constat ex Scripturis *Matth. VII.* licet ut plurimum viris sanctitate conspicuis divinitus conferatur, ut virtus patrandi miracula. Gratia vero gratum faciens est, quae primo, ac per se ad ipsius accipientis salutem tribuitur. Quamvis autem omnis gratia gratis detur, tamen cum nobilior gratiae species sit gratia gratum faciens, quippe quae propius finem attingit ultimum, tenditque ad hominem Deo conjungendum, speciale nomen sortita est, relictum vero nomen generis speciei ignobiliori, seu gratiae illi, quae ad aliorum salutem datur. Quod et in

in aliis etiam rebus ob nominum egestatem factum esse scimus. Sic quamvis homo, et bruta animantia sub animalium genere contineantur; tamen homini, qui *species* animalis nobilior est, peculiare datum est nomen, brutis vero nomen generis, sive animalis relictum est.

IV. Rursus gratia gratum faciens in *habitualem*, et *actualem* dividitur. Habitualis est, quae tamquam habitus (*a*) animae inhaeret, eamque reddit Deo gratam: quaeque iterum dividitur in gratiam sanctificantem, virtutes infusas, et dona Spiritus Sancti. *Actualis* vero est, quae in anima obiter, sive *transeunter* operatur, seu actualis illustratio mentis, et motio voluntatis.

V. Gratia autem actualis dividitur 1.° in *operantem*, *cooperantem*, et *subsequentem*. Operans gratia dicitur etiam *praeveniens* et *excitans*; cooperans vero etiam *adjuvans*, et *concomitans* appellatur. De gratia praeveniente legitur *Psalm LVIII. Misericordia ejus praeveniet me*; de adjuvante *Psalm, KCIII Misericordia tua Domine adjuvabat me*: de subsequente *Psalm. XXII. Misericordia tua subsequetur me*. Quid autem sit gratia operans, cooperans, et subsequens, quidque sit inter eas discriminis, Theologi disputant. Nam nonnulli cum *Ludovico Habert*, et *Tournely* gratiam operantem ajunt esse *indeliberatum* quendam a Deo immissum voluntatis motum, cooperantem vero, quae deliberatum voluntatis consensum efficit: denique subsequentem, quae voluntatem roborat, ut quod proposuerat, opere perficiat. At Bellarminus *Lib. I. De grat. et lib. arb. cap.* 14. aliique docent, gratiam tum operantem, tum cooperantem, et subsequentem afficere deliberatum voluntatis motum, atque consensum, in eoque differre, quod operans gratia praevenit quemcumque bonum voluntatis motum, atque ex nolente volentem facit; cooperans vero, et subsequens est omnis gratia, quae primum illum deliberatum voluntatis motum, jam a praeveniente gra-

(a) Scholast. *Permanenter.*

gratia effectum subsequitur, ut roborata voluntas tantum velit, quantum necesse est ad Dei praecepta servanda; ne forte, ut saepe accidit, voluntas in bonis tantummodo desideriis haereat. Haec quidem posterior sententia *Augustini*, et *Thomae* principiis consentanea est; Nos tamen nolumus de nomine movere quaestionem.

VI. Porro gratia sive operans ea sit, sive cooperans, sive subsequens, dividitur 2.° in *efficacem*, et *sufficientem*. De gratia efficaci habetur *Ezech. XXXVI.* 26. *Auferam cor lapideum de carne vestra, et dabo vobis cor carneum, et spiritum meum ponam in medio vestri, et faciam ut in praeceptis meis ambuletis.* De sufficienti vero *Prov. I.* 24. *Vocavi, et renuistis*: et *Actor. VII.* 15. *Dura cervice, et incircumcisis cordibus, et auribus, vos semper Spiritui Sancto resistitis.* His igitur positis gratiae divisionibus, quae apud omnes Teologos receptae sunt, primo pauca hic de gratia gratis data explicabimus, mox de gratia gratum faciente tum actuali efficaci, et sufficiente, tum habituali, ac de praedestinatione toto Libro disseremus.

VII. Quaeri autem solet inter Theologos 1o. quot sint gratiae gratis datae. 2.° utrum per modum habitus permanentis a Deo tribuantur.

PROPOSITIO I.

Recte ab *Apostolo* I. Cor. XII. 8. et seq. *novem numerantur gratiae gratis datae his verbis.* Alii quidem per spiritum datur sermo sapientiae: alii autem sermo scientiae .... alteri fides ...... alii gratia sanitatum .... alii operatio virtutum, alii prophetia; alii discretio spirituum, alii genera linguarum; alii interpretatio sermonum.

Prob. contra Bellarminum *Lib. IV. de grat. et lib. arb. cap.* 10. qui hanc enumerationem *adaequatam* esse negat. Gratia gratis data est, quae primo ad salutem aliorum tribuitur. Homo autem, ut argumentatur *S.* Thomas 1.a 2.ae *Q. CXI. art* 4. non potest alteri salutem adferre, nisi eum docendo, aut persuadendo exterius. Atqui ad hoc tria necessaria sunt. 1.° ut Doctor

ctor ipse perfecte noverit, quae docturus est alios. 2.° ut ea probare, et confirmare possit: 3.° ut a discipulis possit audiri, atque intelligi.

Porro ad primum, tres necessariae sunt gratiae gratis datae *fides*, *sapientia*, et *scientia*. Fides quidem, qua perfectius, et clarius mysteria divinarum rerum, quae sunt principia Christianae doctrinae cognoscantur; sapientia vero, qua ex iisdem principiis, tamquam ex altissimis caussis, conclusiones eliciantur ad pietatem, et salutem opportunae: scientia demum, qua res divinae exemplis etiam rerum naturalium illustrentur.

Ad alterum vero, gratiae gratis datae requiruntur quatuor, nempe *gratia sanitatum*, *operatio virtutum*, *prophetia*, et *discretio spirituum*. Res enim divinae miraculis confirmandae sunt pro opportunitate auditorum; si qui enim inter ipsos sunt morbo oppressi, per gratiam sanitatum prompti fiunt ad credendum, si vero aliis premuntur necessitatibus, ab iis per operationem virtutum liberantur; si demum nihil horum occurrat, per prophetiam, sive praedictionem futurorum, aut per discretionem spirituum, sive revelationum arcanarum cordis cogitationum ad fidem adducuntur. His miraculis legimus, Christum, et Apostolos religionem Christianam Judaeis, et Gentibus persuasisse.

Denique ad tertium, necesse est ita loqui, ut audiri, et intelligi Doctor ab auditoribus valeat; ad hoc autem duae necessariae sunt gratiae gratis datae, nempe genera linguarum, et interpretatio sermonum. Ergo etc.

Solvuntur contraria Bellarmini Argumenta.

Objic. **I. Character Sacerdotalis, et potestates ministrandi Sacramenta sunt gratiae gratis datae; atqui eae non possunt ad ullam ex iis novem revocari. Ergo sunt aliae, praeter illas, gratiae gratis datae.**

℟. *Neg. maj.* Apostolus enim gratias gratis datas aperte distinguit a potestate ministrandi. Ait enim *I. Cor. XII. 5. Divisiones gratiarum sunt, idem autem spiritus: et divisiones ministrationum sunt, idem autem Dominus: et divisiones operationum sunt, idem vero Deus, qui operatur omnia in omnibus.* Differunt ergo

ergo gratiae gratis datae a ministrationibus, eo quod illae referantur ad docenda, ac persuadenda mysteria fidei; istae vero principatum, et auctoritatem significent, quorum prius characterem exigit, alterum vero ministrandi potestatem.

Objic. II. Scientia, sapientia, fides sunt virtutes, quae hominem ipsum perficiunt, in quo sunt; non sunt ergo inter gratias gratis datas recensendae, quae ad salutem aliorum tribuuntur.

℟. *Dist. ant.* Et ordinantur etiam ad alios edocendos, et persuadendos, imo sunt magis omnibus necessariae Doctori Evangelico, *conc.* Secus, *neg.* Quare *dist.* etiam *cons.* Non sunt gratiae gratis datae, quatenus hominem ipsum perficiunt, in quo sunt, *conc.* Secus, *neg.* Scientia ergo, sapientia, fides quatenus significant speciale illud quorumdam donum clare explicandi mysteria fidei, ex iis deducendi conclusiones instruendis auditoribus idoneas, easque exemplis rerum naturalium illustrandi, gratiae sunt gratis datae. Juxta nonnullos etiam, fides hic ab Apostolo recensita significat fiduciam illam divinitus immissam, ad patranda miracula necessariam, de qua Christus *Matth. XVII.* 19. *Si habueritis fidem, sicut granum sinapis, dicetis monti huic, transi hinc illuc, et transibit.*

Objic. III. Sine hisce gratiis gratis datis praedicatur hodie Evangelica doctrina. Nullius ergo ponderis videtur ratio, quam pro novenario earum numero supra protulimus.

℟. *Neg. ant.* Nam scientia, sapientia, fide, interpretatione sermonum multi hodie pollent sacri oratores, qui non hominibus, sed Deo placere student. Miracula vero, quae in Ecclesiae primordiis patrata sunt, etiam hodie usui sunt, et sufficiunt ad faciendam fidem, nec omnino in Ecclesia cessarunt. Donum vero linguarum non est hodie passim necessarium, cum Ecclesia per totum orbem dispersa, jam omnibus linguis loquatur, ut observat *Augustinus.* Quod si aliquando eo opus esset apud barbaras gentes, quas Deus vocare vellet ad fidem, etiam hoc donum largiretur, ut de *S. Francisco Xaverio* narratur.

PRO-

PROPOSITIO II.

Scientia, sapientia, fides, dona linguarum, interpretatio sermonum ad modum habitus permanentis tribuuntur, reliquae gratiae gratis datae ad modum actus transeuntis.

Prob. 1a. *pars.* Omnis facultas, qua pro lubito cum volumus, et quotiescumque occasio sese offert, utimur, ad modum habitus inesse censetur. Sed prioribus illis gratiis grati datis, quae in propositione dictae sunt; pro lubito utebantur, qui eis donati sunt, ut Apostoli. Ergo etc.

Prob. 2a. *pars.* Prophetis non semper praesto fuisse prophetandi Spiritum, Sacrae litterae testantur; sic *Nathan Davidi* praedixit fore, ut ipse Templum Domino aedificaret: quod tamen tamquam falsum, eadem nocte retractare divinitus jussus est *II. Reg. VII.* 5. Et *IV. Reg. IV.* 27. fatetur *Elisaeus*, non fuisse sibi a Domino revelatam *Sunamitidis* afflictionem: *Dominus* inquit, *celavit eam, a me, et non indicavit mihi*. Hinc Hieronymus *in Cap. XXV. Ezech. Si semper*, inquit, *in Prophetis sermo Dei, et juge in pectore eorum haberet hospitium, numquam tum crebro Ezechiel moneret: factus est sermo Domini ad me dicens.* Idem dicas de discretione spirituum, quae prophetiae affinis est. De gratia vero sanitatum, et operatione virtutum, res est ex Evangelio manifesta. Apostoli enim *Matth. XVII.* 15. non potuerunt curare lunaticum, etsi a Christo Domino hanc potestatem acceperant. Ergo.

Dices. Si donum linguarum ab modum habitus permanet, quomodo Apostoli interpretibus usi leguntur, ut Petrus *Marco*, et *Glaucia*, Paulus *Tito*, ut testatur Hieronymus *Epist. CL. ad Hedib. Q.* 2.

℟ Interpretes illos non fuisse idiomatis, sed sententiarum, qui ea, quae ab Apostolis aliquando Spiritu Dei vehementius commotis, dicta erant obscurius, vel sublimius, explicabant clarius: et ad captum audientium ac-

accommodatius. Sed haec hactenus de gratia gratis data, nunc, ut erat propositum, de gratia gratum faciente actuali disserendum est.

C A P VI.

De natura gratiae actualis.

Adv. I. JAm supra *Cap.* I. monuimus, *Pelagium* primo negasse, gratiam actualem esse necessariam; deinde ad vitandam catholicorum offensionem agnovisse gratiam, quo nomine intelligebat liberum arbitrium, legem, atque doctrinam; ut testatur Augustinus *Lib. de grat. Christi passim. De spiritu, et Lit. Cap. I. et al.* tertio tandem agnovisse etiam interiores mentis illustrationes ad facilius operandum, ut idem Augustinus auctor est *Lib. de grat. Chr. cap.* 7. Hi sunt tres status Pelagianae haeresis.

II. Inter Catholicos, qui agnoscunt, necessariam esse gratiam actualem, quae non solum facienda demonstrat, verum etiam facit, ut faciamus, quaestio est utrum ea sit qualitas quaedam (*a*) animae superveniens, an ipsa charitas actualis, qualiscumque tandem illa sit, inchoata, atque imperfecta. Primum illud passim Thomistae defendunt; posterius Augustiniana Schola.

PRO-

(a) Scholast. *entitas.*

PROPOSITIO.

Gratia actualis recte ab Augustino Lib. IV. ad Bonif. cap. 5. *definitur*: inspiratio dilectionis, ut cognita sancto amore faciamus; *hoc est, natura gratiae actualis sita est quidem in interiori mentis illustratione, sed praecipue in inspiratione caritatis actualis, saltem inchoatae, et imperfectae, seu caelestis delectationis*:

Prob. 1a. *pars. I.* ex Scriptura *Is. IX.* 2. *Populus, qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam; habitantibus in regione umbrae mortis lux orta est eis.* Et in *Psalmis* passim habemus *Illumina oculos meos, revela oculos meos, illumina tenebras meas*: Et *Luc. I.* 79. *Illuminare his, qui in tenebris, et in umbra mortis sedent.* En mentis illustrationem. De inspiratione vero charitatis *Ezech. XXXVI.* 26. *Dabo vobis cor novum, et spiritum novum ponam in medio vestri, et auferam cor lapideum de carne vestra, et dabo vobis cor carneum etc.* Et *Ps. CXVIII. Inclina cor meum in testimonia tua.* En inspirationem dilectionis. Ergo etc.

Prob. II. *ex PP.* 1.° Augustinus *Lib. II. de pecc. merit. et remiss. cap.* 17. observat, ideo homines facere nolle quod bonum est, vel quia latet, quid bonum sit; vel quia non delectat. Hinc subdit: *Ignorantia ergo, et infirmitas vitia sunt, quae impediunt voluntatem, ne moveatur ad faciendum bonum, vel ab opere malo abstinendum: ut autem innotescat quod latebat, et suave fiat quod non delectabat, gratiae Dei est, quae hominum adjuvat voluntates.* Et Cap. 18. *Cum autem ab illo illius adjutorium deprecamur ad faciendam, perficiendamque justitiam, quid aliud deprecamur, nisi ut adaperiat quod latebat, et suave fiat, quod non delectabat?* 2.° Caelestinus I. *Epist. ad Episc. Gal. cap.* 8. *Praeparatur*, inquit, *voluntas a Domino, et ut boni aliquid agant, paternis inspirationibus suorum ipse tangit corda fidelium.* 3.° Tridentinum *Sess. VI. Cap.* 3. ait, Gratiam operari, *tangente Deo cor hominis per Spiritus S. illuminationem* Ergo etc.

Prob. 2a. *pars*, nempe gratiam praecipue in inspiratione dilectionis esse sitam. Augustinus *Lib. de Grat. Chr.* totus est, ut evincat contra *Pelagium*, qui jam eam gratiam, quae mentem illustrat, agnoscebat, debere eum confiteri gratiam, *qua non solum revelatur sapientia, verum etiam amatur; si vult non solum vocari, verum etiam esse Christianus.* Imo fuse probat ex Apostolo in *Epist. ad Rom.* legis cognitionem sine *inspiratione dilectionis* valere potius vitio hominum ad legis ipsius praevaricationem. Verba *Augustini* non recitamus; integer enim ille liber exscribendus esset, qui totus in hoc argumento versatur. Ergo etc.

Diluuntur Objectiones.

Objic. I. *cont.* 1m. *et* 2m. *part. Joan. VI.* 45. ait Christus: *Omnis, qui audivit a patre, et didicit, venit ad me.* Atqui audire, et discere ad doctrinam tantum, aut interiorem mentis illustrationem referendum est. Ergo.

℟. *Dist. min.* Audire, et discere ab homine, *conc.* Audire, et discere a Patre, *neg. Haec gratia*, inquit Augustinus *Lib. de Gr. Ch. cap.* 13. *si doctrina dicenda est, certe sic dicatur, ut altius, et interius eam Deus cum ineffabili suavitate credatur infundere, non solum per eos, qui plantant, et rigant exterius, sed etiam per seipsum, qui incrementum suum ministrat occultus, ita ut non ostendat tantummodo veritatem, sed etiam impertiat charitatem.*

Inst. Humana voluntas *caeca potentia* dicitur, eo quod moveatur intellectu monstrante viam, ac facem praeferente. Sufficit ergo, intellectum luce veritatis per gratiam Dei perfundi, ut voluntas sua vi moveatur ad bonum.

℟. *Dist. ant.* In rebus naturalibus, *conc.* In supernaturalibus, *neg.* Sicut enim ipsa voluntas in ordine rerum naturali, etiam intellectu praelucente, indiget generali, ac naturali Dei concursu, ut moveatur; ita in ordine rerum supernaturali voluntas sana, ut Angelorum, et hominis innocentis, egebat supernaturali Dei concursu, ut moveri posset; voluntas vero infirma, ac

sau-

sancia hominis lapsi validiori auxilio indiget, ut non solum velle possit, verum etiam velit.

Scholion.

I. Gratiam Dei non in sola mentis illustratione, sed etiam in adjutorio voluntatis positam esse, dogma fidei est, contra Pelagianos in tot conciliis definitum. In quo autem illud voluntatis adjutorium sit ponendum, Theologi disputant.

II. Cum diximus, gratiam esse mentis illustrationem et inspirationem saltem imperfectae charitatis; duo expressimus; nempe principium, sive causam gratiae effectricem, et ipsam gratiae naturam. Principium quidem gratiae est actio Dei, quae intellectum illuminat, et voluntatem accendit, quae actio cum reipsa non distinguatur a Deo, ipse Deus est. Natura vero gratiae est ipsa charitas cum cognitione veritatis; ita ut charitas actualis, sit actualis gratia; charitas vero jugiter inhaerens, sit gratia habitualis.

III. Sed quia nomen effectus aliquando per *metonymiam* causae tribuitur; hinc aliquando Patres, et Theologi gratiam appellant ipsam Dei actionem, qua gratiam operatur. Hoc sensu Augustinus *Ep. CLXXXVI. al. CVI. ad Paulin.* ait, gratiam Dei praevenire hominum voluntatem, et charitatem praecedere: Caelestinus I. *Epist. ad Ep. Gal.* ait, *omnes sanctas cogitationes, omnes motus bonae voluntatis, non tantum quoad incrementa, sed etiam quoad eorum exordia referri debere ad Dei gratiam; qua praeparatur voluntas.* Et S. Thomas *Q. XXIV. de verit. art.* 14. ait, gratiam esse misericordiam Dei, per quam motum mentis interius operatur. Vide Estium in *II. Dist. XXVI.* §. I.

IV. Atque ex his non est difficile eorum Thomistarum argumenta refellere, qui gratiam a charitate distinctam esse tenent. Ajunt enim 1o. gratiam necessariam esse ad actum charitatis eliciendum, ideoque ab eo distingui, ut causam ab effectu. 2.° gratiam praevenire charitatem, ejusque esse supernaturale principium: 3.° esse *illuminationem, inspirationem*, quae verba non ipsum mentis motum; sed motus illius impulsum, et causam signi-

significant, et cetera hujusmodi. Quae utique vera sunt, si loquamur de gratia, quoad ejus principium, et causam effectricem; quae est ipse Deus; non vero si sermo sit de ipsa gratiae natura Quod quidem clare exponit S. Thomas 1a. 2ae. *Q. CX. art.* 2. dicens: *In eo, qui dicitur gratiam Dei habere, significatur esse quidam effectus gratuitae Dei voluntatis . . . . Ipse gratuitus effectus in homine non est qualitas, sed motus quidam animae. Actus enim moventis in moto est motus; ut dicitur Lib. III. Physicor.*

V. Ex quibus refutata etiam manet *Bannesii*, aliorumque Thomistarum doctrina, qui ex Peripateticae Philosophiae principiis putant, gratiam actualem esse qualitatem, sive *entitatem*, nescio quam, transeuntem, quae bonos motus animi operatur. Quam sententiam egregie refellit *Joan. Ganzalez* et ipse non ignobilis Thomisticae Scholae Theologus *Controv. I. de grat. art.* 3.

Corollarium.

Quoniam natura gratiae actualis in illustratione intellectus, et inspiratione charitatis sita est; gratia autem actualis utramque complectitur speciem, scilicet efficacem, et inefficacem, quam *sufficientem* dicimus; hinc sequitur in quacumque actuali gratia, sive efficax ea sit, sive sufficiens, esse aliquam illustrationem intellectus, et aliquam voluntatis motionem, sive dilectionis inspirationem. Quae autem, et quanta sit haec dilectionis inspiratio in efficaci gratia, quae vero in sufficienti, in sequentibus capitibus expendendum est: incipiendo tamen prius ab utriusque gratiae definitione, ac natura.

C A P. VII.

De natura, ac definitione gratiae efficacis, et sufficientis.

Adv. I. Antequam nostram de natura gratiae efficacis, ejusque discrimine a sufficienti, explicemus sententiam; quid de ea docuerit *Augustinus* exponere, operae pretium est. Duplex ille distinguit adju-
to-

torium, alterum *sine quo* aliquid fieri non potest, ut *Lib. I. Cap.* 13. *et Lib. V. part.* 2. *et* 4. diximus, alterum *quo* aliquid fit. Prius comparat cum alimentis, posterius cum beatitudine. *Nam sine alimentis*, inquit, *Lib. De Correp. et grat. cap.* 12. *non possumus vivere; nec tamen cum adfuerint, eis fit, ut vivat, qui mori voluerit. Ergo adjutorium alimentorum est sine quo non fit, non quo fit ut vivamus. At vero beatitudo, quam non habet homo, cum data fuerit, continuo fit beatus: adjutorium enim est, non solum sine quo non fit, verum etiam quo fit propter quod datur.*

II. Hac distinctione posita, docet S. Doctor, Angelis, et primo homini ante lapsum satis fuisse adjutorium *sine quo. Tales enim*, inquit, *vires habebat ejus voluntas, quae sine ullo fuerat instituta peccato, et nihil illi ex seipso concupiscentialiter resistebat, ut digne tantae bonitati, et bene agendi facilitati perseverandi committeretur arbitrium.* At vero homini post lapsum infirmo opus esse non solum adjutorio *sine quo* non posset velle, sed *quo* certissime velit. *Nunc vero postea quam magna illa, peccati merito, est amissa libertas* (ab omni concupiscentia) *majoribus donis adjuvanda remansit infirmitas . . . . Nam si in tanta infirmitate vitae hujus, ... ipsis relinqueretur voluntas sua, ut in adjutorio Dei, sine quo perseverare non possent, manerent si vellent, nec in ei Deus operaretur, ut vellent; inter tot, et tantas tentationes infirmitate sua voluntas ipsa succumberet, et ideo perseverare non possent, quia deficientes infirmitate nec vellent, aut non ita vellent infirmitate voluntatis ut possent. Subventum est igitur infirmitati voluntatis humanae, ut divina gratia indeclinabiliter, et insuperabiliter ageretur, et ideo quamvis infirma, non tamen deficeret, neque adversitate aliqua vinceretur.*

III. Nonnulli Sectatores *Ludovici Molinae*, qui contendunt, non aliud nunc dari adjutorium ad bene agendum quam illud, quod *Augustinus* appellat *sine quo*, ipsi vero gratiam sufficientem, ac versatilem, ne tam aperte *Augustinum* videantur contemnere, docent, *adjutorium quo* servatum infirmis post Adae lapsum, ut invictissime quod bonum est vellent, et hoc deserere invi-

victissime nollent, non esse actualem gratiam efficacem, sed donum perseverantiae, in eo situm, quod Deus hominem sive adultum, sive infantem eo tempore rapiat, quo est in statu gratiae: uno verbo esse auxilium, quo bene homo moriatur, non quo bene vivat. Alii vero, inter quos ipse Petavius *Lib. de Haeres. Pelag. cap. 8. et 9* Dechampius *Lib. III. de haer. Jansen. cap. 15* et Tournely *Q. II. art. 1.* fingunt, adjutorium *sine quo* esse gratiam, quae illustret tantummodo intellectum, adjutorium vero *quo* esse gratiam, quae det etiam bonae voluntatis inspirationem, versatilem tamen, et libero arbitrio subjectam. Haec igitur commenta prius explodenda sunt; mox gratiae efficacis germana notio luculenter explicanda.

PROPOSITIO I.

***Adjutorium** quo ex Augustino non est tantum passiva quaedam perseverantia, qua scilicet homo eo tempore moriatur, quo est in gratia, sed est caussa effectrix tum perseverantis in bono voluntatis, tum cujuscumque operis boni, sive est ipsa gratia efficax.*

Prob. 1a. *pars.* Adjutorium *quo* ex Augustino est auxilium, quo Deus in hominibus infirmis operatur, ut velint, quod auxilium Adamo innocenti datum non est, quia ejus voluntati robustae, ac sanae non erat necessarium. *Tantum quippe*, inquit, *Spiritu Sancto accenditur voluntas eorum, ut ideo possint, quia sic volunt, et ideo sic velint, quia Deus in eis operatur, ut velint; nam si in tanta infirmitate vitae hujus sibi ipsis relinqueretur voluntas sua, inter tot, et tantas tentationes infirmitate sua voluntas succumberet . . . . . . Subventum est igitur infirmitati voluntatis humanae, ut a divina gratia indeclinabiliter, et insuperabiliter ageretur.* Qui non videt hic describi auxilium, quo voluntas ipsa fortiter movetur in bonum, et ei perseveranter adhaereat, caecus sit oportet. Ergo etc.

Prob. 2a. *pars.* Augustinus ideo infirmis servatum esse docet potentius auxilium, quo non eguit homo sanus,

nus, quia *ille in bonis erat, quae bonitate conditoris acceperat . . . . Sancti vero in hac vita, ad quos pertinet liberationis haec gratia, in malis sunt, ex quibus clamant ad Deum: libera nos a malo . . . . Ille non opus habebat eo adjutorio, quod implorant isti, cum dicunt: video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meae, et captivantem me in lege peccati.* Atqui in toto hujus vitae cursu hanc luctam sancti experiuntur, et in quocumque opere bono, ac salutari peragendo periclitantur, ne adversae cupiditati succumbant; quia *militia est vita hominis super terram Job. VII.* 1. Ergo adjutorium *quo*, gratia est, qua in toto vitae cursu indiget homo infirmus ad quodvis bonum opus salutare peragendum, seu est ipsa gratia efficax.

PROPOSITIO II.

Augustinus, etiam in adjutorio** sine quo **non solum illustrationem intellectus, sed etiam inspirationem bonae voluntatis agnovit; versatilem tamen, et a libero voluntatis arbitrio determinandam.

Prob. 1.° Nihil est magis Augustinianae doctrinae contrarium, quam Deum eam creaturae dedisse voluntatem, quae bona, et mala esse posset, creaturam vero dedisse sibi suis viribus voluntatem bonam; ex eo enim sequeretur, melius esse quod creatura sibi ipsa sine Dei adjutorio dedisset, quam quod accepisset a Creatore. Quod principium *Augustinus* saepe inculcat. Atqui ita prorsus res se haberet, si per adjutorium *sine quo* solus fuisset illustratus intellectus, non adjuta voluntas. Ergo etc. 2.° Conceptis verbis docet *Augustinus*, non solum intellectum Adae luce veritatis illustratum, sed etiam voluntatem gratia Dei accensam, ut amaret bonum. Ait enim *Lib. XIV. de Civ. Cap.* 13. *Si voluntas* (Adae) *in amore superioris immutabilis boni, a quo illustrabatur, ut videret, et accendebatur, ut amaret, stabilis permaneret, non inde ad sibi placendum averte-*

re-

retur, *et ex hoc intenebresceret*, *et frigesceret.* Quid clarius? Ergo.

Dices cum Tournely. Augustinus *Lib. de Nat. et grat. cap.* 15. *Si iste*, inquit, *qui hunc librum scripsit* (Pelagius) *de illa natura loqueretur*, *quae primo inculpata*, *et salva condita est*, *utcumque acceptaretur hoc dictum.* Atqui Pelagius solam agnovit mentis illustrationem. Ergo fatetur *Augustinus*, in homine sano solam mentis illustrationem fuisse necessariam.

℟. *Dist. min.* Solam agnovit Pelagius mentis illustrationem ad facilius operandum, *conc.* Omnino necessariam, *subdist.* Et non erat de hoc quaestio in citato *Augustini* loco, *trans.* De hoc erat quaestio, *neg.* Itaque absurdum est, Augustinum affirmasse, Pelagianam doctrinam in statu innocentiae habuisse locum, cum *Pelagius* gratiam, quam tandem agnovit, in illustratione mentis ad facilius operandum dari dixerit: *Augustinus* vero, et homini, et Angelis ita necessariam fuisse gratiam doceat, ut si eis illa defuisset, non utique sua culpa cecidissent; defuisset enim adjutorium, sine quo perseverare non possent. Itaque *Pelagii* doctrina, quam *Augustinus* in statu innocentiae *utcumque acceptari* posse dicit, non erat quam *falso supponunt* adversarii, nempe quod sola mentis illustratio naturam gratiae constituit; non enim ibi de hoc agit *Augustinus*, sed quod humanae naturae data sit a Deo possibilitas non peccandi; quam doctrinam ait *Augustinus*, *utcumque* acceptari posse, si *Pelagius* de homine sano loqueretur.

PROPOSITIO III.

Gratia efficax recte definitur: Actuale Dei auxilium, quo voluntas actu vult, et operatur bonum certissime, et insuperabiliter, libere tamen, non necessario.

Prob. I. ex ipsis Augustini verbis *Lib. de cor. et grat. cap.* 12. *Subventum est igitur infirmitatis voluntatis humanae, ut divina gratia indeclinabiliter, et insuperabiliser ageretur*, *et ideo quamvis infirma*, non

non tamen deficeret, neque adversitate aliqua vinceretur. Ergo.

Prob. II. *et explicatur definitio.* Dicitur 1.° gratia efficax *actuale auxilium*, quod est positum, loco *generis*, in quo convenit cum gratia illa, quam post Thomistas plures Theologi *sufficientem*, alii vero *inefficacem*, Augustinus *parvam*, *et invalidam* appellat. Dicitur 2.° *quo voluntas actu vult*, *et operatur*, quae verba indicant *differentiam* gratiae sufficientis, atque efficacis: illa enim dat posse, ista velle, et velle perfectum. Dicitur 3.° *certissime*, *et insuperabiliter*, ut ostendatur modus operandi, quem efficax gratia ex seipsa, non ex consensu voluntatis, habet; in quo differt a gratia Adae innocenti concessa. Dicitur 4.° *libere tamen*, *et non necessario*, tum ad praecavendum errorem, in quem ex verbis illis *certissime*, *et insuperabiliter* posset aliquis induci, tum ut clare explicetur, gratiam efficacem, utpote omnis meriti principium, non destruere liberum voluntatis arbitrium, sine quo viatoribus in statu naturae lapsae meritum nullum est.

Quaeres. Quid ergo significat in definitione vox illa insuperabiliter?

℞. Non illud significare, voluntatem non posse gratiae resistere, sed voluntatem gratia efficaci motam nullis posse tentationibus superari, nisi ipsa velit, quod propter vehementem rerum caelestium amorem, quo a Spiritu Sancto accenditur, numquam eveniet. Sic arcem insuperabilem dicimus, cum ea nullis hostium machinis, nulla vi superari potest, licet possit dux hostibus arcem dedere.

Solvuntur Objectiones.

Objic. Si consensus voluntatis in ipsa definitione efficacis gratiae ponitur, consequens est, gratiae efficaci resisti non posse. Atqui hoc damnatum est a Tridentino *Sess. VI. can.* 4 inter errores Lutheri, et Calvini his verbis: *Si quis dixerit, liberum arbitrium a Deo motum, et excitatum . . . . . non posse dissentire, si velit . . . . anathema sit*: imo hoc in ipsa definitione affirmatur, ubi additur *libere tamen*, *et non ne-*
ces-

necessario. Ergo falsa est nostra gratiae efficacis definitio, et contradictionem involvit. *Prob. seq. maj.* Quod in ipsa definitione ponitur, rei ipsius naturam constituit, ideoque repugnat, rem illam concipi sine ea proprietate, quae in definitione posita est; sicut repugnat mente concipere hominem sine anima rationali Ergo si consensus voluntatis in ipsa definitione gratiae efficacis tamquam ejus *differentia specifica* ponitur, repugnat gratiae efficax sine voluntatis consensu, ideoque gratiae efficaci resisti non potest.

℟. *Ad* 1m. *Neg. seq. maj. Ad* 2m. *Dist. ant.* Quod ponitur in ipsa rei definitione tamquam naturalis, atque intima rei proprietas, sicut anima rationalis in definitione hominis, *conc.* Quod ponitur in ipsa rei definitione tamquam terminus exterior, ad quem res ipsa refertur, *neg.* In rebus enim relativis, ut docent Philosophi, non ipse terminus, sed ordo ad terminum relationis naturam constituit, quamvis ordo ille explicari non possit, nisi ipse terminus in definitione exprimatur. Sic cum medicus definitur *qui aegrotos curat*, numquid aegroti constituunt medici naturam? Porro voluntatis consensus liber, et non necessarius in definitione gratiae efficacis est positus, non tamquam intima gratiae efficacis proprietas, sed tamquam exterior terminus, ad quem gratia efficax refertur, qui quidem terminus etsi certissime, libere tamen ponitur. Quapropter nec contradictionem involvit definitio nostra, nec Tridentino adversatur.

Inst. 1.° Contritum est in Scholis vetustate proverbium; *Possibili posito in actu, nihil sequitur absurdi.* Atqui nostra definitione posita, absurdum est *poni in actu* voluntatis *dissensum* sub gratia efficaci; quia gratia efficax est, qua voluntas actu vult, et tamen tunc voluntas actu nollet. Ergo non constat nostrae definitionis veritas.

℟. *Dist. maj. Possibili posito in actu* eo modo, quo possibile est, nihil sequitur absurdi, *conc.* Alio modo, *neg.* Porro possibile est, sub gratia efficaci, voluntatem dissentire in *sensu diviso*, hoc est *potentia sejuncta ab actu*, non vero in *sensu composito*, hoc est *potentia conjuncta cum actu.* Sic cum Petrus libere currit, po-

test quidem non currere in *sensu diviso*, ideoque nihil sequitur absurdi, si actu currat habens tamen potentiam non currendi; sed non potest non currere in *sensu composito*, ita ut simul currat, et non currat. Cum ergo gratia efficax certissime efficiat ipsum liberum voluntatis consensum, nihil sequitur absurdi, si dicamus, voluntatem sub gratia actu velle, habere tamen potentiam nolendi: sed absurdum esset, voluntatem sub gratia actu velle, et nolle simul; hoc enim repugnat.

Inst. 1.° Si gratia efficax ex ipsa ejus definitione certissime producat voluntatis consensum, non potest consensus ille liber esse, alioquin non esset certissimus. Ergo fucum facimus auditoribus, cum dicimus gratiam efficacem liberum voluntatis consensum certissime, sive *infallibiter* efficere.

℟. *Neg. ant. Cum enim voluntas Dei sit efficacissima, non solum sequitur, quod fiunt ea, quae Deus vult fieri, sed etiam quod eo modo fiant, quo Deus ea fieri vult: Vult autem Deus, quaedam fieri necessario, quaedam vero contingenter, ut sit ordo in rebus ad complementum universi, ideoque quibusdam effectibus aptavit causas necessarias, quibusdam autem aptavit causas contingentes*, verba sunt S. Thomae *I. P. Q. XIX. art.* 8. Si ergo vult Deus, per gratiam efficacem voluntatem nostram libere consentire, non solum sequitur, voluntatem consentire, sed etiam consentire eo modo, quo Deus vult, hoc est libere: quia ita certissime voluntatem movet, ut ei non auferat resistendi potestatem.

Inst. 3.° Potentia resistendi stare non potest cum certissimo adsensu; *implicat* enim, ut ajunt, *in terminis*, aliquid certissime evenire, cum potest evenire contrarium. Ergo. etc.

℟. *Dist. ant.* Potentia moralis resistendi stare non potest cum certissimo assensu, *conc.* Potentia *physica neg.* Multa enim *physice* fieri possunt, *moraliter* non possunt, propter gravissimas difficultates, quas voluntas superane non vult, ac proinde certissime non evenient. Sic justus *physice* potest omnia vitare peccata venialia, et tamen adeo certe aliquod peccatum veniale aliquando admittet, ut Concilium Tridentinum *sess. VI. can.* 23 definiverit, justum sine speciali privilegio non posse

(seu

(scilicet *moraliter*) omnia venialia peccata vitare. Simili ratione, amor vitae temporalis, quamvis libere, certissime tamen hominem movet ad sectanda, vel fugienda, quae vitam vel necessario servant, vel necessario perimunt; quamvis *physice* possit evenire contrarium. Ergo multo magis inspiratus a Deo amor aeternae vitae ita hominem certissime movet, ut quamvis physice possit, moraliter tamen non possit contrarium accidere.

Corollarium.

Qui habet agendi potentiam, non continuo fit consequens, ut actum etiam habeat, sed qui habet actum, eum habere potentiam necesse est. Quoniam igitur gratia efficax est, qua voluntas actu vult, sequitur, ut per eam voluntas *actu possit*, *et physice*, *et moraliter*. Hinc explicantur Scripturarum, et Patrum loca, quibus affirmatur, per gratiam efficacem *posse* hominem divina servare mandata; eum autem, qui hoc auxilio destitutus *sit*, *non posse*, licet sufficienti gratia non careat. Sic Christus *Joan. XIII.* 36. Petro audacter affirmanti, se, eum secuturum, et cui sufficiens auxilium non deerat respondit: *Non potes me sequi modo*: *sequeris autem postea*. Et *Augustinus* de eo, qui nondum auxilio efficaci adjuvatur, ait: *Qui vult facere Dei mandatum, et non potest, habet quidem bonam voluntatem, sed adhuc parvam, et invalidam*; *poterit autem cum magnam habuerit, et robustam Lib. de Grat. et lib. arb. cap.* 17. Denique Ecclesia efficacem a Deo gratiam postulans, nihil aliud postulat, nisi *ut possimus, ut valeamus* implere Dei praecepta.

PRO-

PROPOSITIO IV.

Gratia sufficiens, sive inefficax recte definitur: actuale Dei auxilium, quo voluntas potest vel operari, vel obtinere a Deo id, sine quo operari non potest, licet libere ei resistat.

Prob. Haec *prop.* sequitur ex praecedenti. Si enim gratia efficax est, qua voluntas actu et potest, et vult, consequens est, ut gratia sufficiens, et inefficax ea sit, qua voluntas potest quidem, at non vult. Diximus autem *quo voluntas potest vel operari, vel obtinere id, sine quo non potest*, quia cum varia sit, et hominum infirmitas, et operum difficultas, hinc duplicem distinguunt Theologi sufficientem gratiam, *proximam*, et *remotam*. Per utramque autem fit, ut voluntas dicatur posse. Quae enim possumus orando, absolute posse dicimur, ut observat *S. Thomas* ex illo *Aristotelis* effato: *Quae per amicos possumus, per nos ipsos aliqualiter possumus.* Sed haec fusius infra suo loco explicabuntur.

Scholion.

Quoniam supra diximus *Cap. V. in Corol.* Gratiae actualis naturam, sive ea sit efficax, sive sufficiens, sitam esse in illustratione intellectus, et inspiratione dilectionis; hic autem ostendimus, gratiam efficacem eam esse, qua voluntas actu vult, et operatur, sufficientem vero, qua voluntas potest quidem, at non vult: manifestum est, illud esse discrimen inter efficacem, et sufficientem gratiam, quod in illa quidem dilectio sit, adeo vehemens, ut voluntas victis difficultatibus, atque cupiditate, actu velit; in ista vero dilectio sit remissior, minusque vehemens, ut voluntas possit quidem, si totas vellet exerere vires, at contraria cupiditate illecta nolit. Quod *Augustinus* aperte declarat tum in *Lib. de Cor. et grat. cap.* 12. dicens: *tantam quippe Spiritu Sancto accenditur voluntas eorum, ut ideo possint, quia sic velint*; tum loco paulo ante recitato *Lib. de grat. et Lib.*

Lib. arb. cap. 17. *Qui vult facere Dei mandatum, et non potest, habet quidem bonum voluntatem, sed adhuc parvum et invalidam.* Sed utrum verius ille gratiae caelestis effectus, quo per efficacem gratiam actu velit, et operetur, ex ipsa gratiae vi, ac potestate intrinsecus oriatur, jam explicandum est fusius; ac diligentius, expositis prius, ac refutatis *Molinistarum*, et *Congruistarum* opinionibus.

C A P. VIII.

Utrum gratiae efficacitas ab ipsa gratiae vi, ac potestate intrinsecus oriatur.

§. I.

Ludovici Molinae systema exponitur, et refellitur.

Adv. I. L*Udovicus Molina* Hispanus e Societate Jesu anno MDLXXXVIII. Ulyssiponae Librum edidit triginta annorum studio elaboratum quem inscripsit *Concordia*, magni tamen dissidii occasionem, atque discordiae. In eo novum systema proposuit conciliandi gratiam Dei, ac praedestinationis cum humani arbitrii libertate: quod quidem ita se habet. 1.° Deus vult omnes aeque homines nullo discrimine salvos fieri. 2.° Ex hac generali voluntate omnibus praebet supernaturalem quendam *concursum* ad exercenda opera supernaturalia, sicut in naturalibus actibus generali suo concursu naturalis ordinis omnibus aeque hominibus praesto est; hic autem supernaturalis concursus gratia est actualis 3.° Ex peccato originali hominem supernaturalibus quidem bonis fuisse spoliatum, at nihil in naturalibus liberi arbitrii viribus laesum, ideoqae eodem nunc auxilio indigere, quo egebat Adam ante lapsum, hoc est auxilio, quod *Augustinus* appellat *sine quo*, atque ad liberi arbitrii nutum, versatili. Igitur si homo per liberum arbitrium gratia versatili adjutum ad bonum opus se applicaverit, gratia erit efficax, sicut in Angelis, qui steterunt; sin minus, gratia erit sufficiens: ita ut efficacitas gratiae, pendeat ab eventu, semperque in manu liberi arbitrii nostri

stri posita sit salus nostra. Haec liberi arbitrii applicatio, sive *determinatio*, naturalis est, ideoque eadem naturali vi opus est, ut homo se ad actum charitatis applicet, qua ad actum odii, aut alterius peccati. 4.° Praevidens ergo Deus ab aeterno, quinam per naturales liberi arbitrii vires bene usuri essent gratia versatili, eos praedestinavit ad gloriam.

II. Nova haec *Molinae* doctrina, quam, conspiratione quadam facta, eodem tempore *Lessius*, et *Hamelius* Lovanii verbis, ac scriptis evulgabant, gravissime Theologos offendit Catholicos. Eam primo Lovaniensis Academia damnavit anno MDLXXXVII. communi Doctorum suffragio celebri censura, cujus etiam *Justificationem* contra *Apologiam* Molinistarum Lovanienses ediderunt. Deinde Doacensis anno sequenti, imo Episcopi Mechliniensis, et Cameracensis in Conciliis Provincialibus sollemni jam judicio proscripsissent, nisi *Sixtus V.* Romanus Pontifex silentium indixisset, donec Sedes Apostolica ea de re judicaret. In Hispania vero *Dominicus Bannesius*, in Lusitania *Thomas de Lemos* acerrime in Molinistas insurrexerunt, eorumque novum systema detulerunt ad *Tribunal Inquisitionis* Hispaniae, quo etiam Molinistae P. *Suarez* miserunt, ut *Molinam* quoquo modo defenderet. Sed *Clemens* VIII. causam integram Romam avocavit, accitis eo tum Molinae defensoribus, tum ejus adversariis, aliisque Theologis.

III. Hinc indictae *Congregationes de Auxiliis gratiae* ex Cardinalibus, et Theologis, ea tamen lege, ne quid ab *Augustini* doctrina recederetur, quibus congregationibus saepe ipse Clemens VIII. adfuit, sicut et ejus successor Paulus V. Ferunt, caussa diu utrinque agitata, communibus Consultorum suffragiis pluries judicatum esse, *Molinae* systema ab haeresi Semipelagianorum non differre, jamque *Paulum* V. Bullam adornasse censurae, et damnationis, quam tamen laudabilis oeconomiae causa promulgare distulit. Nos nihil asserimus, nisi quod certum est, scilicet, dimissis Congregationibus, quae a die 2. Januarii anni MDXCIII. usque ad diem 20. Augusti anni MDCVII. duraverant; utrique parti silentium a Pontifice indictum, cautumque ut neutra pars alteram ulla notaret censura, do-

nec suum Sedes Apostolica judicium promulgaret (a). Quidquid autem de historia fuerit, de dogmate ipso, quid sit sentiendum, videamus.

PROPOSITIO I.

Efficacitas gratiae non est repetenda ab eventu, sive a consensu voluntatis.

Prob. I. ex Scriptura. 1.° Apostolus *Rom. IX.* 16. *Non volentis*, inquit, *neque currentis, sed miserentis est Dei*, idest ratio, cur aliqui convertuntur ad Deum, non voluntas hominis est, sed misericordia Dei. Atqui si gratia esset omnibus communis, atque versatilis, ratio cur aliqui convertantur ad Deum esset volentis hominis, non misericordiae, sive gratiae Dei. Quando enim eadem facultas pluribus communis est, ratio cur aliqui ea bene utantur, alii negligant, non est ipsa facultas, ut patet, sed liberum utentis arbitrium. Ergo etc.

Quod si forte regeras, ideo dictum ab Apostolo *non vo-*

(a) Historiam Congregationum de Auxiliis *Hieronymus Serry* sub nomine *Augustini le Blanc* edidit Lovanii anno MDCC. ex commentariis, ut ait, eorum, qui Congregationibus adfuerunt. Eam confutare aggressus est *P. Meyer*, qui sub nomine *Theodori Eleutherii* aliam de iisdem Congregationibus Historiam edidit Antuerpiae anno MDCCV. cui *Hyacinthus Serry* in nova Historiae suae editione Antuerpiensi anni MDCCIX. respondit. Scribit quidem *Tournely*, *Hyacinthum a Meyero* falsi convictum, planeque refutatum: *Sed non vidit fortasse vir doctus*, inquit P. Berti Lib. XIV. Cap. 10. *editionem alteram Antuerpiensem sub proprio auctoris nomine, in qua prior vindicatur, fides actorum asseritur, et Eleutherius haud obscuris argumentis revincitur.* Certe Commentaria Auctorum genuina, eodem teste Berti, extant Romae in *Bibliotheca Angelica*, scripta manu *Gregorii Nunnii Coronelli* Augustinensis, qui fuit Congregationum a Secretis; *Innocentius X.* vero fidem haberi vetuit *actis Congregationum de Auxiliis*, ne quis scilicet assereret, Molinae doctrinam a Sede Apostolica jam esse damnatam; cum contra illa Sedes judicium suum promulgare distulerit.

volentis, *sed miserentis*, quia voluntas hominis sola non sufficeret, nisi gratia Dei accederet, respondemus cum Augustino *Lib. I. ad Simplician. Q.* 2. *Si propterea dictum est*, *neque currentis*, *neque volentis*, *sed miserentis esse Dei*, *quia voluntas hominis sola non sufficit* ...... *nisi adjuvemur misericordia Dei*, *potest et hoc modo dici*: *non miserentis Dei*, *sed volentis est hominis*, *quia misericordia Dei sola non sufficit*, *nisi consensus nostrae voluntatis addatur*. Cum ergo hoc adversa fronte pugnet cum Apostoli doctrina; fatendum est, ideo dictum *non volentis*, *neque currentis*, *sed miserenti est Dei*, quia ipsa Dei miseratio causa est volendi, atque currendi.

2.° Idem Apostolus *I. Cor. IV.* 7. docet, neminem in rebus ad salutem pertinentibus posse seipsum ab alio discernere, aut habere aliquid, quod a Deo non acceperit, et de quo in se, et non in Domino glorietur. *Quis enim te discernit? Quid habes, quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?* quo testimonio fatetur Augustinus *De Praedest. Sanct. cap.* 3. seipsum a semitis Semipelagianorum fuisse revocatum; cum similiter ante Episcopatum erraret. Atqui si communis esset omnibus versatilis gratia, qua nonnulli bene ex libero voluntatis arbitrio uterentur, alii male; profecto non gratia discerneret bonos a malis, quae communis esset bonis, et malis, sed primi seipsos discernerent ab aliis, atque haberent aliquid, quod non accepissent, ipsum scilicet liberae voluntatis suae actum, quo gratia uterentur ad opus bonum, ideoque possent de ea in seipsis gloriari. Ergo.

3.° Nihil est in sacris litteris frequentius inculcatum, quam orandum esse Deum, ut convertamur, et tentationes vincamus. Atqui frustra esset oratio in systemate Moliniano. Quid enim peteres? auxilium Dei? At hoc semper praesto est: voluntatis tuae consensum? at hic in libero positus est arbitrio. Ergo etc.

Prob. II. Molinianum systema novum est, ipso fatente *Molina*, qui *Quaest. XXIII. art. 4. Disp. I.* sic ingenue loquitur: *Nostra ratio conciliandi libertatem arbitrii cum divina praedestinatione*, *a nemine*, *quem viderim*, *hucusque tradita est*. Idemque paulo ante

te dixerat: *Quae si data, explanataque semper fuissent, forte neque Pelagiana haeresis fuisset exorta*..., *neque ex Augustini opinione* (N.B.) *concertationibusque cum Pelagianis tot fideles fuissent turbati.* Quantum audaciae, ne dicam impudentiae! Atqui doctrinae novitas in rebus Theologis certissimum est falsitatis indicium. *Ex ipso enim ordine*, inquit Tertullianus *de Praescript. cap.* 31. *manifestatur, id esse Dominicum, et verum, quod sit prius traditum, id vero extraneum, et falsum, quod sit posterius immissum.* Et Lirinensis (*in Commonit.*) *falsum quod recens inventum.* Unde Tridentinum (*Sess. IV.*) *Ad coërcenda petulantia ingenia, statuit, ut nemo suae prudentiae innixus in rebus fidei, et morum sacram Scripturam ad suos sensus contorquens contra eum sensum, quem tenuit, et tenet S. Mater Ecclesia, aut etiam contra unanimem consensum Patrum interpretari audeat.* Ergo Molinianum systema rejiciendum est, ut falsum. Denique idipsum magis confirmabitur inferius. Eadem enim argumenta, quibus gratiam per se efficacem ostendemus, ejus efficacitatem non pendere a consensu voluntatis, evincent.

Objecta diluuntur.

Objic. I. Verba illa Apostoli *I. Cor. IV.* 7. *Quis te discernit? Quid autem habes, quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis?* generatim vetant, ne quis de quocumque dono glorietur, non solum supernaturali, sed etiam naturali, puta ingenio, industria, eloquentia etc. Atqui ex hoc non sequitur, hominem non posse sibi per liberum arbitrium bona naturalia comparare, aut bene uti acceptis, de quibus tamen gloriari non potest, quia a Deo potestatem accepit bona illa comparandi, vel bene utendi acceptis. Ergo ex eo quod Apostolus omnem gloriationem nostram de donis supernaturalibus prohibet, non sequitur, hominem per liberi arbitrii vires iis bene uti non posse.

℟. 1.° *Neg. maj.* ait enim Augustinus *Lib. de Praedest. Sanct. cap.* 5. *Non se ille, quem coërcebat Apostolus, adversus pecus inflabat, aut adversus hominem* el-

alterum de aliquo naturali munere, quod inesse potest et pessimo: sed aliquod bonum, quod pertineret ad vitam aeternam, sibi non Deo tribuens, inflabatur, quando audire meruit: Quis te discernit? Quid autem habes, quod non accepisti?

℟. 2.° *Conc. maj. neg. min.* Dona enim naturalia, si considerentur quoad ipsum habitum, nemo potest sibi comparare, sed a Deo cum ipsa natura accepit; quis enim sibi bonum ingenium comparaverit? Si vero quoad actum, et usum, nemo iis bene utitur, hoc est ad eum finem, ad quem a Deo data sunt, sine gratia; ideoque si ipse per liberum arbitrium efficacem redderet gratiam, ut bene donis naturalibus uteretur, jam se ipse ab alio discerneret. Ergo etc.

Inst. Quamvis Angeli boni, ut *Lib. V.* diximus, non aliam acceperint gratiam, quam sufficientem, atque versatilem, nemo tamen dixerit, illos se discrevisse a malis, aut potuisse in se, et non in Domino gloriari. Ergo etc.

℟. *Dist. ant.* Angeli boni acceperunt gratiam versatilem ad nutum voluntatis suae, per gratiam habitualem in bonum propensae, et a malo abhorrentis, nullis concupiscentiae fluctibus jactatae, *conc.* Secus, *neg.* Vide quae ibi diximus.

Objic. II. Ipse Deus *Is. V.* 4. de Israelitis, sub vineae allegoria conqueritur; *Quid est, quod debui ultra facere vineae meae, et non feci? .... expectavi, ut faceret uvas, et fecit labruscas.* Sed haec querela non videretur justa, nisi gratia fieret efficax a consensu voluntatis; poterant enim illi respondere, debuisti uberius, et efficax praebere auxilium, quod voluntatem nostram moveret. Ergo.

℟. *Neg. min.* Gratia enim efficax nulli prorsus a Deo debetur, sed ex ejus misericordia tribuitur. Ex culpa autem hominis fit, ut gratia sufficiens effectu suo careat, saltem remoto, quo posset homo per orationem potentius auxilium obtinere. Imo nec ipsa gratia sufficiens ulli debetur; itaut etiam ex eorum sententia, qui docent, nonnullis obduratis omnem gratiam, etiam sufficientem denegari, non posset homo de Deo conqueri, quasi impossibilia ei praeceperit, ut suo loco videbimus.

Adde

Adde his, verba *Isaiae* ad litteram intelligenda esse de gratiis externis, quibus Deus Israelitas abunde cumulaverat, ut ex contextu patet.

Objic. III. Licuit, semperque licebit Theologis clarius dogmata fidei explicare rationibus ad captum fidelium accommodatis. Injuste ergo ex novitate doctrinae rejicitur systema Molinianum.

R. *Dist. ant.* Illaeso antiquo dogmate, *conc.* Eo immutato, ac destructo, vel novo dogmate invento, quod veteribus ignotum fuit, *neg.* In rebus ad religionem pertinentibus sola doctrinae novitas nota falsitatis est. Christus enim, ut in *Dissert. Prodr. Cap. I.* monuimus, doctrinam suam non a seipso inventam, sed a Patre acceptam, docet, *Joan. VII.* 16. *Mea doctrina*, inquit, *non est mea, sed ejus, qui misit me.* Et *Jo. XII.* 49. *Ego ex meipso non sum locutus, sed qui misit me Pater, ipse mihi mandatum dedit, quid dicam, et quid loquar. Et scio quia mandatum ejus vita aeterna est. Quae ergo ego loquor, sicut dixit mihi Pater, sic loquor.* Nec aliud se docere professi sunt Apostoli, nisi quod a Christo acceperant, et a Spiritu Sancto, qui eos docuit *omnem veritatem. Non possumus quae vidimus, et audivimus non loqui. Act. IV.* 20. *Quod vidimus, et audivimus, annunciamus vobis. I. Joan.* 1. 3. Apostolorum successores, quae ab illis acceperant, docuerunt. *Apostolos Domini habemus auctores, qui nec ipsi quidquam ex suo arbitrio, quod inducerent, elegerunt, sed acceptam a Christo disciplinam fideliter nationibus assignaverunt*, inquit Tertullianus *De Praescript. Cap.* 6.

Denique eandem ingressi sunt viam Ecclesiae Doctores, quorum testimonia hic congerere, non esset difficile, si instituti brevitas pateretur. Praeclare Lirinensis *Commonit. I. cap.* 37. *Eadem, quae didicisti, doce, ut cum dicas nove, non dicas nova.*

At *Molinae* systema non solum novum est, ut ipse fatemur, quod ad illud explodendum sufficeret, sed etiam contrarium Scripturae, et Patribus, praesertim *Augustino*, ut fatetur Molina *loc. sup. cit.* et confirmat *Bellarminus* ejusdem Societatis Theologus *Lib. I. de Grat. et lib. arb. cap.* 12. ubi haec habet: *Haec opinio aliena*

est

est omnino à sententia etiam divinarum Scripturarum: et productis Scripturae, et Augustini locis, subjungit: *Denique haec opinio evertit omnino fundamentum praedestinationis divinae, quam S. Augustinus ex sacris litteris solidissime comprobavit . . . omitto, quod esset abuti vocabulis vocare gratiam efficacem, eamque à sufficienti distinguere, si nulla omnino in ipsa gratia distinctio est.* Qui enim distingueret lucem in sufficientem, et efficacem, eo quod alter oculos claudat, alter aperiat?

Quod autem clare explicet, ut *falso supponunt* adversarii, mysterium praedestinationis, et gratiae, non modo systema illud non juvat, alioquin Arianorum, Sociniaporum, Nestorianorum, Sacramentariorum systemata, quae clarius explicant mysteria fidei, praeferenda essent catholicae doctrinae; sed etiam hoc ipsum est falsitatis argumentum. Apostolus enim clamat, mysterium praedestinationis, et gratiae esse rationi impervium. Contra ea contendit *Molina*, rem esse in suo systemate explicatu facillimam: ergo *Molinae* opinio Apostolicae doctrinae contraria est. Quapropter ipsi Jesuitae ex decreto *Claudii Aquaviva* anno MDCXIII. jussi sunt non aliud defendere systema de gratia efficaci, nisi quod inventum est a *Congruistis*, quorum nunc exponenda opinio est.

§. II.

Exponitur, et refellitur systema Congruistarum.

Adv. Franciscus Suarez e Societate Jesu Theologus, ad declinandam Theologorum Catholicorum offensionem, Molinae systema hoc pacto temperavit *Lib. III. de Auxiliis grat. cap.* 14. Deus, inquit, ab aeterno per scientiam *mediam* (de qua diximus *Lib. III. Cap.* 13.) praevidit, quid creata voluntas factura esset sub gratia versatili, si haec in variis rerum circumstantiis magis, vel minus congruis tribueretur; *ex. gr.* si gratia versatilis peccatori daretur, cum sanus est, bonis affluens, et in proxima versatur occasione peccandi; vel contra cum fractus viribus, aeger, publicis flagellis terrefactus, absens

ab

ab occasione peccandi. Cum ergo decernit Deus mutare cor hominis, gratiam versatilem illi praebet in congruis illis circumstantiis, in quibus praevidit, eum sine dubio consensurum: atque ita gratia ex circumstantiis magis congruis efficax est, et certissimum habet effectum. Idcirco haec gratia dicitur *congrua*; ejusque systematis patroni, *Congruistae*.

PROPOSITIO.

Gratiae efficacitas repetenda non est ex consensu voluntatis, a Deo per scientiam mediam praeviso sub certis, et congruis circumstantiis.

Prob. I. *ex Scriptura*, 1.° Nulla minus congrua excogitari potest circumstantia, quam cor lapideum, sive obduratum; qui enim eo delapsi sunt, quo magis incitantur ad bonum, vel corripiuntur, etiam per miracula, eo magis obdurescunt; ut exemplo *Pharaonis* perspicuum est. Atqui gratia efficax aufert cor lapideum, et dat cor carneum, sive flexibile, ac docile, ut ait Dominus *Ezech. XXXVI.* 26. *Auferam cor lapideum de carne vestra; et dabo vobis cor carneum, et Spiritum meum ponam in medio vestri, et faciam ut in praeceptis meis ambuletis.*

2.° Multa in Scripturis exempla occurrunt eorum, qui in circumstantiis minime omnium congruis vocati, cito ad Deum conversi sunt, ut Matthaei, in telonio, Latronis in cruce, c etc. Sed instar omnium sit ipse Apostolus Paulus, qui tunc vocatus, et conversus, et ex persecutore Apostolus Christianae religionis effectus est, cum maxime furens in Christianos, a principibus Sacerdotum libellos afferebat Damascum *Act. IX.* De quo Augustinus *Lib. I. ad Simplic. Q.* 2. *Quid volebat*, inquit, *Paulus, nisi ut invaderet, et traderet, vinciret, et necaret Christianos? Quam rabida voluntas, quam furiosa, quam caeca! Qui tamen una desuper voce prostratus, occurrente utique tali viso, quo mens illa, et voluntas refracta saevitia retorqueretur, et corrigeretur ad fidem.* Ac ne quis forte dicat, singulare id fuisse Pauli privilegium, obstat idem Apostolus,

qui in Epistola ad Timotheum *I. Cap. I.* 15. ait, se propositum fuisse ut exemplar aliorum peccatorum, qui vocandi, et convertendi essent. *Fidelis sermo, et omni acceptione dignus: quod Christus Jesus venit in hunc mundum peccatores salvos facere, quorum primus ego sum. Sed ideo misericordiam consecutus sum; ut in me primo ostenderet Christus Jesu omnem patientiam ad informationem eorum, qui credituri sunt.* Licet enim gratia non soleat uno ictu peccatores prosternere, et convertere, ut Paulum; tamen sicut in illo nihil valuerunt circumstantiae congruae, sed sola vis gratiae; ita etiam in aliis. Et si in illo gratiae vis in circumstantiis minime congruis operata est, illaeso libero voluntatis arbitrio; inutilis est congruistarum opinio, quae ad hoc potissimum conficta est, ut gratia cum hominis libertate conciliaretur.

Prob. II. ex Patribus, praesertim *Augustino*, cujus sola in hac causa sufficeret auctoritas, ut supra diximus. Ait enim *Hom. XXIII. inter L. Adulter non fuisti in illa vita tua praeterita, plena ignorantiae, nondum illuminatus, nondum bonum, malumque discernens, necdum credens in eum, qui te nescientem regebat. Hoc tibi dicit Deus: regebam te mihi, servabam te mihi. Ut autem adulterium committeres; suasor defuit: ut suasor deesset, ego feci. Locus, et tempus defuit: ut haec deessent, ego feci. Adfuit suasor, non defuit locus, non defuit tempus; ut non consentires, ego feci. Agnosce ergo gratiam ejus; cui debes etiam quod non admisisti.* Ubi aperte ostendit, gratiae Dei deputandum esse non solum, quod circumstantiae congruae sint, verum etiam quod in circumstantiis minime congruis, cum scilicet adest peccandi suasor, et locus, et tempus, tamen fortiter a peccato declinemus. Adde Prosperum *Carm. de Ingrat.*

At vero omnipotens hominem cum gratia salvat;
Ipsa suum consummat opus, cui tempus agendi,
Semper adest quae gesta velit; nec moribus illi
Fit mora, nec causis anceps suspenditur ullis.

Prob. III. *ratione.* 1.° Homo sanus gratiam habuit, qua

qua nulla fingi, aut excogitari potest magis congrua. Ergo si in iis circumstantiis maxime congruis gratia non fuit efficax; absurdum est asserere, eandem in homine infirmo, et in profundum malorum demerso, ex congruis circumstantiis efficacem fieri.

2.° Opinio Congruistarum tamquam fundamento nititur *scientiae mediae*; qua fingunt, Deum futura conditionata ab aeterno cognoscere. Atqui hujusmodi scientiam *Lib. III. cap.* 13. §. 4. demonstravimus esse fictitiam. Ergo.

3.° In systemate *Congruistarum* non secus ac in *Molinae* systemate gratia non nisi ex consensu voluntatis est efficax. Eadem ergo argumenta adversus illud, quae adversus Molinistas valent. Adde his, indignum esse Deo, de quo dicitur *Prov. XXI.* 1. *Cor. regis in manu Domini, quocumque voluerit inclinabit illud,* non posse voluntatem humanam pro lubito suo movere; sed explorandas ei circumstantias, in quibus consensura sit, non secus ac subditi faciunt, cum aliquid a Principe petituri sunt. Ergo.

Solvuntur objectiones.

Objic. Christus *Matth. XI.* 21. sic Corozaitas, et Bethsaitas objurgat. *Vae tibi Corozain, vae tibi Bethsaida: quia si in Tyro, et Sydone factae essent virtutes, quae factae sunt in vobis, olim in cilicio, et cinere poenitentiam egissent.* Quibus verbis non solum civitatibus illis incredulis exprobrat miracula, et signa externa, ut nonnulli Theologi respondent ad eludendam argumenti vim, sed etiam interiorem gratiam, quam in vacuum receperat; absurdum est enim dicere, Tyrios, et Sydonios solo aspectu miraculorum Christi sine interiore gratia poenitentiam fuisse acturos. Ergo una, eademque gratia, quae in aliquibus non habet effectum, ideoque sufficiens est, in aliis est efficax. Sed haec operandi varietas nonnisi a variis repetenda est circumstantiis. Ergo.

℟. Huic argumento, cui maxime fidunt *Congruistae*, aliter *Augustiniani* Theologi, aliter *Thomistae* respondent pro diverso utriusque Scholae systemate. Thomi-

stae

stae enim, qui gratiam efficacem *specie* a sufficienti distinguunt, respondent *negando consequentiam*, nempe unam eandemque gratiam, quae fuit in Corozaitis, et Bethsaitis sufficiens, futuram fuisse in Tyriis, et Sydoniis efficacem; hoc enim in eorum systemate repugnat. Quare docent, Tyrios, et Sydonios fuisse convertendos per gratiam potentiorem, seu efficacem, si vidissent Christi miracula, quae Corozaitas, et Bethsaitas gratia tantum sufficienti adjutos non fregerunt. Quaerenti autem, quomodo justa fuerit Christi exprobratio respondent, sat is ad hoc esse, quod ipsi per gratiam sufficientem converti potuissent, quodque sua ipsorum culpa negatum ipsis fuerit auxilium efficax, quo reipsa poenitentiam egissent.

Theologi vero *Augustiniani* respondent *concedendo consequentiam*, nempe unam, eandemque gratiam, quae Judaeos non movit, moturam fuisse Tyrios, et Sydonios, negant tamen, eam operandi varietatem nonnisi ex circumstantiis variis esse repetendam. Nimirum inquiunt, ut fusius infra explicabimus, gratia efficax non specie, sed gradibus a sufficienti distinguitur; ideoque eadem gratia, cui unus corde durior resistit, alium minus obduratum flectit: sicut idem ignis liquefacit ceram, qui liquefacere ferrum non valet: eo tantum discrimine, quod ignis agit necessario, gratia vero libere; ita ut, quamvis gratia cupiditate superior sit, possit tamen gratiae voluntas resistere, ac vicissim, quamvis cupiditas vehementior sit, gradibusque gratiam superet, possit voluntas gratiae consentire ut uberius suo loco adversus haereticos demostrabimus. Hinc Augustinus *Lib. de Dono Persev. cap.* 14. *Non erant ergo*, inquit, *sic excaecati oculi, nec sic obduratum cor Tyriorum, et Sydoniorum, quoniam credidissent, si qualia viderunt isti signa vidissent.*

Quapropter utramque responsionem conjungendo juxta Scholasticorum formulam. ℟. *Trans. cons. et nego subsumt.* Dixi *transeat cons.* quia pro varia Thomistarum, et Augustinianorum doctrina et concedi, et negari potest. Dixi autem *neg. subsumt.* scilicet inde sequi, ut efficacitas gratiae a circumstantiis oriatur, quia sive cum Thomistis affirmes, gratiam Tyriorum futuram

fuis-

fuisse ex occulto Dei judicio alterius generis; sive cum Augustinianis eandem, sed moraliter diversam propter minorem illorum duritiem; semper tamen efficitur, ut non ex circumstantiis, sed ex intima vi gratia fuisset efficax in Tyriis, atque Sydoniis.

Inst. 1.° Ergo gratia in Augustianorum systemate ex circumstantiis magis congruis efficax est; minor enim cordis duritia Tyriorum, et Sydoniorum erat circumstantia magis congrua, ex qua illi poenitentiam egissent.

℟. *Neg. seq.* Sicut enim causa, cur cera liquefiat eo igne, quo non liquescit ferrum, non est minor cerae durities, sed ingenita igni vis, ita causa cur gratia cor minus durum emolliat; non est minor duritia, quae licet minor sit, non est tamen dispositio ad poenitentiam; sed ipsa gratiae vis, et efficacia. Nam si Deus cor durius frangere vellet, daret etiam gratiam, qua illud certissime immutaret. Unde subdit idem Augustinus *loc. cit. Nec istis* (Judaeis) *obfuisset quod non poterant* (moraliter) *credere, si ita praedestinati essent, ut eos caecos Deus illuminaret, et induratis cor lapideum auferret.*

Inst. 2.° *Augustinus* gratiam, qua Tyrii conversi essent, *congruam* appellat. Ait enim *loc. cit. Ex quo apparet, habere quosdam in ipso ingenio divinum naturaliter munus intelligentiae, quo convertantur ad fidem, si congrua suis mentibus, vel verba audiant, vel signa conspiciant.* Et *Lib. I. ad Simplic. Q. 2. Illi electi, qui congruenter vocati: qui autem non congruebant, nec contemperabantur vocationi, non electi, quia non secuti, quamvis vocati .... quia etsi multos vocet, eorum tamen miseretur: quos ita vocat, quomodo eis aptum est, ut sequantur.* Ergo gratiae efficaciam ex congruis repetit circumstantiis.

℟. *Dist. ant.* Gratiam, quae conversionem operatur, vocat *Augustinus* congruam, propter ipsius gratiae vim, quae duro cordi frangendo apta est, *conc.* Propter circumstantias, *neg.*

Inst. 3.° At contra *Augustinus* gratiam illam, quae conversionem operatur, *congruam* vocat non ex insita ejus virtute, sed ex naturalibus, et exterioribus circumstantiis. Ait enim 1.° *habere quosdam in ipso ingenio di-*

divinum naturaliter munus intelligentiae. En prior naturalis circumstantia. 2.° ait, ex eo naturali ingenio fore, ut convertantur ad fidem, si congrua suis mentibus vel verba audiant, vel signa conspiciant; en altera circumstantia praedicationis, et signorum, quae exteriora tantum sunt adjumenta, quibus mens gratia sufficienti excitata convertatur ad fidem. Ergo etc.

℟. *Neg. ant.* Si enim laudata verba sic crude accipiantur, ut sonant, seorsim a praecedentibus, et consequentibus *Augustini* verbis, vicissent Pelagiani, fatendumque esset, hominem ex naturalibus ingenii viribus, sine ulla gratia, converti ad fidem, si congruam audiat Evangelii praedicationem, vel signa conspiciat; quo nihil absurdius, et magis *Augustino*, et catholicae fidei contrarius. Verba igitur S. Doctoris intelligenda sunt de naturali ingenio, et signis exterioribus non sejunctis ab auxilio potentissimo, quod Deus licet praebere possit, et aliquando praebeat sine exterioribus adjumentis, tamen praebere non solet, nisi ista praecedant tamquam extrinsecus proposita prudentis conversionis argumenta, ut ita unaquaeque causa modo suo concurrat ad id exequendum, quod ipse ab aeterno disposuit. Ideo praedicari jubet, admonere, corripere; non quia verba extrinsecus sonantia mentem ad meliora convertant, sed quia sine externis hisce divini luminis radiis fere numquam ipse per gratiam operatur interius. *Cum homines per correptionem in viam justitiae seu veniunt, seu revertuntur, quis operatur in cordibus eorum salutem, nisi ille, qui quolibet plantante, aut rigante . . . . dat incrementum Deus, cui volenti salvum facere nullum hominis resistit arbitrium?* inquit idem Augustinus *Lib. de Corr. et grat. cap.* 14.

Scholion.

Quamquam *Congruistarum* systema a *Moliniano* non differat, cum in utroque gratia efficax evadat ab eventu, sive ex consensu voluntatis; putant tamen ejus fautores, evadere se posse temperamento illo loca Scripturarum, quibus Molinae opinio funditus evertitur. *Non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei*

Quis

Quis te discernit? etc. Ajunt enim ipsi non est volentis hominis, sed miserentis Dei, qui gratiam in circumstantiis praebet congruis, alioquin effectu carituram. Sed falluntur, et fucum faciunt. Vel enim naturales illae circumstantiae voluntatem movent, aut disponunt, vel secus. Si primum dicas, causa aut dispositio naturalis effectum, aut *formam* supernaturalem producunt, quod absurdum est. Sin alterum; eadem redeunt incommoda, quibus evertitur Moliniana machina. Quod si contendas, congruas illas circumstantias esse dispositiones *negativas*, quae scilicet impedimenta removeant, jam et hoc commentum supra refutavimus.

§. III.

Augustinianorum, et Thomistarum doctrina exponitur, ac defenditur.

Adv. I. Theologi, qui se *Augustinianos* profitentur, etsi in aliquibus a *Thomistis* discrepent (*a*), in eo tamen utrique consentiunt, gratiae efficaciam in hoc statu ab omnipotentissima Dei voluntate repetendam esse, quae voluntatem hominis in malum pronam, ad quodlibet opus bonum, quod ad salutem pertinet vitae aeternae, *physice* movet, ac flectit.

II. Huic sententiae, quam per tot saecula in Scholis Catholicis propugnatam, nemo unus vel in Tridentino Concilio, vel ante *Molinam* censura ulla notare ausus erat. Calvinismi calumniam primi omnium impingere veriti non sunt Molinistae; ut vicem *Bannesio* rependerent, qui *Molinam* Pelagianismi accusaverat: quod Molinae socius ingenue fatetur *Ripalda*. Sed cum Thomistarum doctrinam ab omni erroris suspicione liberaverint S. Pontifices, imprimis Alexander VII. *Epist. ad* Po-

(a) Hiacyntus Serry in Libro, cui titulus, *D. Augustinus D. Thomae conciliatus* ostendere conatur, *Augustini* doctrinam non differre a systemate Thomistarum; quod et facit Auctor Operis *de actione Dei in creaturas.* Nos potius *S. Thomam* cum *S. Augustino* conciliamus.

Lovaniens. anno MDCLX. Innocentius XI. *Epist. ad eosd. Lovan.* anno MDCLXXIX. Benedictus XIII. duabus *Brev. Epistolis*, altera anno MDCCXXIV. altera anno MDCCXXVII. in quibus seipsum ejus sententiae adsertorem publice professus est; non patiemur panico terrore nos a Scripturarum, et Patrum constanti doctrina dimoveri.

III. Ceterum nonnulli ex *Augustinianis*, ut hanc calumniam omnino declinarent, posuerunt, gratiam intrinsecus quidem esse efficacem; eam tamen *non physice*, sed *moraliter* voluntates hominum trahere; eo quod tantam inspiret Deus boni delectationem, ut ea illecta voluntas ipsa certissime se moveat, ac flectat. Hanc sententiam post alios tuetur *Ludovicus Habert.*

PROPOSITIO.

In statu naturae lapsae efficacia gratiae oritur ab omnipotentissima Dei voluntate, quae voluntatem nostram physice, et proprie movet ad bona opera ordinis supernaturalis.

Prob. I. *ex Scriptura.* 1.° Promisit Deus *Ezech. XXXVI.* 26. se non modo facturum, ut bonum operemur; verum etiam ipsam voluntatem nostram, quamvis duram, et rebellem, in bonum conversurum. *Dabo*, inquit, *vobis cor novum ...... Auferam cor lapideum de carne vestra, et dabo vobis cor carneum ... faciam ut in praeceptis meis ambuletis, et judicia mea custodiatis, et operemini.* Atqui non hoc promisisset Deus, si ipsa hominis voluntas seipsam gratia versatili mutaret in bonum. Ut enim arguit Augustinus *Lib. de praedest. Sanct. cap.* 10. *Promisit* (Deus) *quod fuerat ipse facturus, non quod homines.* Et *Lib. de Spir. et lit. cap.* 24. *Non enim ipse promittit, et alius facit; quod jam non est promittere, sed praedicere*; et absurde prorsus diceretur Orator dare auditoribus cor novum etc. eo quod captatis congruis circumstantiis, ita loquatur, ut persuadeat. Ergo etc.

2.° Apostolus *Philipp. II.* 12. *Cum metu*, inquit, *et tremore vestram salutem operamini. Deus est enim*, qui

qui operatur in vobis et velle, et perficere pro bona voluntate. Atqui si Deus non moveret ipse hominis voluntatem per intimam gratiae virtutem, nec ipse dici posset operari in nobis velle, nec nos ullo timore concuti deberemus; quis enim timeat, qui sciat, se cum ei libuerit, efficacem redditurum gratiam, quae semper adest? Ergo etc. Hinc Augustinus *Lib. de dono perseo. cap.* 13. *Nos ergo volumus, sed Deus operatur in nobis et velle: nos ergo operamur, sed Deus est, qui operatur in nobis et operari pro bona voluntate. Hoc nobis expedit et credere, et dicere, hoc est pium, et verum, ut sit humilis, et submissa confessio, et totum detur Deo.*

3.° Idem Apostolus operationem divinae gratiae sit esse ex potentia Dei, mortuos suscitantis; imo novam esse creationem *Ephes. II.* 5. *Cum essemus mortui peccatis, convivificavit nos in Christo ... et conresuscitavit ... ut ostenderet in saeculis supervenientibus abundantias divitiae gratiae suae in bonitate super nos in Christo Jesu. Gratia enim estis salvati per fidem, et hoc non ex vobis: Dei enim donum est ...... Ipsius enim sumus factura, creati in operibus bonis, quae praeparavit Deus, ut in illis ambulemus.* Atqui absurdum esset dicere, nos esse a Deo resuscitatos, et creatos in operibus bonis, si non ipsa Dei omnipotentissima virtus nostrum flexisset arbitrium. Ergo etc. Hinc Chrysostomus *Hom. III. in Epist. ad Ephes. Eadem*, inquit, *potentia, qua Christum suscitavit, nos quoque ad se traxit.* Et Augustinus *Enar. in Psal. XVIII. Non solum homines, sed etiam justos ipse fecit nos.* Cui concinit Prosper *Epist. ad Rufin. cap.* 12. *Sicut ipse fecit nos, et non ipsi nos, ita ipse refecit nos, et non ipsi nos.* Et *Carmine de Ingrat. cap.* 4.

. . . . Mutans intus mentem, atque reformans
Vasque novum ex fracto fingens virtute creandi.

4.° Homines gratia Dei dicuntur trahi, atque agi, sive impelli. *Joan. VI.* 44. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum*: Et *Rom. VIII.* 14. *Quicumque enim spiritu Dei aguntur, ii sunt filii Dei*

Dei. Atqui immerito trahi, atque agi spiritu Dei diceremur, nisi ipse nos Deus omnipotenti sua virtute ex nolentibus volentes faceret. Ergo etc. Apposite Augustinus *Lib. I. ad Bonif. cap.* 19. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum. Non enim ait duxerit, ut illic aliquo modo intelligamus praecedere voluntatem, quis enim trahitur, si jam volebat?... Trahitur ergo miris modis, ut velit, ab illo, qui novit intus in ipsis cordibus hominum operari, non ut homines, quod fieri non potest, nolentes credant, sed ut volentes ex nolentibus fiant.* Et *Lib. de gestis Pelag. cap.* 3. *Procul dubio plus est agi, quam regi; qui enim regitur, aliquid agit, et a Deo regitur, ut recte agat, qui autem agitur, agere aliquid ipse vix intelligitur; et tamen tantum praestat voluntatibus nostris gratia Salvatoris, ut non dubitet Apostolus dicere: quotquot Spiritu Dei aguntur, hi sunt filii Dei. Nec aliquid in nobis libera voluntas melius agere potest, quam ut illi se agendam commendet, qui male agere non potest.*

5.° His addi possunt ea loca Scripturarum, quae cor hominis in potestate Dei esse docent. *Prov. XXI.* 1. *Sicut divisiones aquarum, ita cor Regis in manu Domini, quocumque voluerit inclinabit illud.* Et *Esther XV.* 11. *Convertit Deus Spiritum Regis in mansuetudinem*, cum scilicet plenus furoris esset. Et *I. Reg. X.* 26. Illi secuti sunt Saul, *quorum Deus tetigerat corda.* In quem locum Augustinus *Lib. de Corr. et grat. Cap.* 14. *Si ergo*, inquit, *cum voluerit reges in terra Deus constituere, magis habet in potestate voluntates hominum, quam ipsi suas, quis alius facit ut salubris sit correptio, et fiat in corde correpti correctio, ut caelesti constituatur in regno?*

Prob. II. ex orationibus Ecclesiae, quae tanti sunt ponderis, ut Caelestinus I. *Epist. ad Episc. Galliae* hoc statuat fixum, immotumque principium: *Lex supplicandi legem statuit credendi.* Non enim Ecclesia, quae columna, et firmamentum veritatis est, filios suos falsas orationes edocere potest. Rogat autem Ecclesia Deum pro infidelibus, ut credant; pro fidelibus, ut omnes virtutum actus exerceant, et in bono perseverent. Hinc *Dominica IV. post Pentec.* in *Secreta* Oratione sic

 orat:

orat. : *Ad te, Domine, nostras etiam rebelles compelle propitius voluntates.* Et Dominica V. post Pascha *Largire supplicibus tuis, ut cogitemus, te inspirante, quae recta sunt, et te gubernante, eadem faciamus.* Item Dominica XIII. post Pentec. *Fac nos id amare, quod praecipis, id desiderare, quod promittis.* Similes Ecclesiae preces colligunt multas *Jueninus*, *Berti etc.* Credit ergo Ecclesia, Deum ipsum haec donare, quae ipsa postulat; *nam prorsus non oramus, sed orare fingimus, si nos ipsi, non illum credimus facere quod oramus*, inquit Augustinus *Epist. CCXVII. al. CVII. ad Vitalem.* Atqui inepte prorsus, ac falso Deum nobis donare diceremus, quod ipsi facimus ex gratia versatili omnibus communi, et frustra a Deo postularemus, quod in nostra esset potestate; nempe ut per adsensum nostrum Dei gratiam redderemus efficacem. Ergo etc. Idem concludi potest ex gratiis, quas Deo agimus pro bonis operibus, quas aut in nobis, aut in aliis cernimus. Non enim sincere Deo gratias ageremus, nisi illum crederemus donasse, ac fecisse. Vide Augustinum *cit. Epist. ad Vital.*

Prob. III. Ex *Augustino*, quem *Molina* quidem ingenue fassus est, sibi esse contrarium; at *Congruistae* ne tanto auctoritatis pondere opprimerentur, in partes suas trahere frustra conati sunt: 1.° enim docet, gratiae efficacitatem ab omnipotentissima esse Dei potestate repetendam. Sic *Lib. de Corr. et grat. cap.* 14. *Deo volenti salvum facere nullum hominis resistit arbitrium. Sic enim velle, et nolle in volentis, et nolentis est potestate, ut divinam voluntatem non impediat, nec superet potestatem.* Et mox ... *Sine dubio habens humanorum cordium, quo placeret, inclinandorum omnipotentissimam potestatem.* Et *Lib. de Gratia Christi cap.* 24. ait: *Interna, et occulta, mirabili, atque ineffabili potestate operari Deum in cordibus hominum non solum veras revelationes, sed bonas etiam voluntates.* Asserere autem cum *Molinistis*, et *Congruistis* apud *Tournely*, ideo voluntates nostras moveri ab omnipotentissima Dei potestate, quia gratia versatilis est donum, quod Deus sua omnipotentia largitur, prorsus desipere est. Non enim ait Augustinus *posse velle* (quod est a gratia

tia versatili) sed *velle* ipsum , esse ab omnipotentissima Dei potestate , quae voluntatem nostram , quo ei placet , inclinat , et ex rebelli , et reluctante volentem facit. Ergo.

2.° Idem S. Doctor *Lib. de Corr. et gratia cap.* 12. in eo statuit discrimen inter gratiam Adae innocentis , et hominum in hoc depravato naturae statu, quod ille quidem ex gratia haberet *posse* , nec unquam ait, voluntatem ejus ab omnipotentissima Dei voluntate actam; isti vero non solum potentiam , sed ipsam bonam voluntatem , gratia Dei *indeclinabiliter, et insuperabiliter* (a) operante accipiant : *Ut quoniam non perseverabunt , nisi et possint , et velint ; perseverandi eis et possibilitas, et voluntas divinae gratiae largitate donetur. Tantum quippe Spiritu Sancto accenditur voluntas eorum, ut ideo possint , quia sic* (flagranter) *volunt, et ideo sic velint, quia Deus in eis operatur, ut velint.* Vide alia ejusdem loci verba superius *Cap.* 6. recitata , quibus nihil praedicari poterat apertius. Ergo.

3.° Ne quis autem putet, *Augustinum* alibi aliter docuisse (excepto eo tempore, quo ante Episcopatum cum Semipelagianis errabat , ut ipse fatetur) constantissime docet , Deum in nobis operari efficacissima sua voluntate , praeter volendi *possibilitatem*, ipsum *velle*, *et perficere. Serm. LVI. cap.* 5. *Quod fit a te, ipse Deus facit in te ; numquam fit a te quod non ipse facit in te.* Et *Lib. de grat. et Lib. arb. cap.* 16. *Certum est, nos velle cum volumus, sed ipse facit ut velimus bonum , de quo dictum est .... Deus est , qui operatur in vobis et velle. Certum est , nos facere cum facimus : sed ille facit, ut faciamus, praebendo vires efficacissimas voluntati, qui dixit : faciam ut in justificationibus meis ambuletis.* Item *Lib. de Gratia Chr. cap.* 14. *Non est consequens , ut qui potest venire , etiam veniat, nisi id voluerit, atque fecerit. Sed omnis, qui didicit a Patre,* non

(a) Quo sensu verba ista *indeclinabiliter* , et insuperabiliter usurpet *Augustinus* , ut liberum non neget voluntatis arbitrium , dicemus inferius.

non solum potest venire, sed venit Joan. VI. *ubi jam et possibilitatis profectus, et voluntatis affectus, et actionis effectus est.* Vide quam vigilanter *posse*, *velle*, et *agere* distinguat, et omnia Deo operanti tribuat. Et ut alia omittamus, *Lib. de grat. et lib.arb.cap.*5. *Ut de Caelo vocaretur* (Paulus) *et tam magna, et efficacissima vocatione converteretur, gratia Dei erat sola.* Quod autem Augustinus gratiam Dei fuisse *solam* dixerit non eo sensu, quo putat *Tournely*, quod scilicet illa dumtaxat animi motum non deliberatum produxerit, patet ex ipsis *Augustini* verbis, quibus ait, in conversione Pauli, quae utique deliberata fuit, gratiam Dei fuisse solam. Quod sapienter est a *Bellarmino* observatum *Lib. I. De grat. et lib.arb. Cap.*14.

Prob. IV. ex Patribus *Augustino* antiquioribus, ne quis cum Molinianis, imo et Semipelagianis, *Augustini* doctrinam fuisse novam calumnietur. Licet enim veteres, nondum exorta Pelagiana haeresi, strictim, et veluti per transennam, quid de gratia sentirent, attigerint, ut observat Augustinus *de Praedest.Sanct. Cap.* 14. non tamen omnino, quantum Dei gratia valeret, et quomodo ageret, siluerunt. 1.° Tertullianus *Lib. de anima Cap.* 21. *Gratia*, inquit, *potentior est natura, habens in nobis subjacentem sibi liberam arbitrii potestatem.* 2.° Cyprianus *Epist. LXXVII. Dominus adjuvat dimicantes, vincentes coronat ..... remunerans in nobis quidquid ipse praestitit, et honorans quod ipse perfecit.* Et *Lib.III. ad Quirin. Cap.* 4. *In nullo gloriandum, quando nostrum nihil sit.* 3.° Basilius *Lib. de Spir. San. cap.* 8. *Cum ait Apostolus: in his omnibus superamus propter eum, qui dilexit nos, indicat auxilium, quod per imperium suae potentiae operatur in nobis.* 5.° Ambrosius *Lib. I. de fuga Saec. Cap.* 1. *Non est in potestate nostra cor nostrum, et nostrae cogitationes*: et *Lib. VII. in Luc. Si voluisset* (Deus) *ex indevotis devotos fecisset.* Ceteros omittimus. Ergo etc.

*Prob.*V. ex Patribus *Augustino*, et Pelagiana haeresi posterioribus. 1.° *Prosperi* testimonia supra produximus. 2.° Fulgentius *Lib.I. de veritate Praedest. cap.* 15. *Ista gratia*, inquit, *quam Deus vasis misericordiae gra-*

gratis donat . . . . hominis voluntatem non bonam invenit, sed facit . . . neque suscipitur, aut diligitur, nisi hoc ipsa in corde hominis operatur: ergo et susceptio, et desiderium gratiae, opus ipsius est gratiae. Similia habet *Lib. I. ad Monim. cap.* 14. 3.° Remigius Lugdunensis *Lib. de tribus Epist. cap.*38. ex sententia totius Lugdunensis Ecclesiae: *Bonum*, inquit *nostrum totum Dei est, quia totum ex Deo est, et nihil boni nostrum est, quia nihil boni nostri, ex nobis est. Ideo . . . . omne bonum, et totum Dei est donando, et totum nostrum fit accipiendo . . . . totum itaque Deo est tribuendum . . . . dum totum et ab illo inchoatur, et ab illo peragitur.* 4.° *Bernardus* tam acriter internam gratiae virtutem asserit, ut cum alicui negare liberum arbitrium videretur, Librum scripserit *de gratia*, et *libero arbitrio*, quo ita gratiae totum bonum adjudicandum docet, ut non destruatur sub gratia hominis libertas. *Sane*, inquit, *Diabolo nostra nos mancipat voluntas, non ipsius potestas: Deo subjicit ejus gratia, non nostra voluntas.* Sed totus liber legendus est. 5.° De sententia *S. Thomae*, et *Bonaventurae*, quos non solum ut Theologos, sed etiam ut Ecclesiae Doctores suspicere debemus, nullum est dubium. Ergo etc.

Prob. VI. ex consensu omnium Scholarum ante *Molinam*, et solis Molinistis, et Congruistis exceptis, post Molinam, quem quidem consensum unanimem *Laurentius Berti* late demonstrat *Lib. XIII. Cap.* 9. Nam ut ait Melchior Canus *Lib. VIII. de Loc. cap.* 4. *Scholae communem consensum nonnisi impudenter, et temere rejiciemus.* Ergo.

Diluuntur objectiones.

Objic. I. Dogma fidei est a Concilio Tridentino *Sess. VI.* can. 4. definitum. *Si quis dixerit, liberum hominis arbitrium a Deo motum, et excitatum, nihil cooperari assensiendo Deo excitanti, atque vocanti, quod ad obtinendam justificationis gratiam se disponat, ac praeparet, nec posse dissentire, si velit .... anathema sit.*

sit. Atqui posita gratia intrinsecus efficaci, non posset ei voluntas hominis dissentire; alioquin gratia esset efficax sine effectu, quod repugnat. Ergo.

℟. *Neg. min.* Nam 1.° Si anima voluntatem suam ita flectit, ut ei libertatem, et dissentiendi potestatem non adimat, multo magis hoc potest Deus, qui est nobis *intimior intimo nostro*, et magis habet in potestate voluntates hominum, quam ipsi suas, ut loquitur *Augustinus.* 2.° Cum voluntas Dei efficacissima sit, non solum sequitur, ut fiant ea, quae vult fieri Deus, sed etiam ut fiant eo modo, quo vult; ac proinde cum Deus velit, ut volontas nostra libere moveatur a gratia; tantum abest, ut ex efficacissima Dei motione libertas auferatur, quin potius ex illa oriatur, et servetur, quia tunc potius efficax Dei motio frustraretur effectu, si Deus vellet, nos moveri libere, at contra nos necessitate moveremur. 3.° Haec quaestio, ubi de gratia, et libero arbitrio disputatur, adeo est ad discernendum difficilis, ut cum defenditur liberum arbitrium, negari Dei gratia videatur; cum contra defenditur gratia, liberum arbitrium putetur auferri, ut, inquit Augustinus *Lib. de grat. Chr. cap.* 47. Non ergo negandum nobis esset quod apertum est; hoc est hominem a Dei motione intrinsecus efficaci moveri, et tamen libere moveri; quamvis lateret, quod obscurum est, hoc est quomodo secum duo illa conveniant: nam neque in aliis fidei nostrae mysteriis negamus aperta, quia latent obscura. 4.° Ex his, quae *Lib. V. Par. II. cap.* 4. §. 2. diximus; explicare optime possumus, quomodo voluntas gratia Dei intrinsecus efficaci moveatur, et tamen ita libere moveatur, ut dissentire possit. Diximus enim ibi, rationabilem creaturam ad imaginem Dei conditam, in solum finem ultimum, nempe beatitudinem generatim, necessario ferri, quia non potest, nisi in bono infinito conquiescere; instrumenta vero, sive *media* ad illud assequendum, libere eligere sub quacumque Dei motione, excepto lumine gloriae: quia quantumcumque gratia Dei illustretur, et accendatur, remanet tamen semper judicii indifferentia, quo valeat *media* illa, et ipsum Deum, quem nondum beata visione intuetur, men-

mente apprehendere ut noxia, vel inutilia; vel non necessaria ad finem beatitudinis consequendum, quae omnia in lumine gloriae non habent locum; quia eo perfusi beati vident, Deum undequaque bonum esse ipsum ultimum finem, ad quem necessario pondere trahuntur.

Inst. 1.° Quaevis fingatur indifferentia judicii; tamen cum voluntas ab ipsa gratia movetur, non potest non moveri. Ergo.

℟. *Dist. ant*, Non potest non moveri *in sensu composito*, sive *potentia* composita, et conjuncta cum *actu*, idest simul moveri, et non moveri, *conc.* In sensu diviso, sive *potentia* divisa ab *actu*, *neg.* Itaque cum aliquid libere movetur, repugnat non moveri; sicut cum Petrus libere ambulat, repugnat eum non ambulare, cum non possit idem simul esse, et non esse. Sed non repugnat, eum ambulare, habentem tamen non ambulandi potestatem. Sic etiam cum decreverit Deus mundum condere, et conservare, repugnat eum agere contrarium, cum sit immutabilis; non tamen repugnat, eum ita mundum condere, atque servare, ut retineat liberam non creandi, nec servandi potestatem. Pari igitur ratione, cum voluntas hominis ita moveatur a gratia, ut retineat judicii indifferentiam, ideoque potestatem resistendi; repugnat quidem, eam non moveri; cum reipsa moveatur a gratia, sed hoc non efficit, ut non libere, sed necessario moveatur. Pulchre S. *Thomas Q. XXIII. de veritate art.* 5. *ad.* 3. *Quamvis*, inquit, *non esse effectus divinae voluntatis stare non possit cum divina voluntate; tamen potentia deficiendi effectum simul stat cum divina voluntate; non enim ista sunt impossibilia Deus vult istum salvari, et iste potest damnari: sed ista sunt impossibilia, Deus vult istum salvari; et iste damnatur.*

Inst. 2.° Potentia resistendi gratiae intrinsecus efficaci similis est potentiae ambulandi, qua pollet homo vinculis constrictus; posset enim ille ambulare, si vincula solverentur. Atqui hoc est omnino auferre liberum arbitrium. Ergo.

℟. *Neg. maj.* Longe enim dispar est ratio hominis vinculis religati, et gratia Dei moti. In actibus enim a voluntate imperatis, qui scilicet per inferiores poten-

tias

fias fiunt, qualis est ambulatio, potest habere locum coactio; quae tamen in actibus a voluntate ipsa elicitis locum habere non potest: repugnat enim, aliquem nolentem velle. Potest quidem voluntas necessitate agi; sed haec locum habet dumtaxat cum voluntas fertur in ultimum finem, sive beatitudinem generatim, vel in Deum per lumen gloriae clare cognitum; hanc tamen claram, ac beatam cognitionem hic gratia efficax non producit.

Istit. 3.° Posita gratia *physice* movente, voluntas non a se ipsa, sed a gratia movetur. Ergo physica haec gratiae motio voluntati aufert indifferentiam, quam vocant *activam*. Sed haec ad arbitrii libertatem pertinet. Ergo.

℟. *Dist. ant.* Non movetur a seipsa, hoc est suis viribus, *conc.* Non movetur a seipsa, hoc est ipsa nihil agit, *neg. Certum enim est, nos velle cum volumus, sed ille facit, ut velimus bonum, de quo dictum est: Deus est qui operatur in vobis velle*, verba sunt Augustini *loc. sup. cit.* Manet ergo sub gratia *indifferentia activa*, hoc est actio voluntatis indifferens, tantumque aufertur indifferentia suspensa, quam dicunt *suspensivam*, quae ad liberum arbitrium necessaria non est, alioquin Deus, cujus voluntas numquam in utramque partem pendens fuit, sed ab aeterno voluit quidquid voluit, nec mutari potest, libero careret arbitrio.

Inst. 4.° Concilium Tridentinum supra laudatum definit, hominem gratia Dei motum posse dissentire, si velit. Ergo fatendum est, habere hominem sub gratia indifferentiam *suspensam*, qua Deo moventi, et excitanti vel assentiri possit, vel repugnare. Atqui si gratia intrinsecus efficax produceret ipsum voluntatis consensum, jam indifferentia haec suspensa non haberet locum, ut patet. Ergo etc.

℟. *Ad* 1m. *neg. cons.* Sicut enim de homine, qui jam ambulat, vere dixeris: *potest ille non ambulare*, sic de eo, qui reipsa consentit, vere dicimus: *potest ille dissentire*. Ceterum Concilium Tridentinum contra Protestantes coactam damnavit tantum impiam eorum haeresim, qua asscrebant, hominem sub gratia vel nihil omnino agere, instar inanimati instrumenti, vel inclu-

eta-

etabili necessitate operari. At doctrinam Catholicorum omnium Theologorum de *physica* gratiae *praemotione* tantum abest, ut damnaverit, quin potius illam agnoscens ut veram, definivit tantum, ex ea non sequi libertatis interitum. Quod vel ex eo manifestum est, quod Theologi, qui Tridentinis Comitiis adfuerunt, quique proxime secuti sunt, nihil minus *physicam* gratiae motionem defenderunt, quam ii, qui Tridentinum praecesserunt: ita ut vix prolata in publicum *Molinae* opinione, in eam omnes insurrexerint; et in *Congregationibus de Auxiliis* coram Summis Pontificibus veterum doctrinam mordicus tenuerint, novam ut *Semipelagianismum* traduxerint.

Inst. 5.° Potentia, quae numquam in actum erumpit, commentitia est. Talis est potentia dissentiendi, quam sub gratia intrinsecus efficaci remanere dicimus. Ergo.

℟. *Neg. maj.* Potest Deus non facere, quae facere decrevit; libere enim agit. At id numquam fiet, imo nec fieri potest. Potest justus auxiliis gratiae ordinariis omnia vitare peccata venialia, et tamen tantum abest, ut id umquam eveniat, quin Tridentinum definierit; id fieri (moraliter) non posse, ut infra dicemus. Potest quis e turri se praecipitem dare, et tamen donec sanus est, id numquam faciet.

Inst. 6.° Longius recedimus a semitis haereticorum, si gratiam negemus intrinsecus efficacem, et *physice* moventem; faciliusque explicamus, quomodo sub gratia liberum non destruatur arbitrium. Cum ergo doctrina Thomistarum ad fidem non pertineat; satius est, eam sequi sententiam, quae omnia vitat incommoda, et rationi est congruentior.

℟. 1.° *Neg. ant.* Tunc enim potius haereticorum laquaeis implicabimur, si semel eis concesserimus, non posse sub gratia intrinsecus efficaci libertatem arbitrii stare, aut explicari. Probabunt enim illi statim ex Scripturis, Patribus, et omnium veterum consensione insitam gratiae vim, et *physicam* motionem, atque ita ex ipsa confessione nostra sequetur, liberum arbitrium figmentum esse humanum, saltem in actibus supernaturalibus.

℟.

℟. 2.° *Dato antecedenti. Neg. cons. Augustinus* enim docet, Ecclesiae doctrinam de gratia, et libero arbitrio, quam contra Pelagianos asserebat, esse ad discernendum difficilem. Ergo illa opinio, in qua omnis dicitur difficultas evanescere, contraria est *Augustini*, et Ecclesiae Catholicae doctrinae. Hoc est autem inter naturales scientias, et Theologiam discrimen, quod in illis est praeferendum, quod est rationi congruentius; in hac vero, quod est magis Scripturae, et traditioni consentaneum.

Objic. II. Si gratia intrinsecus, et *physice* esset efficax, injusta foret peccatorum correptio, foveretur socordia, tolleretur ardens virtutis studium, curaque salutis; posset enim quisque dicere, se non accepisse gratiam intrinsecus efficacem; cumque illam acceperit, sine dubio bene victurum, et usque in finem perseveraturum, quidquid nunc mali faciat. Ergo haec doctrina rejicienda prorsus est.

℟. *Neg. ant.* Haec enim objectio verus est Semipelagianorum querela, ut patet ex Epistolis *Prosperi*, et *Hilarii* ad *Augustinum*, quam non pudet adversarios recinere. Jubet Deus fieri correptiones, quia licet attingat a fine usque ad finem fortiter, disponit tamen omnia suaviter; ideoque solet occasione praedicationis, et correptionis gratiam peccatoribus elargiri. Ideoque ait Apostolus *Rom. X.* 17. *Fides ex auditu*; non quod auditus sufficiat ad concipiendam fidem, sed quia solet Deus eam occasione auditus infundere. Nec vero correptio injusta est, quia semper culpa, et quidem libera peccantis est transgressio mandatorum sive habuerit ille gratiam sufficientem, quam suo vitio reddit inutilem, sive non habuerit ex justo Dei judicio, et poena praecedentium peccatorum. Studium vero virtutis tantum abest, ut haec doctrina removeat, quin potius: inde et illa fovetur humilitas, quae omnium virtutum fundamentum est, et sanctus pavor; ne forte irascatur Dominus, et pereamus de via justa; qui quidem pavor ad orationem nos compellit, scientes quia Deus est, qui operatur in nobis velle, et perficere.

Scho-

Scholion.

Nonnulli Theologi, duce Thommassino, gratiae efficaciam repetunt ex congerie, et multitudine auxiliorum Dei; quae licet singula voluntatis adsensum minime obtineant; omnia tamen simul conferta, velut facto agmine, voluntatem quamvis rebellem certissime moveant: sicut potest justus singula seorsim venialia peccata vitare, omnia tamen simul moraliter non potest. Sed vel in tota illa divinorum auxiliorum congerie est gratia aliqua, quae vel sola, vel cum aliis voluntatem vi sua moveat, vel nulla est. Si primum, illa erit gratia intrinsecus efficax, *physice* movens. Sin alterum, a commentis Molinianorum opinio illa non distat, et iisdem urgetur incommodis.

Quod vero pertinet ad exemplum venialium peccatorum; non vident homines sane cetera doctissimi discrimen immensum inter peccatum, ad quod liberum arbitrium per se valet, in quod depravata natura caeco pondere fertur; et bonum opus ad salutem pertinens, in quod natura corrupta nequaquam prona est. Ex quo discrimine fit, ut homo, qui uni, aut alteri tentationi resistere poterat, non possit tamen *moraliter* omnibus simul, quae tantum augent innatum pondus in malum, ut sine extraordinario auxilio superari omnes *moraliter* nequeant. At contra ex eadem in malum inclinatione, et pondere fit, ut quantumcumque homo sufficientibus auxiliis muniatur, nisi tamen adsit gratia, quae voluntatem ejus emolliat, et in bonum retorqueat, profecto *deficiens infirmitate nec volet, aut non ita volet infirmitate voluntatis, ut possit; ideoque subventum est infirmitati voluntatis humanae, ut divina gratia indeclinabiliter, et insuperabiliter ageretur.* August. *de Corr. et grat. cap.* 12.

Corollaria.

I. Quoniam quae Deus in tempore operatur, ab aeterno decrevit; sequitur, ut Deus actus hominum liberos ordinis supernaturalis in statu naturae corruptae in ef-

efficaci suo decreto praesciverit; quod nos in *Lib. III. Cap.* 13. docuimus.

II. Cum necessitas gratiae intrinsecus efficacis ex *Augustino* non aliunde pendeat, nisi ex infirmitate voluntatis humanae post Adae lapsum, hinc sequitur quod principio diximus, et *Lib. V. part* 2. *et* 4. uberius ostendimus, Angelos, atque Adam innocentem, qui *nulla concupiscentiae rixa a seipso adversus seipsum turbatus sua secum pace fruebatur*, hujusmodi auxilio non eguisse. Atque hinc *Augustinus* solvit Adrumetinorum, et Massiliensium molestissimam quaestionem; si hodie multi in poenam peccati perseverantiam non accipiunt, quid peccaverant Angeli, atque Adam, qui hoc dono caruerunt? Quae quidem quaestio ex dispari utriusque status gratia facilis expeditu est. Non enim egebant Angeli, non Adam potenti hoc auxilio, quo nunc egemus.

III. Ex eo autem quod Adam, atque Angeli non habuerunt ad perseverandum; nisi versatile auxilium a libero arbitrio pendens, recte infert *Augustinus*, vitam aeternam tunc fuisse mercedem meriti, quae nunc est gratiae beneficium, ut ait Apostolus *Rom. VI.* 23. *gratia Dei vita aeterna*. Non quia gratia tunc erat naturalis conditio, seu naturae proprietas; quo sensu damnata est illa *Baji* propositio (num. 3.) *Et bonis Angelis, et primo homini, si in statu illo permansissent usque ad ultimum vitae, felicitas esset merces, et non gratia*, cum aliis thesibus idem sonantibus; sed quia tunc in libero arbitrio positum erat uti gratia versatili, nunc autem ipsa gratia liberum movet arbitrium. Ceterum neque tunc liberum voluntatis arbitrium excludebat gratiam, neque nunc gratia liberum arbitrium, ideoque etiam tunc vita aeterna gratia dici poterat, et nunc etiam merces juxta illud *Matth. V.* 12. *Merces vestra copiosa est in caelis*. Nunc, quoniam gratiam sua vi, ac potestate intrinsecus efficacem esse demonstravimus, quomodo suum illa effectum certissime operetur, inquirendum est.

CAP.

C A P. IX.

Quomodo Gratia efficax certissime operatur.

Adv. I. Diximus supra *Cap. VI.* gratiae actualis naturam, sive ea sit efficax, sive sufficiens, positam esse in caelesti illustratione intellectus, et motione voluntatis, quod *Augustinus* paucis expressit, definiens gratiam *inspirationem dilectionis, ut cognita sancto amore faciamus. Lib. IV. ad Bonif. cap.* 5. Horum primum *Pelagius* tandem confessus est; alterum ut fateretur, adduci non potuit.

II. Cum autem voluntatis motus, dilectio, charitas, amor, nihil aliud sit, nisi delectatio de eo, quod diligitur, ut observat S. Thomas 1a.2ae. *Q. XXVI. art.* 2. hinc omnes Theologi, qui a Pelagianis semitis declinant, gratiae efficacis vim in caelesti delectatione constituant, necesse est; quam delectationem, qui gratiam intrinsecus efficacem esse docent, volunt esse victricem. Nam qui gratia intrinsecus efficaci *moraliter* dumtaxat voluntatem moveri putant, ii ex consequenti docent, tantam divinitus impertiri voluptatem, ac delectationem boni, qua illecta voluntas certissime retrahitur à malo, ut post alios docet *Ludovicus Habert.* Qui vero praeter moralem motionem voluntatis, putant eam ab efficaci gratia *physice* praemoveri, hanc utique motionem in victrici ponunt delectatione. Cum enim, ut paulo ante diximus, motus voluntatis nihil aliud sit, nisi amor, et delectatio; idem est voluntatem, quae malo ante delectabatur, *physice* movere in bonum, ac inspirare voluntati eam delectationem boni, quae vincat mali delectationem. Hinc *Ludovicus Habert Tract. de Grat. Cap. VI.* §. 7. erudite ostendit, Theologos omnes, Molinistis dumtaxat exceptis, efficacitatem gratiae in victrici delectatione constituere. Sed maxime omnium Thomistae, qui *physicam* Dei *praemotionem*, etiam ad naturales actus necessariam esse docent, utique in efficaci gratia, praeter illam praemotionem, quae omnibus humanis actibus, ut putant, communis est, victricem delectationem agnoscunt, alioquin docere viderentur, eodem modo prae-

mo-

movere Deum ad materiale peccatum, ac ad opus bonum. In praemotione enim ad *materiale* peccatum, jam voluntatem vitio suo in peccatum, quo delectatur, inclinatam praemotio illa supponit. Contra vero in *praemotione* ad opus bonum ipsa gratia boni caelestis delectationem inspirat, quae voluntatem a delectatione mali in bonum flectat. Haec fuse prosequitur *P. Massoulier* in Opere, quod inscripsit *S. Thomas sui interpres. Disp. I. q. VII. art.* 3.

III. Porro illud etiam animadvertendum est, delectationem duplicem distingui in Scholis, *antecedentem*, et *subsequentem*. Antecedens delectatio est ipse amor boni; consequens est quies animi in bono obtento, vocaturque *fruitio*, quae aliquando etiam in inferiores animae potentias, imo et in corpus redundat, ut ait Propheta Psalm. *LXXXIII. Cor meum, et caro mea exultaverunt in Deum vivum*; et *Psal. XXXIV. Omnia ossa mea dicent: Domine quis similis tibi?* Sed nos hic nec de consequenti, nec de derivata illa suavitate ac delectatione agimus, quas constat ad gratiae naturam minime pertinere; tum quia supponunt opus jam per gratiam efficacem perfectum, tum quia non ita semper bona opera comitantur, ut non saepe contrarium accidat.

IV. At Theologi, qui gratiam tuentur intrinsecus efficacem, ideoque ejus naturam in victrici delectatione constituunt, dividuntur in partes duas. Nonnulli enim docent, delectationem hanc esse *absolute victricem*, ita ut quantacumque sit hominis duritia, eam emolliat, et frangat. Alii statuunt, delectationem a gratia efficaci inspiratam esse victricem *relative*, hoc est si minorem inveniat in humano corde duritiam, et cupiditatem; inefficacem vero si majorem: ita ut eadem gratia, et delectatio, quae in uno minus exaecato, atque obdurato victrix est, in alio, cujus cupiditas major est, et vetustate robustior, inefficax sit, et sufficiens. Docent enim, cupiditatem mali, et delectationem boni habere gradus suos, ita ut utraque in uno ferventior, in altero remissior; imo in uno, eodemque homine aliquando vehementior, aliquando remis-

missior sit. Cum itaque ex Apostolo caro concupiscat adversus spiritum, et spiritus adversus carnem si concupiscentia spiritus, seu caelestis delectatio concupiscentiam carnis superat, gratia victrix est, et efficax; quia certissime, quamvis libere voluntatem movebit: sin superet concupiscentia carnis, gratia erit inefficax, atque sufficiens: inefficax quidem, quia vitio hominis effectu caret; sufficiens vero, quia posset delectatione caelesti roboratus animus contrariam concupiscentiam, etiam gradibus majorem coërcere, ac vincere, si vellet; ideoque semper libere aut bonum agat, aut peccet.

V. At *Molinistae* delectationem sive absolute, sive *relative* victricem rejiciunt, priorem quidem quia eadem est cum gratia intrinsecus efficaci; posteriorem vero, quia illam dictitant, ipsissimam esse *Jansenii* doctrinam a summis Pontificibus damnatam, ut videre est apud *Tournely Tom. IV.* ubi tam multa disputat, quae vel patientissimum quemque defatigare possent. Verum per viros doctissimos *Norisium*, *Bertium*, aliosque Augustinianos tanto in lumine collocata res est, ut jam ea criminatio, causa cognita, consenuerit, atque explosa sit.

VI. Nos primo communem constituemus doctrinam de victrici delectatione. Ceterum utrum ea *absolute*, an *relative* sit victrix, quoniam in loco versamur scopuloso, atque difficili, definire nolumus, illud tamen dumtaxat expendemus, an relativa delectatio censuram Theologicam mereatur, ne aut tirones studio partium abripiantur, aut haeresis notam catholicis Theologis temere, et contra Sedis Apostolicae praecepta inurant.

PROPOSITIO I.

Gratiae efficacis natura sita est in caelesti delectatione, eaque victrici, quae contrariam superat carnis concupiscentiam, illaesa tamen arbitrii libertate.

Prob. 1a. *pars.* I. ex Scripturis, quae gratiam exprimunt nomine *dulcedinis, suavitatis, delectationis, unguenti.* Sic 1.° *Psalm. XX. Praevenisti eum in benedictionibus dulcedinis*; quae verba exponens Augustinus *Lib. II. ad Bonif. cap.* 9. *Quid hic*, inquit, *aptius intelligitur, quam ipsa, de qua loquimur, cupiditas boni? Tunc enim bonum concupisci incipit, cum dulcescere coeperit ... Ergo benedictio dulcedinis est gratia Dei, qua fit in nobis, ut nos delectet, et cupiamus, hoc est amemus quod praecipit nobis, in qua si nos non praevenit Deus, non solum non perficitur bonum, sed nec inchoatur ex nobis.* 2.° *Psal. LXXXIV. Dominus dabit benignitatem*, sive (ut legit Augustinus ex versione Itala) *suavitatem, et terra nostra dabit fructum suum.* Et *Ps. CXVIII. Bonitatem*, sive ex Augustino, *suavitatem, et disciplinam, et scientiam doce me.* In quae verba idem Augustinus, *Qui jam dixerat*, inquit, *suavitatem fecisti cum servo tuo, quomodo dicit suavitatem doce me, nisi ut ei gratia Dei magis, magisque innotescat dulcedine bonitatis?* 3.° Cantic. I 2. *Oleum effusum nomen tuum, ideo adolescentulae dilexerunt te.* Ergo etc.

Prob. II. *ex Augustino*, qui millies hanc doctrinam inculcat. Sic *Tract. XXVI in Joan.* in illa Christi verba *Joan VI.* 44. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum*: *Noli*, inquit, *cogitare, te invitum trahi*; *trahitur animus et amore. Si Poetae dicere licuit: trahit sua quemque voluptas: non necessitas, sed voluptas, non obligatio, sed delectatio; quanto magis nos dicere debemus, fortius trahi hominem ad Christum, qui delectatur veritate, delectatur beatitudine, delectatur justitia, delectatur sempiterna vita, quod totum Christus est?* Et *Lib. I. ad Simplic. q.* 2. *Vo-*

Voluntas ipsa nisi aliquid occurrerit, quod delectet, atque invitet animum, moveri nullo modo potest. Hoc autem ut occurrat, non est in hominis potestate. Et *Lib. de Spir. et lit. Cap.* 3. *Nos autem dicimus, humanam voluntatem sic divinitus adjuvari, ut . . . . praeter doctrinam . . . . . accipiat Spiritum Sanctum, quo fiat in animo delectatio, dilectioque summi illius, atque incommutabilis boni, quod Deus est . . . . . . Nam neque liberum arbitrium quidquam, nisi ad peccandum valet* (a), *si lateat veritatis via, et cum . . . . coeperit non latere, nisi etiam delectet, et ametur; non agitur, non suscipitur.* Ergo.

Prob. III. *ratione.* Sicut omnis actus intellectus intellectio est, sive affirmet sive neget; sic omnis actus voluntatis amor est, sive appetat, sive oderit, sive gaudeat, sive tristetur. Unde S. Thomas 1a. 2ae. *Q. XXVII. art.* 6. *ad* 2. *Omnis*, inquit, *actio procedit ex amore tamquam ex prima causa*, unde ait etiam Dionysius *De div. nom. Cap.* 4. *Propter amorem boni, omnia agunt quaecumque agunt*, et Augustinus *Lib. XIV. de Civ. Cap.* 7. *Recta voluntas est bonus amor, et voluntas perversa malus amor. Amor ergo inhians habere quod amatur, cupiditas est: id autem habens, eoque fruens, laetitia: fugiens quod ei adversatur, timor est; idque si acciderit sentiens, tristitia est. Proinde mala sunt ista, si malus est amor: bona, si bonus.* Amor autem nihil aliud est, nisi delectatio, et complacentia objecti; ut late probat S. Thomas 1a. 2ae. *Q. XXVI. Prima immutatio*, inquit (*art.* 2.) *appetitus ab appetibili vocatur amor*; *qui nihil est aliud, quam complacentia appetibilis.* Repugnat enim amari quod displicet. Atqui Deus operatur in nobis velle, ut ait Apostolus *Philip. II.* 13. Ergo delectationem, amorem, et complacentiam boni operatur.

Prob. 2a. *pars*, delectationem scilicet illam esse victricem, quae contrariam carnis concupiscentiam supe-

 ret;

(a) Quod quomodo intelligendum sit, explicamus inferius suo loco.

tet; I. ex iisdem Scripturae, et Patrum locis, quibus gratiam intrinsecus efficacem supra demonstravimus. Si enim gratia vi sua est efficax, ejus autem natura, sive operandi modus in delectatione positus est, sequitur, delectationem illam esse adversae concupiscentiae victricem.

Prob. II. ex Augustino *Lib. de Corrept. et grat. cap.* 11. *Prima* (gratia Adami) *est ut habeat homo justitiam, si velit: secunda ergo plus potest, qua etiam fit ut velit, et tantum velit, tantoque ardore diligat, ut voluntatem carnis contraria concupiscentem voluntate Spiritus vincat.* Et *lib. de Spir. et lit. cap.* 29. *Inspirata gratiae suavitate per Spiritum Sanctum, facit Deus plus delectare quod praecipit, quam delectat quod impedit.* Et *Cap.* 37. *Fieret, si tanta voluntas adhiberetur, quanta tantae rei sufficit; esset autem tanta, si et nihil eorum, quae pertinent ad justitiam, nos lateret, et sic delectaret animum, ut quidquid aliud voluntatis, dolorisque impedit delectatio illa superaret.* Totus est Augustinus in hac doctrina contra Pelagianos inculcanda. Ergo.

Prob. III. ratione, quam idem *Augustinus* insinuat, *Lib. II. ad Simpl. q.* 2. *Voluntas nostra nisi aliquid occurrat, quod delectat, et invitat animum, moveri nullo modo potest.* Quod ergo magis eam delectat, magis movet, ac proinde si gratia efficax voluntatem terrena delectatione implicatam movet, delectationem caelestem inspirat, quae terrenam superat, ac vincit.

Prob. 3a. *pars*, quae est dogma fidei definitum a Tridentino *Sess. VI. cap.* 4. et a summis Pontificibus *Innoc. X.* et *Alexandro VII.* in damnatione illius Jansenianae thesis: *Ad merendum, et demerendum in statu naturae lapsae non requiritur in homine libertas a necessitate, sed sufficit libertas a coactione*: probatur inquam 1.° ex Scripturis. Nam *Eccli. XXXI.* 1.° de justo, qui utique ex gratia justus est, dicitur: *Qui potuit transgredi et non est transgressus, facere mala, et non fecit.* 2.° ex *Augustino*, cui male fidunt adversarii. Ait enim *Lib. De Spir. et lit. Cap.* 31. *Cum potestas datur, non necessitas utique imponitur.* Et *Lib. II. contra Faust. cap.* 5. *Sub fato stellarum nullius ho-*

hominis genesim ponimus, ut liberum voluntatis arbitrium, quo vel bene, vel male vivitur, propter Dei judicium ab omni necessitatis vinculo vindicemus. Et *Lib. V. de Civ. Cap.* 9. docet, frustra exhortationes, correptionesque adhiberi, neque juste bonis praemia, malis supplicia inferri, si Dei praescientia (idem de gratia dicas) necessitatem imponat (a). 3.° ratione superius exposita; quantacumque enim sit delectatio caelestis, vel terrena, numquam tamen *objectum* menti ita repraesentat undequaque bonum, ut intellectus non possit in eo aliquam mali speciem apprehendere. Ergo etc. Vide Bellarminum *Lib. V. et VI. de grat. et lib. arb.* ubi copiose de arbitrii libertate contra Lutheranos, et Calvinistas disserit.

Solvuntur objectiones.

***Objic.* I. Non sola caelesti delectatione, sed aliis etiam modis solet Deus hominum trahere voluntates.** Alios enim fastidio rerum terrenarum, alios contumeliis, alios morbis, aliisve calamitatibus, alios timore poenarum aeternarum ad Deum conversos esse scimus: imo ipse Deus in Scripturis (*b*) metu poenarum saepe tum peccatores, tum justos aut ad conversionem compellit, aut ad perseverandum incitat. Unde Augustinus *Lib. de Corrept. et grat. Cap.* 5. *Diversis*, inquit, *et innumerabilibus modis Deus homines ad se vocat, et reformat.* Ergo etc.

℟. *Neg. ant.* Quidquid enim voluntas agit, amor est, et delectatio, ut supra ostendimus. Amor ergo caelestium fastidium ingerit terrenorum; amor boni caelestis timorem affert mali contrarii; contumeliae vero, morbi, aliaeque hujus vitae aerumnae non sunt interiores gratiae, quae voluntatem movere possint, sed occasiones, quibus Deus, qui omnia suaviter disponit, gratiam supernae delectationis solet immittere.

(a) Vide aliorum Patrum innumera testimonia apud *Bellarminum.*

(b) *Eccles. I.* 27. *Jerem. XXXII.* 40. *Matth. X.* 28. etc.

Inst. Costans est doctrina *Augustini*, aliorumque Patrum, in conversione hominum plerumque praecedere timorem poenae, ut postea inspiretur animo dilectio justitiae. *Timent, et continent se a peccato. Timent quidem, sed non amant justitiam. Cum autem per timorem continent se a peccato, fit consuetudo justitiae, et incipit quod durum erat amari, et dulcescit Deus.* Idque Concilium Trid. aperte declarat, dispositiones justificationis exponens *Sess. VI. cap.* 6. Atqui timor ille; qui dilectionem praecedit, ideoque ab illa distinguitur est ex gratia Dei, ut idem Concilium contra Lutheranos definivit *ibid.* Ergo gratiae efficacitas non in sola dilectione victrici sita est.

℟. *Dist. maj.* Timor praecedit, dilectionem justitiae, seu charitatem, qua diligitur Deus amore casto, *conc:* Praecedit omnem dilectionem, sive dilectionem ejus boni, cujus contrarium timetur, *neg.*

Objic. II. Falsum est, nos semper id agere, quod magis delectat, ut patet ex Augustino, qui *Lib. VIII. Confess. cap.* 8. *Non faciebam*, inquit, *quod incomparabili affectu amplius mihi placebat.* Ergo ratio, qua operatur efficax gratia, non est posita in victrici delectatione.

Resp. Dist. ant. Falsum est, nos semper agere quod magis delectat *speculative conc:* quod magis delectat *practice, neg.* saepe enim res, ut in seipsis sunt, considerantes, virtutem magis amamus, quam vitium; licet ubi ad opus veniendum est, propter consuetudinem vetustate robustam, vitium magis arrideat. Id *Augustino* contigisse, ipse enarrat loco laudato, ubi explicat, quo sensu virtus ei amplius placebat.

PRO-

PROPOSITIO II.

Nulla censura notanda est, imo probabiliter defendi potest sententia Berti, Norisii aliorumque Theologorum, qui docent, habere gratiam, sive caelestem delectationem gradus suos, ex quibus modo efficax est, modo inefficax; sine praejudicio absolutae Dei voluntatis, et liberi nostrae voluntatis arbitrii.

Prob. 1a. *pars.* Illa sententia nulla potest censura notari, quae a Theologis catholicis, etiam post S. Pontificum constitutiones contra *Jansenium* promulgatas, innoxie, et sciententibus S. Pontificibus defenditur, nec quidquam habet cum *Janseniana* haeresi commune. Atqui talis est ea, de qua agitur, sententia; 1.° enim eam propugnant catholici Theologi viri doctissimi, etiam post promulgatas contra *Jansenium* constitutiones, idque scientibus, et probantibus S. Pontificibus; Franciscus Macedo in *Scrinio Cap. VII.* Cardinalis Norisius in *Vindiciis*, Berti *Lib. XIV. et Dissert. IV.* P Massoulier *Tom. II. Dissert. III. Q.* 6. aliique ab iis laudati ex Augustinianis, et Thomistis, quorum opera, probantibus S. Pontificibus, vulgata sunt, et leguntur. 2.° Nihil habet ea sententia cum *Janseniana* doctrina commune. Statuunt enim Theologi illi, quacumque posita delectatione caelesti, etiam gradibus superiore, posse tamen voluntatem magis sequi concupiscentiae stimulos, et gratiae resistere; ac vicissim quacumque posita etiam gradibus superiore concupiscentia, posse voluntatem gratiae consentire; ideoque semper libere aut concupiscentiae obsequi, aut gratiae: licet certissime id semper sequatur, quod magis delectat. Quod quantum a Janseniana doctrina abhorreat, nemo non videt. Ergo etc.

Prob. 2a. *pars.* I. ex Augustino, qui *Lib. de grat. et lib. arb. cap.* 15. *Gratia*, inquit, *Dei semper est bona, et per hanc fit, ut sit homo bonae voluntatis, qui prius fuerat voluntatis malae. Per hanc etiam fit, ut ipsa bona voluntas, quae jam esse coepit, augeatur, et tam magna fiat, ut possit implere divina mandata, qui* vo-

voluerit, *cum valde*, *perfecteque voluerit*. Et *Cap.* 17. *Qui vult ergo facere Dei mandatum, et non potest*, *habet quidem bonam voluntatem*, *sed adhuc parvam*, *et invalidam*: *poterit autem cum magnam habuerit*, *et robustam*. Idem alibi repetit.

Prob. II. *ratione.* 1.° Gratia efficax est medicinale adjutorium, quo subventum est infirmitati voluntatis humanae. Atqui humana voluntas, non eadem semper, et in omnibus infirmitate laborat, nec in omnibus bonis operibus par est difficultas, sed habet ejus cupiditas gradus suos, et inter mandata Dei varii sunt difficultatis gradus. Ergo sicut sapientis est medici non aequalem omnibus morbis adhibere medicinam; sic ad sapientissimam Dei providentiam pertinet, non eamdem omnibus, vel ad omnia mandata perficienda inspirare charitatem. 2.° Communis est fidelium sensus, ad graviores tentationes superandas majori opus esse gratia Dei. 3.° Unusquisque in se experitur boni delectationem modo flagrantiorem esse, modo remissam. Ergo.

Prob. III. exemplo conversionis ipsius gratiae vindicis *Augustini*, quam ipse in *Confessionibus* accurate describit. Ait enim, Deum primo, inspirata delectatione veritatis, amaras reddere coepisse cupiditates, quibus antea delectabatur animus, eumque conscientiae stimulis pupugisse. Deinde aucta novis viribus caelesti delectatione, veluti aequo marte inter se conflixisse voluntates duas, *carnalem*, et *spiritualem*: haec tamen *nondum erat idonea ad superandam priorem vetustate roboratam. Ita duae voluntates una vetus, alia nova, illa carnalis, ista spiritualis, confligebant inter se, et discordando dissipabant animam, et cogitationes, quibus caelestia meditabatur, similes erant conatibus expergisci volentium, qui tamen superati soporis altitudine remerguntur.* Tandem aucta intus caelesti delectatione, plene ad Deum fuisse conversum. Sed integer ille *Confessionum* locus *Lib. VII. et VIII.* legendus est, cum idem in aliorum conversione soleat accidere. Ergo probabiliter defendi potest, habere coelestem delectationem gradus suos, quibus etsi semper aliquid operatur in voluntate, non semper tamen eum producit effectum, ad quem a Deo ordinata est, resistente prava hominis voluntate.

Prob.

Prob. 3a. *pars.* Etsi hic est consuetus agendi modus gratiae, ut infusa caelesti dulcedine, eam paullatim augeat, donec hominem perfecte convertat; tamen potest Deus, et saepenumero id facit, ut hominem quamvis durum primo ictu convertat, ut patet ex conversione Magdalenae, Latronis in cruce, Pauli Apostoli etc. *Deo enim volenti salvum facere, nullum hominis resistit arbitrium; sic enim velle, et nolle in volentis, et nolentis est potestate, ut divinam voluntatem non impediat, nec superet potestatem.* Ergo quod diximus de variis gratiae gradibus, sine praejudicio dictum est omnipotentissimae Dei potestatis. Jam vero 4a. *pars*, quae de libero est nostrae voluntatis arbitrio, in superiori propositione probata est, ac proinde celebre illud *Augustini* principium in *Expos. Epist. ad Galat. Quod amplius delectat secundum id operemur, necesse est*; etsi delectationem relative victricem ostendit; non tamen, ut contendunt haeretici, absolutam necessitatem, sed moralem, et quam vocant *consequentiae.*

Solvuntur objectiones.

Objic. **I. Si gratiae efficacis natura posita esset in delectatione relative victrici; omnis gratia interior efficax esset alicujus voluntatis motus. Quae enim delectatio respectu majoris, ac difficilioris operis inferior est, erit respectu minoris operis, ac debilioris voluntatis motus superior. Atqui falsum consequens; damnata enim est ea propositio inter Jansenianas:** ***Interiori gratiae in statu naturae lapsae numquam resistitur.*** **Ergo Janseniana est illa doctrina.**

Confirmatur. **Accedit, quod ex delectatione relative victrici prono alveo fluunt quinque propositiones in** ***Jansenio*** **damnatae, ut ostendit** ***Tournely.*** **Ergo etc.**

℟. ***Dist. seq. maj.*** **Omnis interior gratia efficax esset alicujus voluntatis motus, vel non deliberati, vel imperfecti,** ***conc.*** **Perfecti, ad quem a Deo datur,** ***neg.*** **Unde inquit** ***Alvarez.*** **e Schola Thomistica celebris Theologus** ***Lib. VIII. de Auxiliis Disp.*** **8.** ***num.*** **2.** ***Omne auxilium sufficiens comparatione unius actus, semper est efficax respectu alterius, ad quem efficiendum***

dum decreto absoluto divinae voluntatis destinatur : et num 5. *Auxilium actuale dicitur efficax comparatione effectus, sive actus imperfecti, et sufficiens comparatione actus perfecti, quem potest producere, et ad quem ultimate ordinatur.* Hanc autem doctrinam ait esse communem inter recentiores Thomistas, et ab ipso Angelico Doctore positam *Lib. III. cont. Gent. cap.* 159.

Dist. et min. Damnata est illa propositio in sensu haeretico, *conc.* In sensu Catholico, *neg.* Sensus enim ejus thesis haereticus, atque damnatus est, voluntatem instar librae vel gratia, vel concupiscentia necessitate moveri ea ex parte, ex qua majus urget pondus, frustraque dari gratiam parvam, sive sufficientem, quae totum illud operatur, ad quod a Deo tribuitur, sive parvum illum, et necessarium voluntatis motum, ceterum non solum non praebet operis perficiendi vires, verum etiam hominem reddit pejorem, ita ut orare liceat, *a gratia sufficienti libera nos Domine.* Quae propositio decreto *Inquisitionis* damnata est anno MDCXC.

Contra Theologi, quos supra laudavimus, affirmant, hominem majori cupiditate pressum, et minori adjutum gratia, posse saltem *remote* per orationem, qua uberius obtineatur auxilium, contrariam superare cupiditatem, et opus perficere, ad quod perficiendum gratia illa parva tribuitur. Cum ergo homo culpa sua id non faciat, jam interiori gratiae resistit.

Ad Confirm. Resp. Quinque Jansenianae propositiones fluunt ex delectatione relative victrici, si intelligatur in sensu haeretico, destruente libertatem arbitrii, *conc.* Si intelligatur in sensu catholico mox explicato, *neg.*

Inst. 1.° Ipse Jansenius *Lib. VIII. De grat. Salvat. cap.* 20. affirmat, posse hominem, etiam concupiscentia gradibus superiore implicatum, assentiri gratiae, licet gradibus inferiori, et vicissim. Ergo fucum faciunt imperitis Theologi illi, qui in eo se distare a Janseniana doctrina praedicant, quod contendant, posse hominem, quacumque concupiscentia incitatum, gratiae assentiri, vel quacumque superiori delectatione illectum, obsequi concupiscentiae.

℞. *Dist. ant.* Alio sensu, *conc.* Eodem sensu, quo Theologi illi Catholici, *neg.* Eo enim sensu *Jansenius* ait,

sit posse voluntatem sub quacumque vel gratiae, vel cupiditatis delectatione contrarium operari, quia manet voluntas in contrarium flexibilis, quae ablata illa superiori delectatione, contrarium velle posset; cum contra *justitiae, vel peccati delectatio sit illud vinculum, quo liberum arbitrium justitia vel peccato ita firmiter retineatur, ut quamdiu illo stabiliter possidetur, actus oppositus sit extra ejus potestatem*, inquit *Lib. VIII. de grat. Salvat. cap.* 5. At Theologi illi docent, quacumque posita, ac durante vel boni, vel mali delectatione, manere judicii *indifferentiam*, qua possit in eo, quo delectatur voluntas, malum aliquod mente concipere, illudque aversari. Haec est potentia *physica*, cum qua tamen conjuncta est *moralis impotentia*, seu difficultas tanta, quam homo superare non vult.

Inst. 2.° Illa distinctio potentiae *physicae*, et *moralis* ad evadendas censuras inventa est; ceterum eumdem omnino effectum habet. Ergo etc.

℞ *Neg. ant.* Effectus enim moralis impotentiae est ut opus voluntarium sit, ac liberum; *phisicae* vero, ut sit necessarium.

Inst. 3.° *Nullus*, inquit Tournely, *appellari hactenus potuit, qui docuerit, delectationem illam esse relative, seu per gradus victricem, nisi qui Jansenii systema tueretur.* Ergo.

℞. *Neg. ant.* cujus falsitas vel ex paucis illis, quos supra commemoravimus, Theologis *Norisio*, *Massoulier*, *Macedone*, manifesta est. Miramur autem *Tournely* ardentiori adversus *Jansenium* zelo magnam Jansenianis navare operam; nihil enim illis potest accidere commodius, atque jucundius, quam ut ostendatur. *Jansenii* doctrinam non discre pare ab eorum doctrina Theologorum, quorum opera ab Ecclesia Romana probata sunt.

Objic. II. Celebris est S. Thomae sententia 3. *P. Q. LXI. art.* 3. *ad* 2. *Minima gratia potest resistere cuilibet concupiscentiae, et mereri vitam aeternam.* Et *Q. LXX. art.* 4. *Minima charitas plus diligit Deum, quam cupiditas millium auri, et argenti.* Ergo falsum est, gratiae delectationem gradibus cupiditate inferiorem, esse inefficacem; efficacem vero, quae gradibus superior est; ideoque improbabilis est ea doctrina.

℞.

℟. Missa eorum responsione, qui *S. Thomam* interpretantur de gratia habituali, nixi eo, quod S. Doctor asserit, ea gratia hominem *mereri vitam aeternam*, non attendentes, ex *S. Thoma* gratiam habitualem non operari, nisi per actualem; missa inquam hac responsione, *Resp. dist. ant.* Minima gratia potest resistere cuilibet concupiscentiae, *potentia physica*, sed actu non resistit, *conc.* Potest morali potentia, et actu resistit, *neg.* Item minima charitas *habitualis* plus diligit habitu Deum, quam cupiditas auri, et argenti, *conc.* Actualis, *subst.* Speculative, *conc.* Practice, *neg* Fatemur itaque 1.° Charitatem, seu gratiam habitualem eam esse, vel efficere animi dispositionem, ut homo plus diligat Deum, quam omnia creata, alioquin charitas non esset. 2.° Charitatem, et gratiam actualem, etsi minimam, tribuere quidem voluntati potentiam *phyisicam* resistendi cuilibet concupiscentiae; ideoque quod non resistatur, culpa est hominis, qui non totas exerit vires; non tamen tribuere moralem potentiam cum actu conjunctam, nisi augeatur, et tanta fiat, ut voluntatem carnis contraria concupiscentem voluntate Spiritus vincat. 3.° Minimam gratiam tribuere potentiam etiam moralem non proximam, sed remotam, qua per orationem validius auxilium a Deo obtineatur. Hinc Tridentinum *Sess. VI. cap.* 11. ex *Augustino* inquit: *Deus impossibilia non jubet, sed jubendo monet facere quod possis, petere quod non possis, et adjuvat ut possis.* Negamus vero, minimam gratiam praebere potentiam moralem, et proximam resistendi cuilibet concupiscentiae, et quodlibet implendi praeceptum: alioquin 1.° frustra Christus praecepisset Apostolis, ut orarent, ne intrarent in tentationem; frustra enim petiissent, quod in sua potestate habebant. 2.° frustra justi a Deo peterent *ut possint*, *ut valeant* Dei implere mandata. 3.° falso dixisset Augustinus *Lib. de grat. et lib. arb. cap.* 17. *Qui vult facere Dei mandatum, et non potest, habet quidem bonam voluntatem, sed adhuc parvam, et invalidam: poterit autem cum magnam habuerit, et robustam.* Et *cap.* 16. *Ideo* (Deus) *jubet aliqua, quae non possumus, ut noverimus, quid ab illo petere debeamus; ipsa est enim fides, qua orando impe*-

pe.

petrat, quod lex imperat. Et Tridentinum *loc. cit. monet . . . . petere quod non possis ad hoc enim valet,* inquit Augustinus *Cap.* 15. *eodem lib.* quod scriptum est: *si volueris, conservabis mandata, ut homo, qui voluerit, et non potuerit; nondum se plene velle cognoscat, et oret, ut habeat tantam voluntatem, quanta sufficit ad implenda mandata.* Quibus locis de potentia morali agi constat.

Objic. III. Si gratiae efficacis natura sita esset in delectatione relative victrici, jam non esset gratia intrinsecus efficax: tum quia a corde duriore respueretur, cum contra gratia efficax ex *Augustino* ea sit, *quae a nullo duro corde respuitur*; tum quia ejus efficacitas penderet a dispositione hominis, ut *Congruistae* docent. Ergo.

℟. *Neg. seq. ant.* tum quia Deus, cum voluerit, poterit tantam inspirare boni delectationem, quae cor quantumvis durum emolliat, ut accidit in conversione Pauli; tum quia etiam quando paulatim, et per gradus convertit hominem, ut in *Augustino*, et ceteris accidit, non ex circumstantiis, ut volunt *Congruistae*, sed ex ipsius gratiae virtute pendet non solum perfectus, sed etiam imperfectus voluntatis motus; unde *Augustinus* id refert non ad circumstantias, sed ad potestatem Dei *Lib. de pecc. merit. et remiss. cap.* 5. *Cur illum adjuvet, illum non adjuvet; illum tantum, illum non tantum; illum isto, illum non isto modo, penes ipsum* (Deum) *est aequitatis tam secreta ratio, et excellentia potestatis.*

Objic. IV. Si gratia esset relative victrix, utique gratia Angelorum, atque Adae innocentis fuisset efficax, quippe quae nullam habebat contrariam cupiditatem, quae ejus effectum retardaret. Atqui falsum hoc esse constat. Ergo.

℟. *Neg. seq. maj.* Cum enim Angeli, et innocens homo nulla pugna a seipsis adversus seipsos turbati, sua secum pace fruerentur, opus non habebant tali delectatione caelesti, quae eos ad hoc, vel illud singulare bonum inclinaret, satque illis erat *versabile* adjutorium, quo possent, si vellent, in bono quod acceperant, perseverare.

Objic.

Objic. V. *cont.* 4m. *part.* Sacrae litterae docent sive sub cupiditate, sive sub gratia non remanere homini libertatem. Nam de cupiditate quidem ait Christus *Joan. VIII.* 34. *Omnis qui facit peccatum, servus est peccati.* Et Apostolus *II. Tim. II.* 26. *Resipiscant a diaboli laqueis, a quo captivi tenentur ad ipsius voluntatem.* De gratia vero ait Apostolus *Rom. VIII.* 14. *Quicumque spiritu Dei aguntur, ii sunt filii Dei.* Et ipse Christus *Joan. VI.* 44. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum.* Agi autem, et trahi, est ita moveri, ut in contrariam partem iri non possit. Quod et luculentius explicat Christus dicens *Matth. VII.* 18. *Non potest arbor bona malos fructus facere neque arbor mala bonos fructus facere*: hoc est non potest homo cupiditate impulsus bene agere, nec gratia motus male agere. Ergo etc.

℟. *Neg. ant.* Loca enim Scripturarum, quae docent hominem peccatorem esse servum peccati, teneri diaboli laqueis, intelligenda sunt de peccato abituali, cui necessario manet obstrictus, qui voluntarie peccavit. Quod si ea etiam ad actuale peccatum velis extendere; profecto non de necessitate absoluta intelligenda sunt, sed de necessitate morali, hoc est voluntaria; sicut de seipso ait Augustinus *Conf. Lib. VIII. cap.* 5. *tenebar ligatus non ferro alieno, sed mea ferrea voluntate.* Necessitas autem moralis non omnino perimit arbitrii libertatem. *Agi* vero, et *trahi* homines dicuntur non necessitate, sed libera charitate, licet certissime moveantur; *Noli cogitare, te invitum trahi, trahitur animus et amore. August. Tract. XXVI in Joan.* Denique *arbor bona* est charitas, sicut arbor mala est cupiditas, et charitas quidem non potest malos fructus edere, sicut neque cupiditas bonos; sed potest homo resistere cupiditati, et obsequi charitati.

Objic. VI. *Augustinus* saepe docet, liberum arbitrium per peccatum periisse; *Libero*, inquit, *arbitrio male utens homo, et se se perdidit, et ipsum, Enchirid. cap.* 30. Et *Epist. ad Vital. Liberum arbitrium ad diligendum Deum primi illius peccati granditate perdidimus.* Ergo.

℟. *Dist. ant.* Docet. *Augustinus*, periisse arbitrium liberum a difficultate, et ignorantia, *conc.* Liberum a necessitate, *neg.*

Inst. 1.° Non aliam libertatem agnoscit *Augustinus* in hoc statu, nisi quae est ab ipsa voluntate inseparabilis, etiam quando beatitudinem necessario amat: imo quod maxime vehementi voluntate appetimus, id docet *Augustinus* esse nobis maxime liberum; ita ut liberum Augustino idem sit, ac *spontaneum*, quamvis necessarium; sic *Enchir. Cap.* 105. *Voluntas*, inquit, *nostra aut voluntas non est*, *aut libera dicenda est*: Et *Lib. V. de Civ. Cap.* 10. *Necesse est*, *ut quod volumus libero velimus arbitrio.* Imo addit: *Si illa definitur esse necessitas*, *secundum quam dicimus necesse esse*, *ut aliquid ita*, *vel ita fiat*; *nescio cur eam timeamus*, *ne nobis libertatem auferat voluntatis*: *Neque enim vitam Dei*, *et praescientiam ejus sub necessitate ponimus*, *si dicamus*, *necesse esse*, *Deum semper vivere*, *et cuncta praescire.* Quam doctrinam secuti sunt 1.° Prosper *Cont. Collat. Cap.* 18. ubi definit liberum arbitrium *rei sibi placitae spontaneum appetitum.* 2.° Bernardus *De lib. arb. cap.* 1. 2. *et* 4. ubi ait, *ibi esse libertatem*, *ubi est voluntas*, *et manere libertatem voluntatis*, *ubi est captivitas mentis.* 3.° S. Thomas *Q. X. de potent. art.* 2. *Dicendum*, inquit, *quod naturalis necessitas*, *secundum quam voluntas aliquid ex necessitate velle dicitur*, *ut felicitatem*, *libertati voluntatis non repugnat*, *ut Augustinus docet Lib. V. de Civ.* Ergo.

℟. *Neg. ant. Ad confirm dist. ant. Augustinus*, aliique Patres docent, quidquid est voluntarium, esse liberum libertate naturae, *conc.* Libertate arbitrii, *subdist. Inadaequata*, conc. *Adaequata.* neg. Duplex igitur libertas est, alia naturae, quae a *S. Thoma* dicitur etiam *libertas voluntatis*, alia arbitrii. Prima est, qua natura sine impedimento tendit ad finem; sicut dicimus, lapidem libere per aera descendere, eaque libertas per quemcumque impulsum non destruitur, sed augetur, sicut lapis eo cadit liberius, quo vehementius impellitur. Altera vero libertas est, qua voluntas eligere valet ea, quibus ad finem suum perveniat, cum potestate tamen ea non eligendi, quae quidem potestas *indifferentia* di-

ci-

citur: Liberum ergo arbitrium duo complectitur, voluntatem, et indifferentiam; ac proinde cum *Augustinus*, aliique Patres affirmant, quidquid est voluntarium, esse liberum, vel loquuntur de libertate naturae; sicut cum dicunt, hominem libere amare felicitatem, beatos libere Deum diligere, Deumque ipsum libere vivere, et amare seipsum: vel si loquuntur de libertate arbitrii, profecto liberum arbitrium accipiunt *inadaequate* pro ea parte libertatis, quae in spontaneo, et voluntario sita est: non negant autem partem alteram, quae in indifferentia consistit. De *Augustino* id patet non solum ex locis supra recitatis, sed etiam ex iis, in quibus constanter contra Manichaeos peccatum ita definit: *Voluntas retinendi, vel consequendi quod justitia vetat, et unde liberum est abstinere Lib. de duab. anim. Cap.* 10. Idemque de *Prospero* dicas, qui ab Augustini doctrina non recedit. *De Bernardo*, licet res prima fronte videatur obscurior, tamen ex definitione liberi arbirii, quam affert *Cap. I. de grat. et lib. arb.* nempe, quod sit *Habitus animi liber sui, siquidem non cogitur, non extorquetur, est quippe voluntatis, non necessitatis*, patet, eum a libero arbitrio necessitatem excludere. Denique *S. Thomas* quamvis doceat *loc. cit.* necessitatem non officere libertati voluntatis, luculenter tamen libertatem voluntas a libertate arbitrii distinguit, cui repugnat necessitas *I. P. Q. XIX. art.* 10. *Dicendum*, inquit, *quod liberum arbitrium habemus respectu eorum, quae non necessario volumus, vel naturali instinctu. Non enim ad liberum arbitrium pertinet, quod volumus esse felices, sed ad naturalem instinctum.*

Inst. 2.° Tota *Augustini* concertatio cum Pelagianis erat de libertate electionis, et arbitrii. Contendebant enim illi, nullam esse arbitrii libertatem, si gratia Dei humanas moveat voluntates. His respondens *Augustinus*, libertatem arbitrii cum libertate naturae confundit; et docet, quidquid voluntas eligit, etsi id ex necessitate velit, ut felicitatem, esse liberum; ideoque a gratia non destrui, sed perfici libertatem. quia quo magis voluntas impellitur, eo liberior est. Unde ait *Lib. de Corr. et grat. Cap.* 8. *Quando rogavit Christus pro Petro, ne deficeret fides ejus, quid aliud rogavit, nisi*

ut

ut haberet in fide liberrimam, invictissimam, perseverantissimamque voluntatem? Ubi manifestum est, voluntatem liberrimam esse voluntatem maxime vehementem. Nec usquam *Augustinus* respondens Pelagianis meminit indifferentiae, in qua nos dicimus, constare arbitrii libertatem. Ergo non aliam agnovit sub gratia libertatem, nisi naturae, quam nos libertatem a coactione dicimus, Augustinus vero vocat libertatem arbitrii.

℟. *Dist. ant.* Tota concertatio cum Pelagianis erat de libertate arbitrii, ad refutandam scilicet falsam libertatis definitionem, quam Pelagiani obtrudebant, *conc.* Ad statuendam ipsam libertatis existentiam, *neg*: Augustinus itaque cum variis libris contra Manichaeos demonstrasset Ecclesiae fidem, ac doctrinam de libertate arbitrii, in hoc cum Pelagianis conveniebat, non destrui sive a concupiscentia, sive a gratia liberum arbitrium; et contrarium dogma ipsi impositum ab adversariis semper rejecit, ut haereticorum calumniam. Sed Pelagiani in explicanda arbitrii libertate duobus ex capitibus errabant. 1.° quidem quia putabant, non constare liberum hominis arbitrium, nisi ipsa per se voluntas sine Dei inspiratione, et impulsu posset bonum eligere. 2.° quia naturam libertatis in eo putabant sitam, quod possit homo per se velle bonum, et malum. Primum quidem errorem refellit Augustinus, eo quod liberum arbitrium duobus constat, voluntate, et indifferentia. Ex quo igitur gratia Dei dat bonam voluntatem, non sequitur eam destruere, sed perficere liberum arbitrium; cum numquam auferat judicii, ideoque et electionis indifferentiam: constanter enim docet Augustinus, solum in patria reservatum esse sanctis, ut peccare non possint. Alterum vero errorem ex eo refutat, quod posse velle malum non est natura, sed defectus liberi arbitrii; alioquin Deus, qui peccare non potest, libero arbitrio careret. Quamvis ergo gratia Dei, bonam tribuens voluntatem, minuat potentiam peccandi; non tamen inde fit, ut laedat, sed ut perficiat liberum arbitrium, quia scilicet liberans illud a necessitate morali serviendi concupiscentiae, expeditum reddit in eligendis iis, quae ad ultimum finem perducunt: praesertim cum in statu viae relinquat semper judicii indiffe-

differentiam, qua possit non sequi gratiae moventis impulsum.

Inst. 3.° Absurdum est, *Augustinum*, qui toties de libero arbitrio cum Manichaeis primum, deinde cum Pelagianis decertavit, liberum arbitrium *inadaequate* intellexisse, semperque et ipsum in obscuro laborasse, et obscuritatem perpetuam offudisse legentibus. Ergo.

℟. *Neg. ant.* Ideo enim Doctor acutissime de libero arbitrio saepe *inadaequate* loquitur, quia de ea liberi arbitrii parte, quae in voluntario, ac spontaneo sita est, quaestio illi erat cum Manichaeis, et Pelagianis. Manichaei enim docebant, voluntatem, hominis non esse liberam, sed extrinsecus cogi, vel a malo principio, vel fato stellarum. Hinc *Augustinus* inviete probat, voluntatem semper esse liberam, quia quidquid vult, sponte sua vult, imo repugnat, voluntatem velle aliquid invitam. Quibus autem in rebus esset libera libertate naturae, in quibus vero libertate etiam indifferentiae, non erat necesse disputare fusius, nec tamen id omnino praetermisit.

Pelagiani vero ideo potissimum negabant gratiam Dei bonam tribuere voluntatem, quia inde sequeretur: dicendum esse cum Manichaeis, voluntatem extrinsecus cogi, ideoque non esse liberam. Contra *Augustinus* probat, non perire sub gratia libertatem, quia licet bonam voluntatem divinitus homo accipiat, tamen non coactus, sed sponte vult, ideoque servatur sub gratia prior illa liberi arbitrii pars, quam sub gratia auferri Pelagiani objiciebant, nempe voluntarium, et spontaneum.

Inst. 4.° Ad asserendam arbitrii libertatem non satis erat ostendisse, non auferri sub gratia voluntarium, et spontaneum, nisi etiam ostenderetur, non auferri indifferentiam, qua posset voluntas gratiae obsistere. Atqui *Augustinus* numquam indifferentiae meminit: imo ipsum indifferentiae nomen inventum Scholasticorum est. Ergo.

℟. *Dist. min.* Numquam meminit indifferentiae quoad ipsum nomen, *conc.* Quoad rem ipso nomine significatam, *neg.* Saepe enim docet, Angelis sanctis, ac beatis tantummodo servatum esse, ut non possint peccare: hinc, semper in statu viae posse hominem peccare, ideoque gratiae obsistere.

Objic.

Objic. VII. In eo dicitur constare sub gratia libertas arbitrii, quod quacumque posita mentis illustratione, atque inspiratione delectationis, dummodo non sit ipsum lumen gloriae, potest intellectus *in objecto* aliquam mali speciem considerare, vel fingere, propter quam voluntati displiceat. Atqui hoc commentitium est. Intellectus enim *potentia passiva* dicitur, neque potest uno actu, nisi unum intueri; ideoque in eo momento, quo a gratia Dei illustratur, non potest ullam in *objecto* mali speciem considerare. Ergo.

℟. *Neg. min.* In eo enim ipso momento, quo intellectus nondum lumine gloriae perfunditur, non considerat objectum ut summum bonum; aliunde voluntati adulari solet, et repraesentare ut malum, quod ei displicere videt; adeo ut voluntatis cupiditates judicii saepe rationem, veritatemque perfringant, atque corrumpant. Cum ergo etiam sub gratia remaneat in voluntate aliqua mali cupiditas, potest intellectus, ut ei aduletur, aliquam mali speciem exhibere, propter quam bonum, ad quod gratia incitat, avertetur; quod tamen numquam accidit, cum delectatio caelestis voluntatem carnis contraria concupiscentem vincit.

Inst. Absurdum est, posse aliquid contingere, quod numquam eveniet. Ergo.

℟. *Neg. ant.* Multa enim absolute fieri possunt, quae numquam fiunt, ut observat Augustinus *Lib. de spir. et lit. cap.* 1; eo quod cum potentia *physica* conjuncta est *impotentia moralis*, seu talis difficultas, quam homo numquam superare volet. Sic amor vitae temporalis certissime hominem movet ad id agendum, sine quo ea servari nequit, neque umquam contrarium eveniet, licet evenire possit.

Corollaria.

I. Diximus *Cap. V.* actualem gratiam in illustratione mentis, et inspiratione dilectionis sitam esse; eamque complecti efficacem, et sufficientem. Nunc autem ostendimus, efficacem gratiam in dilectione, seu delectatione vehementi, ac victrici constare. Ergo sufficiens gratia in delectatione non victrici sita est, ideoque *specie* ab effi-

caci gratia non distinguitur. Utrum autem minor illa delectatio gradibus metienda sit, et relatione ad contrariam concupiscentiam, jam praediximus, nolle nos definire; sed si quis ita sentiat, ut *Norisius*, *Berti*, aliique, quoniam tantis viris nullam Ecclesia censurae labem aspersit, nec nos aspergendam putamus; imo eorum sententiam, ut in *propositione* diximus, probabiliter defendi posse concedimus.

II. Illud tamen videtur, certo affirmari posse, delectationem illam debiliorem, quae ad opera difficiliora est inefficax, esse posse ad opera faciliora efficacem. Qua in re videntur omnium Scholarum Theologi consentire. De *Congruistis*, et *Molinistis* res est apertissima. *Augustiniani*, qui tuentur delectationem relative victricem, idipsum affirmant, ut videri potest apud *Norisium*. Inter Thomistas celeberrimi *Alvarez*, et *Massaulier* eandem sequuntur sententiam, quae idcirco communis videri potest.

III. Sed si quis contentiose urgeat, minorem, aut majorem ipsius operis difficultatem, ex ipsa oriri concupiscentia, quae quo major, aut minor est, eo res menti videtur aut difficilior, aut levior; ideoque hanc sententiam, quam in *Coroll. II.* posuimus, recidere in illam, quam *Norisii*, aliorumque Augustinianorum esse diximus; nos hac de re, quoniam sententia illa virorum catholicorum est, non putamus contendendum: neque in definienda nostrae differentia doctrinae immorandum esse diutius. Quapropter his praetermissis, quanta sit efficacis gratiae necessitas, praestat explicare.

C A P. X.

De necessitate gratiae efficacis, et primo de ejus necessitate ad cognitionem veri naturalis.

Adv. I. QUoniam per gratiam efficacem subventum est infirmitati voluntatis humanae, ut ex *Augustino* docuimus, ex infirmitatis hujus magnitudine, necessitas efficacis gratiae aestimanda est. Cum ergo duo sint praecipue vulnera humanae menti inflicta per peccatum, ignoratio veri, et concupiscentia mali, ideoque

que duo sint, quae hominem impediunt, quominus recte agat; vel quia latet quod verum est, vel quia non delectat: videamus primo, quanta sit efficacis gratiae necessitas ad cognoscendum verum; deinde quanta ejus necessitas sit ad amandum, et faciendum bonum expendemus.

II. Est autem verum duplex, alterum naturale, alterum supernaturale. Naturale est, quod non solum inter naturae effecta recensetur, verum etiam naturali ratione potest cognosci. Hinc secreta cordium, licet naturalia sint, non pertinent tamen ad naturale verum, quia dum exteriori aliquo signo non produntur, naturaliter cognosci non possunt. Verum autem supernaturale est, quod extra naturales creati intellectus vires positum est, vel quia *objectum* supra naturam est, vel quia modus illud cognoscendi in natura non est. Unde duplex distinguitur in Scholis supernaturale, alterum *quoad objectum*, alterum *quoad modum*.

III. Rursus naturale verum dividitur in *speculativum*, quod nihil ad operationem conducit, et *practicum*, quod ad praxim sive operationem refertur; quae operatio, si ad mores pertinet, verum ipsum dicitur *moraliter practicum*, ut illa: *Quod tibi non vis, alteri ne feceris*: *Deus est colendus* etc. Potest autem utrumque verum vel pro tota simul veritatum naturalium complexione accipi, vel divisim, pro una scilicet, aut altera.

IV. Non defuerunt Theologi, ut Gregorius Ariminensis, Gaspar Casalius (a) aliique, qui docerent, in hoc depravatae naturae statu nullam veritatem naturalem *moraliter practicam* cognosci posse sine efficaci gratia. Alii vulgo Theologi affirmant, posse hominem etiam in hoc statu veritatem aliquam sive *speculativam*, sive *praticam* divisim cognoscere sine gratia Christi, non posse autem *collective* omnes. Petrus Alliacensis *in I. Q. 3.* excipiendas putat eas veritates, quae ad Deum pertinent, de quo nihil in hoc statu cognosci posse docet sine gratiae auxilio.

(a) Ariminensis *in II Distin. XXVI. Q. I. art.1. Concl. 2.* Casalius *Lib. I.* De Quadripartita *justit. Cap. 32.*

PROPOSITIO.

Potest homo in statu naturae lapsae veritates aliquas sive speculativas, sive practicas, et ipsam Dei existentiam, unitatem etc. sine gratia Christi cognoscere, non tamen omnes.

Prob. 1a. *pars.* I. ex Scripturis. Apostolus *Rom. I.* 20. ait: *Invisibilia ipsius a creatura mundi per ea, quae facta sunt, intellecta conspiciuntur: sempiterna quoque ejus virtus, et divinitas: ita ut sint inexcusabiles,* qui non noverunt. Et ibidem addit, Gentiles etiam sine Mosaica lege non ignorasse praecepta naturae: ex quibus justissime judicabuntur. Atqui notitia Dei, et praecepta naturae veritas est non solum *speculativa*, sed et *practica*, quia ad mores dirigendos maxime conducit. Ergo.

Prob. II. ex *Augustino*, qui 1.° *Epist. CXCIV. al. CV. ad Xistum* docet, Christum mortuum esse, ut justificaremur, non ut Philosophi, e Mathematici efficeremur. Sed Mathematicas, et Philosophicas veritates plurimas, imó ipsam Dei existentiam, unitatem, etc. plurimaque praecepta legis naturalis assecutos esse Gentiles, ex eorum libris praesertim *Platoni*, *Aristotelis*, *Epicteti*, *Ciceronis*, *Senecae* manifestum est. Non ergo eas didicerunt auxilio gratiae Christi 2.° *Enarrat. in Psal. LVI. Manu*, inquit, *formatoris nostri in cordibus nostris veritas scripsit: Quod tibi non vis, alteri ne feceris: hoc et antequam lex daretur, nemo ignorare permissus est, ut esset unde judicarentur etiam ii, quibus lex non esset data.* Quod repetit Beda *in Cap. III. ad Rom.* Hinc observat Prosper in *Carmin. de Providentia*, etiam eos, qui vitiis oblectantur, cognoscere tamen malum esse quod faciunt, ideoque illud ipsum in aliis damnant.

Prob. III. *ratione.* 1.° Etsi ex peccato obnubilatum, atque attenuatum, non tamen penitus extinctum est lumen rationis; poterit ergo veritates aliquas naturales ratiocinando cognoscere. 2.° Nemo praecepta Decalogi sine culpa, seu *invincibiliter* ignorare potest. At prae-

praecepta illa sunt consectaria ex illis principiis deducta: *Deus est colendus*: *Quod tibi non vis, alteri ne feceris.* Potest ergo intellectus naturali lumine veritates aliquas etiam practicas comparare.

Prob. 2a. *pars.* Ut mens humana veritates omnes naturales attingeret, nullis prohiberi deberet impedimentis; atqui multa sunt, quae impediunt. 1.° ipsum naturale lumen in poenam peccati non parum debilitatum. 2.° nonnullarum rerum obscuritas tanta, ut nonnisi meditatione diuturna, difficili, longa, et acutissima ratiocinatione ex principiis per se notis intelligi possint. 3.° vitae brevitas. 4.° rerum infinita prope multitudo, et varietas, quibus cognoscendis, atque animo retinendis impar est humana mens. 5.° corporis infirmitas: *corpus enim, quod corrumpitur, aggravat animam, et terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem. Sap. IX.* 15. 6.° studia diversa, quibus aut naturae necessitate, aut humanae societatis occupamur; ex quibus efficitur, ut qui veritates omnes naturales se assecutum esse, affirmare audeat, is veritatem unam maxime perspicuam, suam scilicet ipsius stultitiam ignoret. Ergo.

Solvuntur objecta.

Objic. I. Quamcumque veritatis etiam perfacilis notitiam cogitatio praecedat, necesse est. Atqui ex Apostolo *II. Cor. III.* 5. *Non quod sufficientes simus cogitare aliquid a nobis, quasi ex nobis: sed sufficientia nostra ex Deo est*: scilicet ex gratia Christi, ut Patres, praesertim *Augustinus*, saepe interpretantur. Ergo nullam sine gratia Christi veritatem cognoscere valemus.

℟. *Dist. min.* Non sumus sufficientes sine gratia cogitare aliquid supernaturale, et ad salutem pertinens, *conc.* Secus, *neg.* Ita *Augustinus* locum Apostoli interpretatur *Lib. de Praedest. Sanct., Cap.* 2. et patet ex ipso Apostoli scopo, qui non de Philosophicis, aut Mathematicis scientiis, sed de iis, quae ad religionem, et pietatem pertinent, loquebatur.

Objic.

Objic. II. Idem Apostolus *I. Cor. IV.* 7. *Quis*, inquit, *te discernit? Quid autem habes, quod non accepisti? Si autem accepisti; quid gloriaris quasi non acceperis?* Unde *Cyprianus* generatim ait: *in nullo gloriandum, quando nostrum nihil sit.* Atqui si posset homo veritates aliquas naturales comparare sine gratia Christi, posset de iis in se, et non in Domino gloriari. Ergo etc.

℟. *Neg. min.* De ipsis enim naturalibus scientiis gloriari homo non potest; nam sine gratia inflant, et occasio sunt ruinae; ut ait idem Apostolus: *Scientia inflat, charitas vero aedificat.* Vel ergo aliquis ex gratia Christi recte utitur scientiis naturali lumine comparatis, et jam non in se, sed in Domino gloriari debet; vel iis male utitur, et tantum abest, ut gloriari, quin potius erubescere debeat. Quare Apostolus non de iis dotibus loquebatur, quae bonis, et malis communes sunt, sed quae bonos discernunt a malis, ut fuse prosequitur Augustinus *Lib. de Praedest. Sanct. cap.* 5.

Objic. III. Concilium Arausicanum II. *Can.* 22. sic generatim statuit: *Homo nihil habet de suo, nisi mendacium, et peccatum.* Et Milevitanum *Cap.* 4. *Utrumque Dei donum est, et scire quid agere debeamus; et diligere ut faciamus.* Addunt nonnulli Patres; ut Gregorius *Hom. XI. in Evang.* hominem ex originis vitio nasci *spiritualiter caecum:* Ergo etc.

℟. *Dist. ant.* Quantum ad salutem pertinet vitae aeternae, *conc.* Secus, *neg.* Vult ergo Concilium, nihili faciendas in salutis negotio esse naturales dotes, quibus non magis Deo placemus, quam ceteri, qui iisdem dotibus expertes sunt; imo majoris ruinae periculum subimus, ut Gentilibus philosophis accidisse, ait Apostolus *Rom. I.* 21. Quare habet homo de suo mendacium, et peccatum, quae eum ab aeterna vita removeant, sed nihil habet de suo, quod eum ad vitam aeternam vel adducat, vel disponat, ad quam *spiritualiter caecus est.*

Objic. IV. *contra* 2m. *partem.* Ad veritatem cognoscendam debet inter ipsam, et facultatem intelligendi interesse proportio. Atqui proportio haec intercedit inter intellectum humanum, et omnes simul veritates ha-

naturales. Ergo potest intellectus illas omnes cognoscere.

℟. *Dist. min.* Est proportio inter veritates omnes naturales, et intellectum humanum originali vitio non attenuatum, nec aliunde impeditum, *transeat.* Secus, *neg. Dist.* etiam *cons.* Ergo potest intellectus hominis veritates illas omnes percipere, si originali vitio extenuatus, et aliunde impeditus non sit, *transeat.* Si extenuatus, et impeditus, *subdist.* Potest potentia *physica, transeat.* Potentia morali, *neg.* Itaque licet daremus, intellectum hominis originali labe non obnubilatum, nec vitae brevitate, morbis, aliisque impedimentis praepeditum potuisse veritates omnes naturales attingere; tamen si spectemus intellectum originali vitio laesum, et tot praepeditum impedimentis, quot supra commemoravimus, negamus, inter ipsum, et omnes simul naturales veritates esse proportionem; quia licet omnes seorsim naturali virtute possint intelligi; angustior tamen facta videtur ex peccato humani intellectus capacitas, quam ut omnes simul complecti valeat. Sed etiam hoc dato, sequitur tantum, posse intellectum *physica* potentia illas omnes attingere; non tamen potentia morali, quae praeter proportionem cum *objecto*, requirit etiam facultatem expeditam a difficultatibus gravissimis, ad quas superandas non vult homo totas exercere vires suas.

Inst. Homo, natura ipsa incitante, appetit res omnes cognoscere, quae naturaliter cognosci possunt. Atqui appetitus ille naturalis frustra esse non potest, alioquin homo deterioris esset conditionis, quam ceterae creaturae, quae naturaliter attingere possunt finem, quem naturaliter appetunt. Ergo potest saltem aliquis hominum res omnes naturales intellectu complecti.

℟. *Transeat maj. et min. neg. cons.* Ex *praemissis* enim illud tantummodo consequitur, hominem non esse in eo statu, in quo primum a Creatore conditus est. Dixi tamen *transeat major*, quia negari posset, appetitum cognoscendi res omnes naturales, a natura ipsa esse ingenitum, et non potius esse pravam curiositatem, et effraenam libidinem ea sciendi, quae necessaria non sunt ad salutem, in qua est cognitio summi illius,

at-

atque incommutabilis veri, in quo omnia continentur. Dixi quoque *transeat minor*; quia negari adhuc posset, frustra esse appetitum, quem non possumus nisi supernaturali auxilio explere. Nec sequitur, hominem deterioris conditionis esse, quam reliquae creaturae; quia praeter objecta plurima naturalia, quae complecti valet, potest etiam supernaturali lumine ad verum supernaturale cognoscendum elevari, quod cetera omnia complectitur, cujus supernaturalis luminis ceterae creaturae capaces non sunt: nam *posse habere fidem*, *naturae est humanae*, *non pecorinae*, ut inquit *Augustinus*. Porro melioris conditionis est, qui supernaturali auxilio perfectiora facere potest, quam qui ejus auxilii incapax nonnisi ea *objecta* potest attingere, quae naturae congruunt. Nec refert, quod auxilio indigeat alieno; quae enim per amicos possumus, per nos ipsi quodammodo posse censemur, ut observat ex Aristotele *Lib. III. Ethic. S. Thomas*.

Scholion.

Quoniam creatio, conservatio, et *concursus* Dei ad singulos creaturae actus, quem *S. Thomas* vocat auxilium Dei moventis; Thomistae vero *physicam* praemotionem, *non improbanda ratione*, ut ait *Augustinus*, dici possunt *gratia*; profecto gratia Dei hoc sensu intellecta etiam ad naturales veritates seorsim cognoscendas est necessaria; cum id ne ipse quidem negaverit *Pelagius*. Imo ad difficiliores aliquas veritates, speciali opus est auxilio Dei, qui hominem peculiari providentia ita regat, ut illas naturali ingenio attingat: quod Dei auxilium naturale quidem reipsa est, sed supernaturale dici potest *quoad modum*. Sed nos cum de necessitate gratiae efficacis disputamus, non de illa naturali gratia loquimur, sed de supernaturali, quam ex Christi meritis accipimus, quamque ad supernaturalem veritatem assequendam omnino esse necessariam, sequenti capite ostendemus.

CAP.

CAP. XI.

De necessitate gratiae efficacis ad cognoscendum verum supernaturale.

Adv. I. JAm supra diximus, verum supernaturale esse illud, cujus *objectum* supra naturam est, vel cujus cognoscendi modus in natura non est; quod posterius *supernaturale quoad modum* dici solet in Scholis. Nos tamen hic de priori disserimus, sive de vero supernaturali *quoad* ipsum *objectum*, sive quoad mysteria fidei, quorum cognitio uno vocabulo *fides* dicitur. Fides autem intelligi potest, vel de simplici cognitione earum rerum, quae revelavit Deus, quae etiam in infidelibus esse potest, vel de pio quodam desiderio, et imperfecta credendi voluntate, vel denique de ipso interiori assensu, quo res a Deo revelatae creduntur.

II. *Pelagiani* sicut ad omnia bona opera, sic ad fidem plenam, atque perfectam liberi arbitrii vires sine interiori gratia Dei sufficere, affirmarunt: si quando autem ad offensionem declinandam agnoscebant gratiae necessitatem, nihil aliud eo nomine, nisi externam revelationem, et ad summum interiorem mentis illustrationem intelligebant.

III. *Semipelagiani* vero saltem ad initium fidei, seu ad pium quendam credulitatis affectum, naturae vires, etsi peccato originali attritas, sufficere putarunt: sicut, inquiebant illi, licet aeger non possit ipse per se sanari, potest tamen optare sanitatem; quaerere medicum, ejusque auxilium implorare.

IV. Quaestio autem inter Theologos est agitata non mediocris, utrum *Semipelagiani* omnem omnino Christi gratiam ad initium fidei negaverint esse necessariam; an vero agnoverint etiam ad fidei initium gratiae Christi necessitatem, rejecta tantum gratia intrinsecus efficaci. Inter Jansenianas quidem theses illa *num. IV.* ab *Innocentio X. et Alexandro VII.* damnata est: *Semipelagiani admittebant praevenientis gratiae interioris necessitatem, etiam ad initium fidei; et in hoc erant haeretici, quod vellent eam gratiam talem esse, cui posset*

set humana voluntas resistere, vel obtemperare. Cujus propositionis prima pars ut falsa, altera ut haeretica proscripta est; quia scilicet in sensu obvio verborum affirmat, haereticum esse, qui dixerit, libertatem arbitrii remanere sub gratia. At Franciscus Macedo *Lib. Mens divinitus inspirata*, quem non ignobiles Theologi secuti sunt, praesertim *Gonetus, Contensonus*, aliique, duplicem classem Semipelagianorum distinguit; alteram eorum, qui omnem Christi gratiam ad initium fidei negarunt, in quorum numero *Faustum Regiensem*, et *Cassianum* refert: alteram vero eorum, qui agnoscebant ad initum fidei necessitatem gratiae, sed versatilis. Alii passim Theologi Semipelagianos omnes nullam agnovisse ad initium fidei veram Christi gratiam contendunt, quorum sententiam fuse prosequitur Tournely *Part. I. Q. IV. De grat. Christi.*

V. Differt tamen *Francisci Macedonis* doctrina a Janseniana thesi duobus ex capitibus. Primo quidem, quia thesis illa de omnibus sine discrimine Semipelagianis loquitur; *Macedo* vero de altera tantum Semipelagianorum classe. Sed hoc non satis esset ad ejus defensionem, cum etiam Jansenius *Lib. VII. cap. 2. de haer. Pelag.* duplicem illam Semipelagianorum classem distinxerit. Deinde, et praecipue, quia in *Janseniana* propositione asseritur, non remanere sub gratia liberum arbitrium; at *Macedo* cum omnibus catholicis contrarium tuetur, et in hoc tantum hujusce classis Semipelagianorum haeresim putat sitam, quod posuerint gratiam versatilem ad initium fidei; in quo quidem non obscure Molinistas Semipelagianismi, et haereseos arguit. At nos memores charitatis, pacis, nec non praeceptorum Sedis Apostolicae, cujus filii obedientes sumus, ipsius judicium expectantes, ab hac quaestione invidiae plenissima putamus abstinendum. Nunc ad dogma fidei adstruendum veniamus.

PRO-

PROPOSITIO I.

Fides sive perfecta, sive imperfecta, et inchoata, sine interiori gratia Christi haberi non potest. Est fidei dogma.

Prob. I. *ex Scrip.* 1.° *Joan. VI.* 29. *Hoc est opus Dei, ut credatis in eum, quem misit ille.* Et *ibidem v.* 44. *Nemo potest venire ad me; nisi Pater, qui misit me, traxerit eum.* Venire autem ad Christum idem esse, ac credere in Christum, patet ex sequentibus *v.* 65. *Sunt quidem ex vobis, qui non credunt*... *propterea dixi vobi; quia nemo potest venire ad me, nisi fuerit ei datum a Patre meo.* Et *Philip. I.* 29. *Vobis donatum est pro Christo, non solum ut in eum credatis, sed ut etiam pro illo patiamini.*: ubi vides, utrumque esse Dei donum, credere in Christum, et pati pro Christo: *Utrumque ostendit donum Dei, quia utrumque dixit esse donatum*, inquit Augustinus *Lib. de Praedest. Sanct. cap.* 2.

2.° Ne quis autem forte ea Scripturae loca, quae fidem ex gratia esse docent, interpretetur de fide tantum plena; atque perfecta, non autem de inchoata, obstat Apostolus *II. Cor. III.* 5. *Non quod sufficientes simus cogitare aliquid a nobis quasi ex nobis; sed sufficientia nostra ex Deo est.* Quem in locum apposite Augustinus *Lib. de Praedest. Sanct. cap.* 2. *Attendant*, inquit, *et verba ista perpendant, qui putant, ex nobis esse fidei coeptum, et ex Deo fidei incrementum. Quis enim non videat, prius esse cogitare, quam credere? Nullus enim credit aliquid, nisi prius cogitaverit esse credendum: et ipsum credere est cum assensione cogitare* ··· *Ergo si non sumus sufficientes cogitare aliquid, quasi ex nobismetipsis, sed sufficientia nostra ex Deo est, profecto non sumus idonei credere aliquid ex nobismetipsis; quod sine cogitatione non possumus, sed sufficientia nostra, qua credere incipiamus, ex Deo est.*

3.° Idem Apostolus *I. Cor. IV.* 7. *Quis te discernit? quid*

quid habes, quod non accepisti? Quo testimonio testatur *Augustinus*, seipsum fuisse convictum, cum ante Episcopatum similiter erraret, putans fidei initium ex nobis esse. Si enim posset quis ex semetipso habere salutis initium, utique se ab alio ipse discerneret, haberetque aliquid, quod non accepit, et de quo posset in se, et non in Domino gloriari. Ergo. Vide eumdem Augustinum *Lib. de Praedest. Sanct. cap.* 3. *et seq.*

Prob. II. ex definitionibus Ecclesiae. 1.° Arausicana Synodus totius Ecclesiae consensione roborata *Can. VI. Si quis*, inquit, *sicut augumentum, ita etiam initium fidei, ipsumque credulitatis affectum, quo in eum credimus, qui justificat impium ..... non per gratiae donum, idest inspiratione Spiritus Sancti, sed naturaliter nobis inesse dixerit, Apostolicis dogmatibus adversarius adprobatur.* Et *Can. VII.* generatim definit, *Si quis per naturae vigorem bonum aliquod, quod ad salutem pertinet vitae aeternae, cogitare, ut expedit, aut eligere posse confirmat .... haeretico fallitur spiritu:* 2.° Idipsum Tridentina Synodus *Sess. VI. can.* 3. confirmavit. Ergo.

Prob. III. *ex Patribus.* Et 1.° De *Augustino* quidem; qui Semipelagianos debellavit, iisque Patribus, qui postea sequuti sunt, nullus relictus est locus dubitandi; cum videamus, ipsas *Augustini* sententias totidem verbis in Concilio Arausicano in Canones redactas, totius Ecclesiae adsensu sancitas. 2.° Patres *Augustino* antiquiores idipsum tradidisse patet non solum ex *Cypriano*, *Ambrosio*, *Nazianzeno*, quos Augustinus in libris *de Praedest. Sanct. et De dono perseverantiae* opponit Semipelagianis ipsum novitatis accusantibus, verum etiam ex aliis. 1.° Basilius *in Ps. CXV. Fides multo superior rationalibus methodis animam ad adsensum trahendo Spiritus Sancti operationibus in nobis efficitur.* 2.° ut alios praetermittamus, *Chrysostomus*, quem audacter, et falso *Vasquez Disp. LXXXIX. cap.* 4. Semipelagianismi insimulat, *Hom. XIX. in Epist. ad Rom.* scribens in ea verba Apostoli, *Vide bonitatem Dei*, haec habet: *Non dicit: vide virtutem tuam, aut labores tuos, sed Dei bonitatem, ostendens, quod universum ex superna gra-*

gratia sit factum, instituensque credentem, ut credat; quod et alibi saepe docet (*a*). Ergo ec.

Prob. IV. ex orationibus Ecclesiae, quae ab Apostolo edocta I. *Tim. II.* 1. semper pro infidelibus oravit, ut ad fidem converterentur. *Quando enim non oratum est in Ecclesia pro infidelibus, atque inimicis ejus, ut crederent?* ut inquit Augustinus *Lib. De dono persev. cap.* 23. Atqui oratio manifestissima est gratiae testificatio, ut idem saepenumero observat; *quandoquidem non oraret Ecclesia, ut daretur infidelibus fides, nisi Deum crederet et aversas, et adversas hominum ad se convertere voluntates.* Ergo.

Prob. V. *ratione.* 1.° Semipelagiani fatebantur, ad cetera bona opera necessariam esse gratiam. Ergo a fortiori fateri id debuerunt de initio fidei, et bonae voluntatis; cum difficilius sit voluntatem de mala in bonam converti, quam de bona effici meliorem, et in omnibus difficilius semper sit principium; unde illud Poetae effatum; *Dimidium facti, qui coepit, habet.* 2.° Si gratia, quam fatebantur ad cetera bona opera necessariam, non inducit fatalem necessitatem, cur gratiam fidei fatalem necessitatem inducere somniabant? 3.° Praecipua ratio, quae Semipelagianos movit, ut gratiam ad initium fidei, et ad perseverandum negarent, ea est, ut aliquod esset in homine meritum gratiae, et praedestinationis. At primum supra refutavimus, posterius infra refellemus. Ergo etc.

PROPOSITIO II.

Gratia ad initium fidei necessaria, quam Semipelagiani negabant, est gratia efficax, non tamen necessitatem imponens.

Prob. 1a. *pars.* I. Loca Scripturarum, quibus necessitatem interioris gratiae ad initium fidei ostendimus, pro-

(a) Vide Apologiam *Chrysostomi* apud *Sixtum Senensem Lib. V. Annot.* 101. Nat. Alexandrum *Hist. Eccl. saec. V. cap.* 6. Berti *Lib. XV. Cap.* 2. *etc.*

probant, eam esse intrinsecus efficacem, ut patet ex iis, quae diximus *Cap. III.* Si enim non ex ipsa gratiae virtute moveretur animus ad fidem, sed ipse libero voluntatis arbitrio gratia versatili uteretur ad credendum, non constaret illud Apostoli *Quis se discernit?* et alia Scripturarum testimonia, quae recitavimus. Ergo.

Prob. II. Eadem absurda, et incommoda, quae nunc *Moliniani*, et *Congruistae* adversus gratiam intrinsecus efficacem objiciunt, eadem etiam Semipelagiani objiciebant adversus eam gratiam, quam *Augustinus* cum Catholicis ad initium fidei necessariam docebat, scilicet auferri industriam, tolli virtutes, fatalem induci necessitatem, et ceteras veteres querelas, quae in Epistolis *Prosperi*, et *Hilarii* ad *Augustinum* leguntur, quas non pudet hodie *Molinistas* recinere. Ergo *Augustinus* cum Catholicis ad initium fidei gratiam intrinsecus efficacem docebat esse necessariam; alioquin si gratiam tantum versatilem ad hoc requiri docuisset, omnes illae objectiones evanuissent, ut cuique manifestum est.

Prob. 2a. *pars*, quae est dogma fidei, ex iis quae supra diximus, ubi ostendimus, gratiam intrinsecus efficacem non perimere libertatem arbitrii; unde merito, Propositio illa *Jansenii*, qua statuitur, *Semipelagianos ideo fuisse haereticos, quia asserebant voluntatem posse gratiae Dei resistere*, in sensu obvio verborum damnata est ut haeretica.

Objecta diluuntur.

Objic. I. *cont.* 1m. *prop.* Docet Justinus *Apolog. II.* eos, qui ante Christum, secundum rationis lumen vixerunt, fuisse Christianos, etsi athei habiti fuerint a Gentilibus; *Quales fuerunt*, inquit, *inter Graecos Socrates; inter barbaros Abraham.* Ergo etc.

℟. *Dist. ant.* Vocat Christianos *materialiter*, et quoad aliqua, *conc. Formaliter*, et quoad omnia, *subdist.* Sine gratia Dei, *neg.* Ex gratia Dei, iterum *subdist.* Si sermo est de fidelibus, ut *Abraham*, aliique, *conc.* Si loquamur de infidelibus, *neg.* Igitur respondet *Justinus* Gentilibus, qui Christianam religionem, tamquam novam, atque impiam insectabantur; aitque eos omnes,

qui

qui ductum rationis olim secuti sunt, qua in parte secuti sunt, vixisse secundum praecepta rationis aeternae Dei, quae est λογος, et Verbum Patris, sive Christus, ideoque ea ex parte fuisse Christianos. Non tamen expendit, quod ad rem non pertinebat, utrum rationis lumen secuti sint quoad omnia, et ex gratia Dei, quod nos fatemur de *Abraham*, aliisque fidelibus veteris testamenti; an vero quoad aliqua tantum, et ex viribus naturae.

Objic. II. Irenaeus *Lib. IV. cap.* 16. ait, ante legem a Moyse promulgatam homines fuisse justos lege naturae. Ergo.

℟. *Dist. ant.* Lege naturae, quoad ejus notitiam, hoc est cognovisse legem naturalem ipso lumine rationis facem praebente, *conc.* Virtute legis naturae, et non gratiae Dei, *neg.*

Objic. III. Clemens Alex. *Lib. VII. Strom.* ait: *Graeca Philosophia veluti praepurgat, et praeparat animam ad fidem accipiendam.* Ergo.

℟. *Dist. ant. Praepurgat, et praeparat* animam *negative*, impedimenta scilicet removendo, cujus tamen *negativae* praeparationis Deus rationem non habet in distributione gratiae; *conc. Positive*; *neg.*

Objic. IV. Hilarius *Lib. VIII. de Trin.* ait, *Deum non dare nobis voluntatem, quae si data esset, non haberet fides praemium, cum fidem nobis necessitas affixae voluntatis inferret.* Idem docet saepe *Chrysostomus*: ait enim *Hom. XII. in Epist. ad Heb. Non praevenit nostras voluntates, ne liberum perdat arbitrium.* Et *Hom. XLI. de Pelagia* docet, gratiam illis conferri qui eadem se dignos faciunt. Ergo.

℟. *Neg. cons. Hilarius* enim talem gratiam negat, quae liberum perimat arbitrium; non negat vero gratiam, quae nos ex nolentibus libere volentes facit. Quis enim dixerit, *Augustinum* negare, necessariam esse gratiam ad fidem, eo quod dicat *Epist. ad Vitalem n.* 16. *Scimus, eos, qui corde proprio credunt in Dominum, sua id facere voluntate, ac libero arbitrio.* Vide PP. Benedictinos *Praefat. ad libros Hilarii de Trinitate.* Ad loca *Chrysostomi* jam supra respondimus *Cap. IV.* Ceterum generatim de Patribus, qui ante Pe-

Pelagianam haeresim floruerunt, responderi potest quod jam supra ex *Augustino* observavimus *Lib. de Praedest. Sanct. cap.* 14. *Quid igitur opus est, ut eorum scrutemur opuscula, qui antequam ista haeresis oriretur, non habuerunt necessitatem in hac difficili ad solvendum quaestione versari?* Ideo si quid prima fronte durius appareat in eorum scriptis, benigna interpretatione excipiendum est.

Objic. V. Semipelagiani dogmatis praecipui auctores viri fuerunt sanctitate, et doctrina illustres, ut *Cassianus Chrysostomi* auditor, et Diaconus, *Faustus* Episcopus Regiensis, cujus memoria apud Gallos in veneratione est, *Gennadius* Episcopus Constantinopolitanus *Vincentius Lirinensis* edito *Commonitorio* adversus haereses celeberrimus, *Hilarius* Arelatensis, cui magnum illud elogium in Epitaphio Templi Arelatensis positum est: *Gemma Sacerdotum, plebisque, orbisque, magister.* Atqui Augustinus *Lib. de Praedest. Sanc. cap.* 2. ait, eos a sententia *Pelagii* non recedere, ideoque *De dono pers. cap.* 23. vocat eos novos haereticos, et Prosper *Epist. ad Aug.* reliquias *Pelagianae pravitatis*, quorum redarguit *obstinationem, pertinaciam, perversissimum opinamentum*, in quo *non mediocris virulentiae fibram nutriri*, ait. Ergo vel dicendum esset, viros illos improbos, et haereticos fuisse contra omnium veterum testimonia; vel *Augustinum*, et *Prosperum* modum excessisse; Semipelagianos vero doctrinam tenuisse sanam, atque orthodoxam.

℟. 1.° Theologos nonnullos a *Semipelagianismi* labe purgare conatos esse viros illos celebres, qui in objectione commemorati sunt, ut videre potest apud Norisium *in Historia Pelagiana*, et Bertium *Lib. XV. cap.* 3. Nam *Cassianum* defendit *Antonius Boucat*, *Faustum Sirmondus. Gennadium Suaresius, Lirinensem Franciscus Macedo; Hilarium Bruno Neusser, Tillemontius* vero, et *Ballerini* fratres saltem putant, eum ante mortem ab errore resipuisse. Sed quia clariora sunt, quae *Norisius*, aliique viri doctissimi contra eos protulerunt, quam ut ulla ratione obscurari valeant.

℟. 2.° *Dist. maj.* Et hi errarunt ante Ecclesiae de-

definitionem, *conc.* Secus, *neg.* *Dist.* etiam *min.* *Augustinus*, et *Prosper* eos haeresis accusant *materialis*, *conc.* *Formalis*, *neg.* Potuerunt itaque viri illi pietate, et doctrina illustres, antequam Ecclesia judicium pronunciaret in Synodo scilicet Arausicana II. totius Ecclesiae adsensu roborata, in quaestione obscura a veritate aberrare, absque eo quod *formaliter* essent haeretici, cum ad hoc, praeter errorem, pertinacia etiam necessaria sit. Sic ipse *Cyprianus*, aliique Patres in quaestione de Baptismo haereticorum errarunt, antequam ea res in Concilio plenario esset eliquata, ac definita, quos idcirco semper *Augustinus* a crimine schismatis, et haereseos excusat, quamvis *Stephanus* Romanus Pontifex jam ea de controversia judicasset. Idem in aliis etiam accidit dogmatibus. Pari igitur ratione *Semipelagianos* innoxie contra fidei veritatem errantes *Augustinus* redarguit, ut *fratres* (quo nomine eos honorifice appellat) *Prosper* vero eos vocat *viros claros*, et *egregios in omni virtutum genere*, praecipue vero *Hilarium* Arelatensem ait esse virum *praecipuae auctoritatis*, *et spiritualium studiorum*, licet abrepti disputationis aestu durius, non contra ipsos, sed contra doctrinam eorum falsam, ac perniciosam locuti sint.

Objic. VI. Plures haeretici mysterium Trinitatis, aliaque fidei dogmata credunt sine Christi gratia. Ergo etc.

℟. *Dist. ant* Credunt fide humana, ac naturali persuasione, *conc.* Fide supernaturali, et divina, *neg.* Non sufficit ergo ad fidem supernaturalem assentiri iis, quae revelavit Deus, nisi ea ratione adsentiaris, qua credendum est, propter divinam scilicet revelationem ab Ecclesia propositam. Haeretici autem non ea ratione adsentiuntur mysteriis fidei; alioquin omnia mysteria crederent, quae proponit Ecclesia, atque ita haeretici non essent; sed humana persuasione, humanisque rationibus.

Inst. Haeretici ideo adsentiuntur mysteriis, quae credunt, quia clare ea vident in Scripturis divinitus revelatis. Ergo propter divinam revelationem adsentiuntur.

℟. *Neg. cons.* Nam qui sint genuini Scripturarum libri, non habent ex revelatione divina ab Ecclesia proposita, sed ex sua ipsorum persuasione, ex qua libros Scripturarum, quos libuit, rejecerunt, aut agnoverunt.

Hinc semper eorum persuasio in suo ipsorum judicio fundamentum habet contra effatum Augustini: *Evangelio non crederem, nisi me Ecclesiae moveret auctoritas.*

Scholion.

I. Mira est Molinae *Concord. Q. XIV. art.* 13. *disp.* 7. aliorumque ejus sectatorum Theolagia. Docent enim illi, posse hominem actu mere naturali sine gratia assentiri nou aliquibus solum fidei articulis, ut haeretici faciunt, sed omnibus, atque ex hoc naturali adsensu disponi hominem ad accipiendam gratiam, qua etiam supernaturali assensu credat. Haec autem opinio sic explicata, ut adsensus naturalis causa sit, vel dispositio ad gratiam ex pacto aliquo inter Deum, et Christum non videtur recedere, inquit *Habert*, a Semipelagianorum erroribus; si autem alio sensu explicetur, memores sumus praeceptorum Sedis Apostolicae, cujus judicium expectamus.

II. Non solum initium fidei, et pius credulitatis affectus, sed etiam voluntas audiendi Evangelii praedicationem, ex gratia Dei est: unde dicitur *Act. XVI.* 14. *Dominus aperuit cor Lydiae intendere his, quae dicebantur a Paulo.*

III. Si fidei nomen pro pleno, ac perfecto adsensu usurpetur, quo quis divinam revelationem credit, non potest dici fides prima gratia seu primus gratiae effectus; quia illam praecedunt piae cogitationes, et credulitatis affectus, quae omnia ex gratia Dei fiunt. Sed si usurpetur fidei nomen pro omnibus iis, quae ad credendum quoquo modo disponunt, fidem esse primum gratiae effectum, putandum est. Unde Augustinus *Epist. ad Sixtum CXCIV. al. CV. Restat igitur, ut ipsam fidem unde omnis justitia sumit initium, non humano, quod isti extollunt, tribuamus arbitrio, nec ullis praecedentibus meritis, quoniam inde incipiunt bona, quaecumqae sunt merita.* Sed jam de necessitate gratiae ad verum cognoscendum diximus satis, nunc quanta ejus ad bonum faciendum necessitas sit, videamus.

CAP-

CAP. XII.

De necessitate gratiae efficacis ad bonum morale faciendum.

Adv. I. BOnum morale est actus humanus regulae suae, hoc est Legi aeternae Dei, consentaneus. Quae lex si lumine naturali innotescit, actus erit naturalis; si vero lumine fidei, supernaturalis censebitur. Atque ideo cum quaeritur, utrum gratia ad bonum morale faciendum necessaria sit, de utroque bono tum naturali, tum supernaturali quaestio est.

II. Sed bonum morale supernaturalis ordinis sine gratia fieri non posse, fide certum est. Id enim contra Pelagianos tot Conciliis est definitum, et ex Scripturis manifeste constat. *Joan.XV.*5. *Sine me*, inquit Christus, *nihil potestis facere*: in quae verba Augustinus *Tract.LXXXI. in Joan. Sive ergo parum, sive multum sine illo fieri non potest, sine quo nihil fieri potest.* Philip.II. 13. *Deus est qui operatur in vobis et velle, et perficere etc.* Imo cum contra Semipelagianos mox docuerimus, ne initium quidem bonae voluntatis posse nos habere sine efficaci gratia; eo quod *non sumus sufficientes cogitare aliquid a nobis*: multo magis hinc sequitur, neminem posse sine gratia bonum aliquod morale supernaturalis ordinis operari. Quis enim aliquid facit, nisi prius cogitaverit, esse faciendum? Quaestio igitur restat de bono morali ordinis naturalis.

III. Sed in bono morali duo sunt, *objectum*, *et finis*: objectum est opus ipsum, quod *Augustinus* saepe appellat *officium virtutis*, *ex. gr.* operire nudum; finis vero est ratio, quae ad agendum movet, isque duplex est, *proximus* (qui etiam dicitur *finis operis*) *ex.gr.* operire nudum ad eum sublevandum; et *remotus* sive *ultimus* (qui et *finis operantis* dici potest) isque Deus est.

IV. Docuit autem *Bajus*, ut supra diximus, nullum fieri posse opus moraliter bonum sine charitate (ut constat ex prop.XVI. inter damnatas) hoc est sine gratia habituali, ut ipse explicat *Lib. I. de Natura purae cap.* 6. ideoque omnia opera infidelium, et peccato-

 rum

rum vera esse peccata *prop. XXV. et XXXV.* Jansenius vero *Lib. III. de Nat. lapsa cap.* 18. *et seq. et Lib. IV. cap.* 1. *seq.* cui adhaesit *Quesnellus*, de quo etiam supra diximus, necessarium esse docent fidei *influxum* ad quodvis morale bonum. Fidei autem nomine intelligunt fidem Theologicam, qua Christiani sumus.

V. Inter Catholicos triplex est Theologorum sententia. 1.° Nonnulli docent, ut *Gregorius Ariminensis*, *Norisius*, aliique, sine gratiae, non quidem habitualis, sed actualis auxilio nullum fieri posse bonum morale etiam naturalis ordinis perfectum, idest non solum ex officio, sed etiam ex fine ultimo, et circumstantiis. 2.° Alii ex adverso contendunt, posse hominem naturali virtute sine gratia omnia Decalogi praecepta servare naturali, eoque recto fine, ut *Scotus*, *Durandus*; *Gabriel Biel in II. dist.* 28. *et in III. dist.* 27. 3.° Alii denique mediam tenentes viam putant, non adeo vitiatam esse naturam, ut non possit aliquod morale bonum perficere, si illud facile sit, nullaque animus tentatione pulsetur. Singularis est sententia *Vasquez*, qui novum quoddam comminiscitur Dei auxilium ordinis naturalis, quod dicit esse necessarium, ut bonum naturalis ordinis ad finem honestum referatur.

PROPOSITIO I.

Non est necessaria ad bonum morale naturalis ordinis, imo etiam supernaturalis, perficiendum charitas, sive gratia sanctificans. Est fidei dogma.

Prob. I. ex Script. *Ezech. XVIII.* 30. hortatur Deus peccatores ad poenitentiam, aliaque bona opera, quibus ad justificationem disponantur: *Convertimini*, inquit, *agite poenitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris.* Dan. IV. 24. *Peccata tua eleemosynis redime, et iniquitates tuas misericordiis pauperum.* Et *Luc. XVIII.* 14. Publicanus per humilem peccatorum confessionem, et orationem *descendit justificatus in domum suam*; et *Act. X.* 2. Cornelius Centurio per orationes, et eleemosynas dispositus est ad gratiam justificationis, quam ut observat Augustinus *Epist. CLXXXVIII. al. XVII.* nondum

dum acceperat. Sed si omnia opera ante gratiam sanctificantem facta peccata essent, nec Deus peccatores ad illa hortaretur, nec per ipsa impii disponerentur ad justificationem. Ergo etc.

Prob. II. ex definitionibus Ecclesiae. 1.° Concilium Constantiense *sess. XV.* inter errores *Joannis Hus* eam recenset propositionem; *Sine gratia sanctificante nullum bonum opus fieri potest.* 2. Tridentinum *sess. VI. can.* 7. *Si quis dixerit, opera omnia, quae ante justificationem fiunt, quacumque ratione facta sint, vere esse peccata, vel odium Dei mereri, aut quanto veheementius quis nititur se disponere ad gratiam, tanto eum gravius peccare, anathema sit.* Et *Can.* 8. *Si quis dixerit, gehennae metum, per quem ad misericordiam Dei de peccatis dolendo confugimus, vel a peccato abstinemus, peccatum esse, aut peccatores pejores facere, anathema sit.* 3.° Pius V. et Gregorius XIII. eas Baji propositiones damnarunt: (*Prop.* 35.) *Omne quod agit peccator, vel servus peccati, peccatum est.* (*Prop.* 40.) *In omnibus suis actibus peccator servit dominanti cupiditati.* Ergo etc.

Prob. III. Sicut charitas dominans in anima justi non impedit, quominus cupiditate stimulante saepius in peccata venialia labatur; ita cupiditas in anima dominans peccatoris, non impedit, quominus aliqua bona opera, Deo adjuvante perficiat. Hinc *Augustinus Lib. de Sp. et lit. cap.* 28. *Sicut non impediunt*, inquit, *a vita aeterna justum quaedam peccata venialia, sine quibus vita haec non ducetur, sic ad vitam aeternam nihil prosunt impio aliqua bona opera, sine quibus difficillime vita cujuslibet pessimi hominis invenitur.* *Quia*, inquit *Cap.* 27. *non usque adeo in anima humana imago Dei terrenorum affectuum labe detrita est, ut nulla in ea veluti lineamenta extrema remanserint, unde merito dici possit, etiam in ipsa impietate vitae suae facere aliqua legis, vel sapere.*

Solvuntur Objectiones.

Objic. I. *Matth. VII.* 18. legitur: *Non potest arbor mala bonos fructus facere.* Atqui peccator est mala arbor. Ergo etc.

℟. *Dist. min.* Peccator, ut peccator, sive secundum pravam ejus voluntatem mala arbor est, *conc.* Peccator spectatus in ipsa sua natura, et actuali Dei auxilio adjutus, *neg.* Quemadmodum itaque justus, ut justus est, bona utique arbor est, ideoque ait Joannes *I. Epist. Cap. III.* 9. *Omnis qui natus est ex Deo peccatum non facit . . . et non potest peccare*, quatenus justus est; et tamen hoc non impedit, quominus ex vetustate remanente peccare possit, et fructus malos producere; ita quamvis peccator arbor mala sit propter pravam ejus voluntatem, hoc tamen non impedit, quominus Deo illum illustrante, atque adjuvante, bonos fructus facere possit. Hinc *Augustinus Lib. I. cont. Julian. cap.* 8. *et Lib. IV. cap.* 3. arborem malam ipsam intelligit voluntatem malam, sicut arborem bonam, voluntatem bonam; ita ut sensus sit; mala voluntas non potest bonum facere, nec bona voluntas malum.

Objic. II. Ipse Deus protestatur, se rejicere sacrificia, oblationes, et orationes impiorum. *Isaiae I.* 13. *Ne offeratis*, inquit, *ultra sacrificium frustra. Incensum abominatio est mihi. Neomeniam, et Sabatum, et festivitates alias non feram. Iniqui sunt coetus vestri.* Psal. CVIII. *Oratio ejus fiat in peccatum. Joan. IX.* 31. *Peccatores Deus non audit.* Ergo omnia peccatorum opera sunt peccata.

℟. *Dist. ant.* Rejicit Deus sacrificia, et alia pia peccatorum opera ex pravo fine hypocrisis, et vanae gloriae facta, *conc.* Facta ex officio religionis, aut alio honesto fine, *neg.* Igitur Judaei, quos Deus per *Isaiam* increpat, *gens peccatrix, populus gravis iniquitate, servi nequam, filii scelerati*, putabant, per exteriora religionis officia se placere Deo, et impune sibi futura scelera, et iniquitates, quibus pleni erant, et a quibus recedere nolebant. Falsam hanc fiduciam redarguit Deus, dicens *Ibid. v.* 15. *Cum extenderitis manus vestras, avertam oculos meos a vobis .... manus enim vestrae sanguine plenae sunt.* Sed si opera illa fecissent ad obtinendam a Deo gratiam conversionis, vel ex vero religionis impulsu non eos redarguisset, sed laudasset Deus. Unde in eodem *Cap.* dicit: *Subvenite oppresso, judicate pupillo, defendite viduam. Et ...... si fuerint pec-*

cata vestra sicut coccinum, quasi nix dealbabuntur. Eadem responsione satisfiet verbis laudatis ex *Psal. CVIII.* et ex *Cap. IX. Joannis*: nisi quod ad laudatum Joannis locum addit *Augustinus*, verba illa, *Deus peccatores non audit*, non esse Evangelistae, sed *caeci nati, et nondum fide illuminati.*

Inst. Peccator semper agit ex pravo fine, nempe ex cupiditate, quam radicem omnium malorum Apostolus appellat *I. Tim. VI.* 10. Nam inter charitatem, et cupiditatem nil medium est, unde Augustinus ait *Enchir. cap.* 118. *Regnat carnalis cupiditas, ubi non est Dei charitas*; ac proinde cum peccator charitatem non habeat, ex cupiditate agat, necesse est. Ergo.

℟. *Neg. ant.* ad cujus confirmationem *Dist. ant.* Nil medium est inter charitatem, et cupiditatem quoad habitum, ita ut cui non dominatur charitas habitualis, dominetur habitualis cupiditas, *conc.* Quoad actum, *neg.* Ille enim, cui dominatur habitualis cupiditas, saepe actuali auxilio per Spiritum Sanctum moventem, et nondum inhabitantem, exercet pietatis opera, per quae ad justificationem disponitur.

Objic. III. Christus *Joan. XV.* 4. ait: *Sicut palmes non potest ferre fructum a semetipso, nisi manserit in vite: sic nec vos, nisi in me manseritis. Ego sum vitis, vos palmites: qui manet in me, et ego in eo, hic fert fructum multum: quia sine me nihil potestis facere.* Hic manifestum est, loqui Christum de gratia habituali, sine qua nullum fieri potest opus, quod vitam aeternam mereatur. Atqui verba illa: *sine me nihil potestis facere*; constanter adhibent Patres, praesertim *Augustinus* ad probandum, nihil omnino fieri posse sine gratia Dei. Ergo sine gratia habituali nullum fieri potest opus bonum.

℟. *Neg. cons.* Licet enim Christus de gratia *habituali* principio loquatur, mox tamen generatim pronunciat: *sine me nihil potestis facere*, quae verba, et *habitualem*, et *actualem* gratiam complectuntur; ideoque Patres illis utuntur ad probandam gratiae *actualis* necessitatem.

Objic. IV. Augustinus *Lib. de grat. Christi cap.* 26. *Ubi non est dilectio*, inquit, *bonum opus non imputur*,

ait, Deum Romanis ob eorum opera laudabilia tribuisse, ut mercedem terrenam, gloriam excellentissimi imperii. 3.° S. Thomae 2a. 2ae. *Q. X. art.* 4. *Peccatum, etiam infidelitatis, naturam totaliter non corrumpit, alioquin peccator desineret esse homo. Unde non oportet, quod in omni opere suo peccent infideles. Sicut enim habens fidem potest aliquod peccatum committere in eo, quod non refert ad finem fidei; ita etiam infidelis potest aliquem actum bonum facere in eo, quod non refert ad finem infidelitatis* (*a*).

Prob. III. ex definitionibus Sedis Apostolicae, quae has damnavit *Baji* propositiones (*num. XXV.*) *Omnia opera infidelium sunt peccata, et Philosophorum virtutes sunt vitia.* Item has Quesnelli duas (*XLII.*) *Sola gratia Christi reddit hominem aptum ad sacrificium fidei: sine hac nihil, nisi impuritas, nihil nisi indignitas*: Et (*XLVIII.*) *Quid aliud esse possumus, nisi tenebrae; nisi aberratio, nisi peccatum, sine lumine fidei, sine Christo, sine charitate?* Ergo etc.

Diluuntur objecta.

Objic. I. Apostolus *Rom. XIV.* 23. *Omne*, inquit, *quod non est ex fide, peccatum est.* Et *Tit. I.* 15. ***Omnia munda mundis .... infidelibus autem nihil est mundum.*** Ergo.

℟. *Dist. ant.* Omne, quod non est ex fide, hoc est secundum conscientiae regulam, peccatum est, *conc.* Omne, quod non est ex fide Theologica; *subdist.* Quod non est ex fide sensu contrario, sive quod est contra fidem, *conc.* Quod non est ex fide sensu tantum negativo, iterum *subdist.* Peccatum est, ut plurimum accidit, *conc.* Semper, *neg.* Itaque laudata Apostoli verba *Rom. XIV.* *Chrysostomus, Oecumenius, Theophylactus*, et Patres Concilii Lateranensis IV. intelligunt de conscientia, et qui-

(*a*) Adde Basilium *Hom. in Prov.* Nazianzenum *Orat. XXXI.* Prosperum *Cont. Collat. cap.* 22. Auct. Hypognost. *Lib. III.* etc.

quidem juxta Apostoli sensum, qui est ad litteram. Ait enim, eos, qui credebant, adhuc sub lege Christiana vetitas esse escas illas, quae lege Mosaica vetabantur, peccare semper, sive illis mala fide contra conscientiam uterentur, sive iis ex superstitione abstinerent, ideoque nihil iis esse mundum.

Verum quia *Augustinus*, quem alii sequuntur Patres, verba Apostoli de fide Theologica interpretatur, quamvis alium sensum non rejiciat; ideo concedimus 1.° omne quod non ex fide, hoc est contra fidei regulas agitur, peccatum esse. 2.° omne, quod fit ab infideli, plerumque esse contra fidem, ideoque peccatum, quia plerumque infideles opera quantumvis ex officio bona, malo fine agunt; sed ope saltem actualis gratiae possunt aliquod bonum bene, et laudabiliter facere, et sine actuali gratia possunt aliquid boni agere, quod saltem proprie dici non potest peccatum.

Inst. 1.° Omne opus, quod non ad Deum, tamquam ultimum finem dirigitur, peccatum est, cum opponatur maximo illi, primoque mandato: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo etc.* Atqui id sine fide fieri non potest: *Ubi* enim *non erat fides, bonum opus non erat. Bonum* enim *opus intentio facit, intentionem autem fides dirigit*, inquit Augustinus *in Psal. XXXI.* Ergo infideles semper peccant, vel peccato *commissionis*, operantes scilicet ex pravo fine, vel peccato *omissionis*, non operantes ex ultimo, ac debito fine.

℞. *Neg. min.* Possunt enim infideles, vel solo naturali lumine, ut supra diximus, vel saltem *actuali* Dei auxilio adjuti, verum Deum cognoscere, cum invisibilia ipsius a creatura mundi per ea, quae facta sunt, intellecta conspiciantur, *Rom. I.* 20. atque ita aliquod opus bonum ad ejus cultum, Deo etiam adjuvante, referre. Quod autem ait *Augustinus*; intentionem boni operis fidem dirigere, id intelligendum de opere, quod vitam aeternam mereatur: quo sensu ait Apostolus *Heb. XI.* 6. *Sine fide impossibile est placere Deo.* Nam *Augustinus* ibi non solam fidem ad intentionem boni operis requirit, sed etiam charitatem. Ait enim: *Disce eum, qui non facit opera bona, bona intentione fidei bonae, hoc est ejus, quae per dilectionem operatur, totum qua-*

sà

si corpus illud, quod veluti membris operibus constat, tenebrosum esse, hoc est plenum nigredine peccatorum. Vult ergo, eum, qui fidem, et charitatem non habet, ut infidelis, vel qui solam charitatem non habet, ut fidelis peccator, 1.° nullum facere opus, quo aeternam vitam mereatur, 2.° nisi adjuvetur actuali Dei auxilio, in ipsis operibus ex officio bonis peccare, vel ob finem pravum, vel ob defectum ultimi, ac debiti finis, qui Deus est, qui quidem defectus non vitium operis est, sed operantis. Non negat autem, infideles aliquando hoc auxilio moveri, licet id raro accidat.

Inst. 2.° Fides, ut supra diximus, est prima gratia. Ergo absurdum est agnoscere in infidelibus aliquod auxilium Dei moventis ad bona opera

℟. *Dist. ant.* Fides accepta pro qualibet mentis supernaturali illustratione, qua innotescit Deus, vel movetur mens ad ea contemplanda, quae ejus gloriam, divinitatem, virtutem, justitiam naturaliter enarrant, *conc.* Fides Theologica, et Christiana, *neg.* Fatemur, infideles hanc fidem non habere, sed negamus, eos speciali Dei auxilio habere non posse alteram, cum ex Scripturis constet, ipsum *Nabuchodonosor*, aliosque reges idololatras aliquando verum Deum cognovisse, licet eum postea non sicut Deum glorificaverint.

Inst. 3.° Augustinus *Lib. IV. cont. Julian. cap.* 3. interroganti Juliano : *Si gentilis nudum operuerit, numquid quia non est ex fide, peccatum est?* respondet : *Prorsus, quantum non est ex fide, peccatum est.* Ergo vel eo solo, quod fide caret infidelis, nullum opus facere potest moraliter bonum.

℟. *Neg. cons.* Verba enim Augustini *in quantum non est ex fide*, intelligenda sunt sensu contrario, hoc est in quantum fit ex fine fidei contrario ; subdit enim : *Non quia per se ipsum factum, quod est nudum operire, peccatum est, sed quia de tali opere in se, et non in Domino gloriari, solus impius negat esse peccatum.*

PRO-

PROPOSITIO III.

Si absolute loquamur, potest infidelis, et peccator sine gratia facere aliquod opus moraliter bonum, non solum ex objecto, *sed etiam ex fine proximo sed in praxi numquam fere id accidit.*

Prob. 1a. *pars.* Quod possit sine gratia fieri opus morale *ex objecto* bonum, nemo umquam negavit. Quod autem fieri possit opus bonum etiam ex fine proximo honesto; *ex. gr.* operire nudum ad ejus miseriam sublevandam: colere parentes ex grati animi officio, reddere depositum ex fidelitate, sic ostenditur. 1.° Finis proximus naturalis, et honestus est rationali naturae consentaneus. 2.° aliquando est adeo facile, ut in illum ipsa natura, licet depravata, propendeat, et naturali quadam inclinatione feratur, ut filiis alimenta praebere ad eorum vitam sustentandam. 3.° Non usque adeo detrita est in homine per peccatum imago Dei, ut nulla in ea lineamenta remanserint, per quae possit fine aliquo proximo honesto, et facili moveri. Ergo etc.

Prob. 2a. *pars.* 1.° Concupiscentia, quae velut altera in homine natura inolevit, adsidue illum impellit, ut opus etiam *ex objecto* bonum ad pravum vel superbiae, vel inanis gloriae, vel alterius vitii finem referat: et quidem eo vehementius, quo opus magis est egregium, ut advertit Augustinus *Lib. IV. cont. Jul. cap.* 3. Ergo nisi gratia Dei praesto sit, pravus finis etiam proximus opus ipsum inficiet.

2.° Exempla Gentilium, qui cum maxime omnium factis egregiis inclaruerint, ea pravo fine foedarunt, satis ostendunt, quam raro Gentiles etiam bonum bene faciant. Nam ut omittamus Epicureos, qui virtutes aliquando coluerunt, ut servirent voluptati, ipsi Stoici virtutes colendas docuerunt propter seipsas, hoc est propter superbiam, inanemque gloriam, ut advertit Augustinus *Lib. XIX. de Civ. cap.* 25. *Virtutes cum ad seipsas referuntur, nec propter aliud expetuntur etiam tunc inflatae, et superbae sunt, et ideo non virtutes, sed vitia judicanda sunt. Et Lib. V. de Civ. cap.* 18.

et

et seq. ostendit omnes Romanorum virtutes *Camilli Fabricii etc.* inanis gloriae cupiditate et fine vitiatas *Haec sunt*, inquit, *duo illa, libertas, et cupiditas laudis humanae quae ad facta compulere miranda Romanos.* Ergo etc.

PROPOSITIO IV.

Nemo potest sine gratia actuali diligere Deum etiam ut auctorem naturae, nec totam servare naturae legem, etiam quoad solam operum substantiam.

Prob. 1a. *pars.* contra *Scotum*, *Durandum*, et *Molinam*, qui contendunt, naturae viribus posse Deum, ut auctorem naturae diligi super omnia; nec non contra *Estium*, et *Sylvium*, qui putant, saltem posse diligi imperfecte, et non super omnia. I. Scripturae aperte docent, amorem Dei ex Deo esse. *Rom. V.* 5. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum. I. Joan. IV.* 7. *Charitas ex Deo est.* Atqui generale hoc effatum omnia praecludit effugia adversariorum, qui haec loca Scripturae de amore Dei auctoris donorum supernaturalium explicant. Ait enim August. *Lib. II. ad Bonif. cap.* 9. *Si charitas ex Deo est, tota nobis ex Deo est.* Ergo etc.

Prob. II. ex Conciliis. 1.° Arausicanum *Can. XXV. Prorsus*, inquit, *Dei donum est diligere Deum.* 2.° Idem definiverat Milevitanum *Cap. IV. Utrumque Dei donum est, et scire quid agere debeamus, et diligere ut faciamus.* Ergo.

Prob. III. ex *Augustino*, qui *Epist. ad Vitalem, Liberum*, inquit, *arbitrium ad diligendum Deum primi peccati granditate perdidimus.* Et *Lib. IV. cont. Jul. cap.* 3. *Amor Dei, quo pervenitur ad Deum, non est, nisi a Deo. Per hunc amorem Creatoris bene quisque utitur creaturis: sine hoc amore Creatoris, nemo bene utitur creaturis*: ubi vides, loqui S. Doctorem de amore Creatoris, hoc est Dei, ut naturae auctoris. Item *Lib. de grat, et lib. arb. cap.* 17. *Qui istam quamvis parvam dare coeperit charitatem, nisi qui praeparat voluntatem?* Imo *Cap.* 18. huc redire ait totam cum Pela-

gianis

gianis controversiam; *Si non ex Deo, sed ex hominibus est dilectio Dei, et proximi; vicerunt Pelagiani, si autem ex Deo, vicimus Pelagianos. Augustino* concinit S. Thomas 1a, 2ae. *Q. CIX. art.* 3. qui si alibi aliud sensisse videtur, loquitur de amore Dei, qui continetur in communi ratione boni, et beatitudinis, ad quam voluntas necessario tendit, vel de amore vitioso, quo Deus diligitur propter bonorum temporalium appetitum, qui utique non est amor Dei, sed rerum terrenarum; nam ut ait Bernardus *Lib. de diligendo Deo*: *Quidquid propter aliud amare videaris, id plane amas, quo amoris finis protendit.*

Prob. IV, *ratione.* 1.° Amor Dei complectitur amorem totius legis, et omnium virtutum, item odium vitiorum omnium. Quis autem dicat, id fieri posse sine gratia Dei? 2.° Deus *Diligentes se diligit. Prov. VIII.* 17. Ergo si is, qui Deum naturae viribus diligeret, in eo affectu moreretur, antequam fidem edoctus esset, damnari non posset. Salutem ergo consequeretur naturae viribus; quod absurdum est. 3.° Humana natura per peccatum aversa est a Deo Creatore, inclinata vero innato concupiscentiae pondere in amorem creaturarum. Ergo ut ex hac prava inclinatione retorqueatur, et assurgat in amorem Creatoris, gratia Dei opus habet. Vide haec fusius apud Bellarminum *Lib. VI. de grat. et lib. arb. cap.* 7.

Prob. 2a. *par.* 1.° Observatio totius naturae legis complectitur etiam maximum illud, primumque mandatum, ex quo lex, ipsa universa pendet. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, ex totis viribus tuis.* Atqui hoc mandatum sine Dei gratia servari non potest, ut mox ostendimus. Ergo etc. 2.° Sola legis cognitio non solum non sufficit sine gratia ad servandam legem: quin etiam (ex hominum cupiditate, quae *nititur in vetitum semper*, et veluti aqua objecto aggere fit vehementior) majoris praevaricationis occasio est, nisi *Spiritus adjuvet infirmitatem nostram.* Ait enim Apostolus *Rom. V.* 20. *Lex subintravit, ut abundaret delictum.* I. Cor. XV. 56. *Virtus peccati lex.* Rom. VII. 8. *Occasione accepta, peccatum per mandatum operatum est in me omnem concupiscentiam.*

tiam. Hinc Augustinus *Lib de perfect.just.cap.*6. *Lex*, inquit, *prohibendo auget peccati cupiditatem, nisi diffundat Spiritus Charitatem.* Vide eundem Augustinum *Lib. de Spir. et lit.* Ergo etc. 3.° *Pelagius* damnatus est, eo quod ad legis observationem sola legis notitiam sine gratia affirmabat sufficere, ut constat ex omnibus *Augustini* libris, et Conciliis contra *Pelagium* habitis. 4.° Observatio totius legis est certissimum charitatis argumentum, dicente Joanne I. *Epist. V.*3. *Haec est charitas Dei, ut mandata ejus custodiamus*: ac proinde sicut charitas ex Deo est, sic ex ipso est omnium observatio mandatorum. 5.° Totius legis observatio praemium aeternae vitae secum affert, dicente Domino *Matt. XIX.* 17. *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata*; ideoque si hoc posset homo naturae viribus, posset etiam sola duce natura ad vitam ingredi, qui manifestus error Pelagianorum est. Ergo etc.

Neque vero hujus argumenti vim effugiunt Molinistae dum ajunt, vitam aeternam promissam iis, qui servant legem ex charitate, non iis, qui eam tantum quoad substantiam servant, non quoad modum. Nam qui legem non servat ex charitate, sed ex cupiditate, jam offendit in maximo, ac primo praecepto legis; ideoque non servat totam legem.

Objectiones,

***Objic.* I.** *cont.* **1m.** *partem.* Potest homo naturali lumine cognoscere Deum esse diligendum. Ergo potest naturali virtute eum diligere.

℟. *Dist.ant.* Potest cognoscere judicio, ut ajunt, *speculativo*, *conc.* Judicio *practico*, *neg.* Judicium enim *practicum*, quod semper sequitur in operatione voluntas, fit secundum voluntatis inclinationem, quae cum per peccatum ad bonum commutabile caeco pondere feratur; non potest sine gratia ad bonum immutabile diligendum assurgere: licet intellectus possit judicio *speculativo* cognoscere, Deum esse diligendum. Magis enim humana natura per peccatum corrupta est in appetitu boni, quam in cognitione veri, ut observat *S. Thomas.*

Inst. 1.° Potest homo in tantum diligere creaturam, ut

sit pro ea vitam ipsam parvipendat. Ergo a fortiori Deum.

℟. *Neg. cons.* Amor enim creaturae non complectitur amorem totius legis, et sequitur innatum depravatae naturae pondus. At contraria est ratio in dilectione Dei.

Inst. 2.° Dari aliquem amorem Dei naturalem, *Pius V. et Gregorius XIII.* definierunt, damnantes eam *Baji* propositionem *num. XXXIV. Distinctio illa duplicis amoris, naturalis videlicet, quo Deus diligitur, ut auctor naturae, et gratuiti, quo Deus amatur ut beatificator, vana est, et commentitia, et ad illudendum sacris litteris, et plurimis veterum testimoniis excogitata.* Ergo.

℟. *Dist ant.* Datur amor Dei naturalis quoad *objectum, conc.* *Quoad modum, neg. Bajus* ergo asserebat, amorem Dei, ut auctoris gloriae, esse naturalem hominis conditionem, et quoad *objectum*, et quoad modum. Ab ea autem naturali conditione hominem fuisse dejectum per peccatum, et restitutum per gratiam. Quod si omnino contendas, damnatam esse illam thesim, eo quod negaret amorem Dei naturalem etiam *quoad modum*, respondemus, plures ex iis propositionibus fuisse damnatas ut temerarias, et scandalosas propter tristiorem censuram, qua Theologos alioquin catholicos privatus Doctor notabat. Vide *Laurentii Berti Dissertationes Apologeticas.*

Inst. 3.° Patres, et Concilia, quae definiunt, hominem non posse naturae viribus amare Deum, adjiciunt semper modum illum *sicut oportet.* Sic Tridentinum *Sess. VI. can.* 3. *Si quis dixerit, hominem, sine praeveniente Spiritus Sancti inspiratione, atque ejus adjutorio, credere, sperare, diligere, poenitere posse, sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur, anathema sit.* Ita etiam loquitur Arausicana Synodus, et *Augustinus.* Ergo supponunt, posse hominem naturae viribus diligere Deum, quamvis non *sicut oportet*, amore scilicet imperfecto.

℟. *Neg. cons.* Verba enim illa *sicut oportet* adjecta sunt ad indicandum, esse aliquem amorem, qui videtur quidem esse charitas, sed revera cupiditas est, quam nos

nos fatemur non esse ex gratia. Vide Augustinum *Enchir. cap.* 121. *et Lib. III. ad Bonif. cap.* 4.

PROPOSITIO V.

Probabiliter defendi potest sententia Norisii aliorumque Theologorum, qui docent, nullum fieri posse sine efficaci Dei gratia opus moraliter bonum ex objecto, et fine ultimo; nihilque habet commune cum damnatis Baji, et Quesnelli Propositionibus.

Prob. 1a. *pars.* I. Debitus finis ultimus actuum humanorum est ipse Deus, quod nos suo loco demostrabimus. Cum enim *universa propter semetipsum operatus sit Dominus. Prov. XVI.* 4. non potest ejus creatura recte agere, nisi propter ipsum creatorem agat, propter quem condita est. Porro nemo potest propter finem aliquem operari, nisi finem illum diligat. *Finis enim est, quod maxime diligitur*, ut inquit *Aristoteles*. Et Augustinus *Lib. IV. cont. Julian. cap.* 3. *Sine amore creatoris, nemo bene utitur creaturis*. Atqui sine efficaci Dei gratia nemo potest diligere Deum, ut supra ostendimus. Ergo nemo potest sine gratia opus aliquod vel facile, vel arduum ad Deum tamquam ad ultimum finem referre; ac proinde nemo sine gratia facere potest ullum opus undequaque bonum ex objecto scilicet, et debito fine ultimo.

Hoc autem argumentum nihil amittit roboris, etiam in eorum sententia, qui volunt, satis esse ut opus sit undequaque bonum, si *implicite*, ut ajunt, referatur ad Deum, sive fiat propter ipsam operis justitiam, et honestatem. Sicut enim Deus sine gratia amari non potest, ita nec potest sine gratia amari aeterna illa justitiae, honestatis, et veritatis regula, quae est ipse Deus; ideoque non potest sine speciali Dei auxilio ad eam referri opus licet *ex objecto* honestum. Nam etsi unicuique a natura insculpta est idea justitiae, et honestatis, quae velut lumen immutabile omnium mentibus refulget; tamen ut haec recti species non solum cognoscatur, verum etiam diligatur, ita ut ad agendum mo-

veat hominem, vitio concupiscentiae ad amorem sui ipsius omnia dirigentem, Spiritus Sancti auxilio opus est. Ergo etc.

Prob. II. Christus *Joan. XV.* 5. generatim ait: *Sine me nihil potestis facere*; ac proinde *sive parum, sive multum sine illo fieri non potest, sine quo nihil fieri potest*. Hinc Caelestinus I. *Epist. ad Episc. Galliae capit.* 7. *Ita Deus*, inquit, *in cordibus hominum, et in ipso libero operatur arbitrio, ut sancta cogitatio, omnisque bonus motus voluntatis, ex Deo sit, quia per ipsum aliquid boni possumus, sine quo nihil possumus.* Et Arausicana Synodus *Can. XII. Multa in homine bona fiunt, quae non facit homo, nulla vero facit bona homo, quae non praestat Deus, ut faciat homo.* 2.° Gregorius M. *Hom.* IX. *in Ezech. Sciendum quod mala nostra tantummodo nostra sunt, bona autem nostra ex omnipotentia Dei sunt, et nostra, quia ipse inspirando nos praevenit, ut velimus; qui adjuvando subsequitur, ne inaniter velimus, sed possimus implere quod volumus.* 3.° Bernardus *Serm. VII. de Annunciat. Certum est ad suam originem universa, quantum in eis est, tendere, et in eam semper esse partem procliviora. Sic et nos, qui de nihilo creati sumus, constat, quod si nobis ipsis relinquimur; in peccatum semper, quod nihil est, labimur.* 4.° S. Thomas 2a. 2ae. *Q. CXXXVI. art.* 3. *ad* 2. *Bonum politicae virtutis commensuratum est naturae humanae, et ideo absque auxilio gratiae gratum facientis*, (sive habitualis) *potest voluntas humana in illud tendere, licet non absque auxilio gratiae Dei.*

Nisi igitur actuali Dei gratia, veluti caelesti rore concupiscentiae aestus deferveat, in ipsis operibus ex officio, et proximo fine bonis, peccabit homo, non vitio operis, sed vitio, aut defectu operantis, qui illa vel ad pravum finem dirigit, vel ad ultimum finem non dirigit: dumque unum vitium superat, in alterum incurrit, vincens *ex gr.* luxuriam propter avaritiam, avaritiam propter superbiam;

Ma-

. . . . Manet ergo voluntas
Semper amans aliquid, quo se ferat; et labyrintho
Fallitur, ambages dubiarum ingressa viarum.
Vana cupit, vanis timet, et tumet, omnimodaque
Mobilitate tumens in vulnera vulnere surgit.

ut inquit Prosper (*Carm. de Ingrat.*). Et Ecclesia *Paraclitum* orans in Hymno Pentecostes: *Sine tuo lumine nihil est in homine, nihil est innoxium.*

Prob. 2a. *pars*, I. ex comparatione hujus sententiae cum *Baji*, et *Quesnelli* systemate. Illi enim nullum agnoscentes *actuale* auxilium Spiritus Sancti moventis, et nondum inhabitantis, docuerunt, nullum esse, et commentitium discrimen inter bona opera, quae aeternam vitam merentur, quaeque non merentur; nam inquiunt, vel in homine dominatur *habitualis* charitas, et opera vitam aeternam merentur; vel dominatur *habitualis* cupiditas, ut in infidelibus, et peccatoribus, et omnia opera ejus sunt peccata, ipsi etiam non deliberati concupiscentiae motus. Patet id ex nexu damnatarum *Baji* thesium; (*Prop. LXIII.*) *Illa distinctio duplicis justitiae, alterius, qua fit per Spiritum charitatis inhabitantem, alterius, quae fit ex inspiratione quidem Spiritus Sancti cor ad poenitentiam, excitantis, sed nondum cor inhabitantis ..... rejicitur.* (*Prop. LXII.*) *Illa quoque distinctio, qua opus dicitur bifariam bonum, vel quia ex objecto, et omnibus circumstantiis rectum est . . . . . vel quia est meritorium regni aeterni, eo quod fit a vivo Christi membro per Spiritum charitatis, rejicienda est.* (*Prop. LI.*) *Concupiscentia sive lex membrorum, et prava ejus desideria, quae inviti sentiunt homines, sunt vera legis inobedientia.* (*Prop. XL.*) *In omnibus suis actibus peccator servit dominanti cupiditati.* (*Prop. XXXV.*) *Omne quod agit peccator, vel servus peccati, peccatum est,* (*Prop. XXV.*) *Omnia opera Infidelium sunt peccata* Similia docet *Quesnellius*, nempe vel esse in homine fidem charitate habituali formatam, et tunc omnia ejus opera esse bona; et vitam aeternam mereri; vel talem abesse fidem charitate for-

matam, et tunc omnia ejus opera, etiam non deliberata, esse peccata.

Illi contra Theologi docent, non omnia infidelium, et peccatorum opera esse peccata. 1.° quia non deliberati concupiscentiae motus, peccata non sunt. 2. quia possunt infideles, et peccatores etiam sine actuali Dei auxilio aliqua patrare opera bona ex objecto, et fine proximo, quae peccata non sunt; licet in iis ex defectu ultimi finis peccet operans. 3.° quia infideles, et peccatores ex gratiae *actualis* auxilio nonnulla faciunt opera ex objecto, et fine ultimo bona, quae tamen non sunt vitae aeternae *meritoria*, ideoque distinctionem agnoscunt bonorum operum, quae vitam aeternam merentur, quaeque non merentur. Ergo nihil commune habet eorum Theologorum sententia cum damnatis *Baji*, et *Quesnelli* thesibus.

Prob. II. ex judicio Theologorum, qui maxime *Bajo*, *Jansenio*, et *Quesnellio* adversati sunt. *Gabriel Vasquez in* 1. 2. *Disp. CXC. num.* 128. Franciscus Suarez *Lib.* 1. *de Grat. Cap.* 4. *Turrianus*, *Gonetus*, *Contensonus*, *Macedo*, *Norisius*, aliique innumeri, hoc discrimen constare ajunt inter *Bajum*, et *Augustinianos* illos Theologos, quod ille ad opus bonum charitatem *habitualem* requireret, sine qua omnia opera statuebat esse cupiditate infecta, ideoque peccata: isti vero agnoscunt sine *habituali* gratia bona opera ex *actuali* Dei auxilio.

Prob. III. et quidem evidentissime ex judicio ipsius Ecclesiae, quae numquam damnavit Theologos innumeros praesertim ex Augustiniana Schola, qui sententiam illam vel ante, vel post Pontificias constitutiones tenuerunt: imo impactam ipsis Theologis *Bajanismi* calumniam, maturo examine adhibito contemsit, ac repulit; et clarissimum praesertim Augustinianae doctrinae vindicem *Norisium* in S. R. E. Cardinalium collegium omnium plausu evectum suspexit; ac venerata est. Ergo etc. Vide *Laurentium Berti in Dissertationibus Apologeticis.*

Solvuntur objecta.

Objic. I Apostolus *Rom. II.* 14. *Gentes*, inquit, *quae*

quae legem non habent, naturaliter ea, quae legis sunt, faciunt. Ergo necessaria non est ad faciendum opus aliquod morale undequaque bonum, gratia Dei.

℟. *Dist. ant.* Et verbum illud *naturaliter* opponitur Legi Mosaicae scriptae in tabulis lapideis, *conc.* Opponitur gratiae Dei per Christum, *neg.* Gentes itaque, de quibus loquitur Apostolus, ex Augustino *Lib. de Spir. et lit. cap.* 26. sunt Gentiles ad fidem Christi jam conversi quae interpretatio scopo Apostoli consentanea est, qui ibi nec Legem, nec Philosophiam valuisse docet ad salutem, sed gratiam. Sed licet cum Tertulliano *Lib. de Corona cap.* 6. Hieronymo *in Cap. XXIV. Isaiae*, Chrysostomo, aliisque Patribus verba Apostoli accipiamus de gentibus, nondum ad Christum conversis; constat adhuc, eos aliqua legis praecepta servasse, praesertim, faciliora, ut colere parentes, reddere depositum etc. quoad *objectum* quidem sine gratia; quoad modum vero, sive quoad debitum finem, ex gratia actuali.

Objic. II. Augustinus *Lib. de Spir. et lit. cap.* 27. postquam dixisset, multa ab infedelibus facta quae secundum justitiae regulam non solum vituperare non possumus, verum etiam merito, recteque laudamus, subjungit: *Quamvis si discutiantur, quo fine fiant, vix inveniantur, quae justitiae debitam laudem, commendationemque mereantur.* Ergo inveniuntur aliqua, quamvis rara, infidelium opera, quae non solum ex officio verum etiam ex fine justitiae debitam laudem mereantur.

℟. *Dist. cons.* Ex gratia, *conc.* Ex naturae viribus, *neg.* Nam ait ipse Augustinus *Lib. IV. cont. Julian. cap.* 3. *Ex quo colligitur, etiam ipsa bona opera, quae faciunt infideles, non ipsorum esse, sed illius, qui bene utitur malis. Ipsorum vero esse peccata, quibus et bona male faciunt.* Imo in ipso Libro *de Spir. et lit. cap.* 27. ait; differentiam veteris; novique Testamenti in eo positam esse, quod per vetus lex sonat, et terret extrinsecus, per novum diligitur, atque perficitur. Quam differentiam constare docet, etiamsi Gentiles, de quibus loquitur Apostolus, intelligamus eos, qui nondum verum Deum veraciter colebant: nam ut opera illa, quae fecerunt bona ex officio, quaeque satis ostendebant non esse

esse in illis penitus deletam imaginem Dei, essent etiam bona ex recto fine, opus habuerunt gratia novi Testamenti; nec enim vincere poterant vitium naturae sine gratia, quae naturam sanat.

Inst. 1.° Ideo *Augustinus* ait, Gentiles aliqua legis praecepta servasse, quia non usque adeo in eis imago Dei terrenorum affectuum labe detrita erat, ut nulla in ea lineamenta extrema remanserint, per quae possent aliqua legis mandata servare. Ergo non ex gratia, sed ex naturali conditione imaginis Dei non omnino deletae, manasse ait bona illa, quae Gentiles fecisse perhibentur.

℟. *Neg. cons.* Sicut enim ex eo quod imago Dei est reparata, ac restituta per Baptismum, non sequitur, fidelem sine *actuali* Dei auxilio posse legem divinam servare, atque exercere opera pietatis; sic ex eo, quod imago Dei in infidelibus non omnino deleta est, quia non omnino extincta natura rationalis, non sequitur, posse eos sine gratia servare aliqua legis praecepta, non modò quoad officium, sed etiam quoad finem; sed tantum non omnino deletam esse in eis recti, atque honesti notitiam, per quam aliqua facere potuerunt ex officio honesta, licet a recto fine aberraverint; imo etiam Deo auxiliante potuerint a recto fine non aberrare. Hanc esse *Augustini* sententiam, patet ex eo, quod ibidem ait, per illa opera bona, sed non recto fine patrata, quae imaginem Dei non omnino detritam ostendebant, Gentiles ab hominibus quidem laudem consecutos, a Deo autem non praemium in altera vita, sed mitiorem poenam.

Inst. 2.° Mitiori hac poena puniuntur Gentiles illi, non propter facta illa honesta, quae erant undequaque bona, sed propter alia opera mala, qua bonis admiscuerunt.

℟. *Neg. ant. Augustinus* enim ideo mitiori poena ait puniri *Fabricium* ex. gr. quam *Catilinam*, quia in factis illis, quae honesta videbantur, non veras virtutes habuit, sed ex veris virtutibus non plurimum deviavit, *Minus impius*, inquit, *quam Catilina Fabricius, non veras virtutes habendo, sed a veris virtutibus non plurimum deviando*. Ergo non solum propter alia peccata, sed propter ipsa, quae recta videbantur, punientur infi-

infideles *hoc peccantes*; *quod homines sine fide non ad eum finem ista retulerunt, ad quem referre debuerunt,* qua in re non vitium operis, sed ipsorum operantium reprehenditur. V. *Lib. IV. cont. Julian cap.* 3.

Inst. 3.° Idem August. *Lib. V. de Civ. cap.* 15. ait, Deum concessisse Romanis gloriam excellentissimi imperii, ut mercedem redderet eorum virtutibus, quibus ad tantam gloriam pervenire nitebantur. Ergo opera illa erant etiam ex fine bona, alioquin nullam mercedem, sed ad summum mitiorem poenam fuissent promerita.

℟. *Dist. ant.* Ut mercedem redderet talibus factis respondentem, *conc.* Respondentem veris virtutibus, *neg.* Cum ergo *Augustinus* ibi doceat, omnia Romanos ob inanem gloriam effecisse, eo sensu dicit, Deum dedisse illis mercedem; quo sensu ait Christus Pharisaeos, qui utique pravo fine bona agebant, nempe ut glorificarentur ab hominibus, recepisse mercedem suam, idest vanam. In tantum enim bonus est Deus, ut ubicumque aliquid refulgeat boni, non patiatur esse aliqua mercede vacuum; sed cum bonum illud est tantum apparens, quia scilicet non ad eum finem dirigitur, ad quem dirigendum est, mercedem Deus promittit apparentem, et vanam, vanis operibus convenientem, qualis fuit gloria Romani imperii: praesertim cum virtutibus illis etsi propter finem operantium vitiosis, multa alia vitia longe pejora Romani compresserint.

Inst. 4.° Ergo ex eorum Theologorum sententia liberum arbitrium sine gratia Dei nonnisi ad peccandum valet: Quae propositio inter reliquas Baji damnata est (*num. XXVIII.*) sicut et illa; *Cum Pelagio sentit qui boni aliquid naturalis, hoc est quod ex naturae viribus ortum ducit, agnoscit* (*num. XXXVII.*).

℟. *Dist. cons.* Sine gratia habituali, ut contendebat damnata *Baji* propositio, *neg.* Sine gratia actuali, seu adjutorio Spiritus Sancti moventis, et nondum inhabitantis, *transeat*: nam etsi id daremus, differret hoc a damnata *Baji* doctrina. Sed neque hoc concedimus, propter ea, quae diximus in *Prop. II.* Quod vero pertinet ad aliam *Baji* propositionem, 1.° constat, nonnullas ejus theses esse damnatas propter censuram, qua adversarios notabat, ut est haec, quam nos etiam rejicimus, et da-

et damnamus; non enim adversarios dicimus esse Pelagianos. 2.° Constat etiam, theses illas damnatas esse *in sensu ab auctoribus intento*. Sensus autem *Baii*, ut vidimus, hic erat, nempe cum *Pelagio* sentire, qui sine gratia habituali bonum aliquod opus agnosceret. Vide Contensonum *Tom. I. Lib. VIII. Diss. II. cap.* 2. et *Berti in Dissertationibus*.

Objic. III. Plures SS. Patres ajunt, Gentiles praesertim Philosophos naturali virtute coluisse castitatem, liberalitatem, morum honestatem. Sic Origenes *in Epist. ad Rom.* 2. Chrysostomus *Hom. VII. ad Pop. Antioch.* Gregorius M. *Hom. XXV. in Evang.* Imo *Augustinus* ipse *Hom. XXX.* inter *L.* ait, inter amorem castum, et perversum esse medium quemdam amorem non vetitum, sed naturae ipsi consonum, ut parentum in filios etc. Ergo etc.

℟. *Neg. cons.* Laudati enim Patres, vel locuti sunt de operibus bonis ex officio, non ex fine; vel si de operibus undequaque bonis locuti sunt, non negabant gratiae adjutorium, licet id non expresserint; non enim id tunc agebatur, nec erat his locus. Vide Augustinum *Lib. de Nat. et grat. cap.* 33. *num.* 62. Quod vero ad ipsum *Augustinum* attinet; concedit esse quendam amorem licitum, et naturae consonum, sed nisi rationabilis sit, et ad eum finem referatur, ad quem referendus est, perversus erit *vitio operantis*, quia frui creaturis perversitas est. Ut autem ad eum finem referatur, gratia Dei opus esse, constantissime *Augustinus* inculcat. Licet enim ipsa natura in hunc amorem inclinet, natura tamen vitiata non inclinat ad amorem hunc referendum eo, quo referendus est, nempe ad Deum saltem sub generali ratione justitiae, et honestatis; quia ad hoc requiritur, ut diligatur justitia, diligatur veritas, honestas, rectitudo plusquam delectatio, et proprium commodum. Hic autem amor non est a vitiata natura, quae omnia ad amorem sui ipsius dirigit.

Corollaria.

I. Quaesitum est a Theologis, utrum homo solis naturae viribus possit tentationibus obsistere, ac vitare peccatum. Nonnulli post *Estium*, *Silvium*, aliosque distin-

guunt inter tentationem gravem, et levem; et hanc quidem posse, illam non posse sine gratia vinci, docent. Alii vero distinguunt inter victoriam, quae refertur ex amore Dei, sive immutabilis regulae justitiae, et honestatis, et eam, quae ex alio fine est, vel bono, vel pravo. Et quidem 1.° dubitari non potest, quin possit sine gratia vitium vitio, tentatio tentatione alia superari; qui enim ita vincit *in vulnera vulnere surgit*, ut inquit, *Prosper*, et *Augustinus Lib. XXI. de Civ. cap.* 26. *Nonnumquam sane apertissima vitia aliis vitiis vincuntur occultis, quae putantur esse virtutes.*

2.° Cum victoria tentationis opus bonum sit; sicut supra diximus, posse aliquod bonum opus ex honesto fine proximo fieri sine gratia, sed id fere numquam accidere; ita hic sentiendum, posse naturae viribus levem aliquam superari tentationem ex proximo fine honesto, si rem in seipsa spectemus, *ex. gr.* posse hominem ditissimum superare levem pecuniae amorem ad erogandum pauperi obolum, sed id fere nunquam accidere, quia concupiscentia, instigante diabolo, etiam hic finem pravum interserit.

3.° Cum probabiliter defendi possit, neminem posse opus ullum sine gratia facere ex recto fine ultimo, ut supra diximus, sequitur hinc, neminem sine gratia posse tentationem ullam sive gravem, sive levem vincere ex debito ultimo fine nempe ex amore Dei, vel justitiae, et honestatis. Porro cum haec sit vera tentationis victoria, dicente Augustino *Lib. XXI. de Civ. cap.* 16. *Tunc victa vitia deputanda sunt, cum Dei amore vincuntur*: hinc Scripturae, Patres, Concilia, Summi Pontifices unanimi consensu docent, neminem posse sine Dei adjutorio tentationem ullam superare. Ipse enim Christus ita Patrem orare nos docuit: *Ne nos inducas in tentationem, sed libera nos a malo.* Hinc ex totius Ecclesiae sententia loquens Innocentius I. *Epist. ad Conc. Carthag. Quotidiana*, inquit, *praestat ille remedia, sine quibus nullatenus vincere poterimus errores. Necesse est enim, ut quo auxiliante vincimus, eodem rursus non adjuvante, vincamur.* Vide haec fusius apud Bellarminum *Lib. V. de Grat. et lib. arb. cap.* 7.

II. Ergo ipse justus efficaci gratiae auxilio indiget, ut

ut diu a peccato etiam mortali abstineat. Gratia enim sanctificans, ut observat S. Thomas 1. 2. Q. CIX. *art.* 4. non ad perfectam illam sanitatem restituit hominem, quae expectatur in Patria, atque ideo remanet adhuc infirmitas carnis, et assidua cum hostibus callidissimis, et fortissimis certamina, unde justorum est ista oratio: *Ne nos inducas in tentationem, sed libera nos a malo.*

III. Ergo multo magis peccator, qui poenitentiam agere negligit (de poenitentibus enim alia ratio est) non potest *moraliter* diu abstinere ab aliis peccatis, etiam gravibus. Tentationibus enim impetitur gravioribus, et contra potentioribus Dei auxiliis destituitur. Tentationibus quidem gravioribus pulsatur, quia dominatur ei cupiditas, quae caelesti delectationi adversa est; *occupatum enim saecularibus desideriis animum delectatio sancta declinat*, ut inquit Bernardus *Serm. V. de Ascens.* et concupiscentiae motus efficit vehementiores, cum in rebellem Deo mentem, justo Dei judicio, rebellis appetitus acrius insurgat; nec deest diabolus, a quo impii captivi tenentur ad ipsius voluntatem *II. Tim. II.* 26. eum in via lubrica, et tenebrosa praecipitem impellere. Auxiliis vero potentioribus peccator destituitur, quia *oculi Domini super justos, et aures ejus in preces eorum. Vultus autem Domini super facientes mala. Ps. XXXIII.* unde subtractio auxilii potentioris, quod Deus praestat amicis, justa poena est, quam irrogat inimicis, de quibus dicitur *Ps. LXXX. Dimisi eos secundum desideria cordis eorum, ibunt in adinventionibus suis.* Hoc igitur sensu Scriptura victoriam tentationum aliquando inhabitanti Spiritui tribuit. *I. Joan. IV.* 4. *Vos ex Deo estis, filioli, et vicistis eum* (nempe diabolum) *quoniam major est, qui in vobis est, quam qui in mundo.* Et *Cap. V.* 18. *Scimus, quia omnis, qui natus est ex Deo, non peccat, sed generatio Dei conservat eum, et malignus non tangit eum.* Constat ergo sententia illa *Gregorii M. Hom. XI. in Ezech. Peccatum, quod per poenitentiam non deletur, suo pondere in aliud trahit.* Cui concinit Auctor *Hom. XXXIV. in Opere imperf. apud Chrysostomum. Si semel peccantes nos obligaverimus operibus diaboli, jam nostra virtute evadere non possumus, sed sicut navis fracto gubernaculo illuc ducitur, ubi tempe-* stas

stas voluerit, sic et homo divinae gratiae auxilio perdito per peccatum agit non quod vult, sed quod diabolus vult.

CAP. XIII.

De necessitate efficacis gratiae ad vitanda peccata venialia.

Adv. I. CUm justus possit ordinariis auxiliis gratiae vitare gravia peccata quaerendum restat, 1.° utrum possit etiam auxiliis ordinariis omnia prorsus vitare venialia. 2.° Utrum id possit auxiliis extraordinariis, sive speciali privilegio. 3.° Utrum aliquis justus praeter Christum *qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus I. Pet. II.* 22 hoc speciali privilegio donatus, justitiae perfectionem in hac vita fuerit assecutus.

II. Erat hic palmaris error *Pelagii*, atque *Caelestii*, non solum posse justos sine ullo veniali peccato vitam agere, sed etiam fuisse multos, quos Scriptura commemorat, qui ad eam justitiae perfectionem pervenerint.

PROPOSITIO I.

Justus quantalibet charitate ferveat, non potest morali potentia toto vitae suae cursu, neque diuturno tempore vitare omnia venialia peccata auxiliis gratiae ordinariis: potest vero auxiliis extraordinariis.

Prob. 1a. *pars*, quae dogma est fidei, nempe non posse justum ordinariis gratiae auxiliis toto vitae cursu ab omnibus abstinere peccatis venialibus. I. ex Scriptura. *Psal. CXLII. Non intres in judicium cum servo tuo, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens*: et *Ps. XXXI* cum dixisset Propheta: *Dixi: Confitebor adversum me injustitiam meam Domino, et tu remisisti impietatem peccati mei*, subdit: *Pro hac orabit ad te omnis sanctus.* ubi advertit Aug. *Lib. II. de peccat. merit. cap.* 7. *Non dixit omnis peccator, sed omnis sanctus; vox*

enim

enim sanctorum est: si dixerimus quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, et veritas in nobis non est I. Joan. I. 8. *II.* Paralip. VI. 36. *Non est homo, qui non peccet*: et *Jac.* III. 2. *In multis offendimus omnes* (*a*). Ergo etc.

Prob. II. ex traditione. 1.° *Tria sunt*, inquit Augustinus *Lib. de dono Persev. cap.* 2. *quae maxime adversus Pelagianos defendit Ecclesia*; *quorum est unum, gratiam Dei non secundum merita nostra dari: alterum, est, in quantacumque justitia sine qualibuscumque peccatis in hoc corruptibili corpore neminem vivere: tertium est, obnoxium nasci hominem peccato primi hominis*: Vide ejus librum *De perfectione justitiae*, ubi fuse contra Pelagianos ostendit, neminem sine aliquo peccato vitam istam ducere (*b*) 2.° Hieronymus *Lib. II. cont. Pelag. Quandiu ille finis advenerit . . . . . necesse est, nos subjacere peccato, non naturae, et conditionis, ut calumniaris, vitio* (hoc est non physica necessitate) *sed fragilitate, et commutatione voluntatis humanae, quae per momenta variatur.* 3.° S. Thomas 1a. 2ae. *Q. CIX. art.* 8. *Non potest homo abstinere ab omni peccato veniali propter corruptionem inferioris appetitus sensualitatis, cujus motus singulos quidem ratio reprimere potest, et ex hoc habent rationem peccati, et voluntarii; non autem omnes, quia dum uni resistere nititur, fortasse alius insurgit, et quia ratio non potest esse semper pervigil.* (*c*).

Prob. III. ex definitionibus Ecclesiae. 1.° Concilium Milevitanum II. *Can. VI.* anathema dicit iis, qui asserunt, non ex veritate, sed ex humilitate dictum esse a Joan. *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus,* *ipsi*

(a) Adde *Eccl. VII.* 21. *Prov. XVIII.* 7. *Matth. VI.* 12.

(b) Adde *Lib. I. cont. duas epist. Pelag. Cap.* 4. *Lib. de nat. et grat. cap.* 39. *Lib. de Spir. cap. ult. Serm. XXIX. de Verb. Apost. Lib. IV. ad Bonif cap.* 10. *et alibi.*

(c) Addi potest Cyprianus *ap. August. Lib. II. cont. Julian. cap.* 8. Leo M. *Serm. IV. de Quadrag.* Bernardus *Serm. I. de Coena Dom. etc.*

Ipsi nos seducimus, et veritas in nobis non est; Cum contra Joannes non dixerit: non est in nobis *humilitas*, sed non est *veritas*, in qua fundatur humilitas. 2.° Tridentinum *Sess. VI. can.* 23. *Si quis hominem semel justificatum dixerit, posse in tota vita peccata omnia etiam venialia vitare, nisi ex speciali privilegio, quemadmodum de B. Virgine tenet Ecclesia, anathema sit.*

Prob. 2a. *pars*, sive non posse justos ad tempus diuturnum omnia vitare venialia peccata. Eadem ratio *S. Thomae*, quae probat, justum id non posse toto vitae curriculo, idipsum probat etiam de tempore diuturno. Nimirum cum assidua nobis sit cum hostibus validissimis, ac vaferrimis lucta, quorum alii a fronte, alii a tergo, alii ex latere insurgunt, fieri diu non potest, ut in ipsa victoria levia saltem non accipiantur vulnera. Ergo.

Prob. 3a. *pars*, sive posse justum omnia vitare venialia auxiliis gratiae extraordinariis 1.° ex Augustino: qui *Lib. II. De pecc. merit. et remiss. cap.* 6. *Si a me quaeratur*, inquit, *utrum homo sine peccato possit esse in hac vita, confitebor, posse per Dei gratiam et liberum arbitrium.* 2.° ex eo, quod revera B. Virgo hoc privilegio gratiae donata fuit, ut vinceret omni ex parte peccatum, ut supra ex Tridentino notavimus; et in altera propositione dicemus uberius.

Solvuntur Objectiones.

Objic. I. Jubet Deus, nos esse perfectos, ideoque omnia peccata etiam venialia vitare. *Matth. V.* 48 *Estote perfecti sicut et Pater vester caelestis perfectus est.* Atqui *Deus impossibilia non jubet, sed jubendo monet facere quod possis, petere quod non possit, et adjuvat, ut possis*, ut docet Tridentinum *Sess. VI. Cap.* 11. Ergo possumus auxiliis gratiae ordinariis omnia prorsus venialia peccata vitare.

R. *Dist. ant.* Possumus vitare omnia venialia seorsim singula, *conc.* Omnia simul, *Subdist.* Potentia physica, *conc.* Potentia morali, *neg.* Praecepta itaque Dei, etsi generatim tradita, nonnisi in singularibus actibus servanda

V. 7. Vide Augustinum *Lib. II. De pecc. merit. cap.* 16. et 19. et *Lib. de Natura et grat. cap.* 27. et 28., et *Lib. I. De Serm. Domini in monte.*

Inst. 2.° *Scriptura* divina ita ad perfectionem vitae nos incitat, ut ostendat, eam non esse in hac mortali vita justis moraliter impossibilem. Unde Apostolus *Philip. III* 15. *Quicumque*, inquit, *perfecti sumus, hoc sentiamus.* Ergo etc.

℟. *Dist. ant.* Est moraliter possibilis justo perfectio viae, *conc.* Perfectio patriae, *neg.* Ait enim Apostolus *loc. cit. Non quod jam acceperim, aut jam perfectus sim:* et post pauca, *quicumque perfecti sumus hoc sentiamus.* Unde Augustinus *Lib. III. ad bonif. cap.* 7. *Apostolus*, inquit, *et imperfectum, et perfectum se dicit: imperfectum scilicet, cogitando quantum illi ad justitiam desit, cujus plenitudinem adhuc esurit, ac sitit; perfectum autem, quod et suam imperfectionem confiteri non erubescit, et ut perveniat, bene procedit. Sicut possumus dicere, perfectum esse viatorem, cujus bene promovetur accessio, cum scilicet peccata sua agnoscens, non negligit ea mundare eleemosynis.* Et *Lib. II. De pecc. merit. cap.* 15. *Potest aliquis esse perfectus sapientiae auditor. quamvis nondum sit perfectus et doctor.* etc. Est ergo aliqua perfectio vitae hujus, quae moraliter possibilis est, licet non careat levioribus naevis.

Objic. II. Justus natus est ex Deo *I. Joan. III.* 9. Atqui *omnis, quis natus est ex Deo, non peccat, nec potest peccare, quia semen Dei in ipso manet (ibid.)* Ergo omnis justus potest peccata omnia, etiam venialia vitare, cum hic Scriptura non distinguat gravia, leviaque peccata.

℟. *Dist. min.* Omnis, qui natus est ex Deo nativitate perfecta, quae erit in patria, *conc.* Nativitate imperfecta, *subdist.* Qui natus est ex Deo, non peccat, quatenus ex Deo natus est, *conc.* Quatenus remanent in eo reliquiae veteris hominis non omnino abolitae, *neg.* Hinc Augustinus *Lib. II. De peccat. merit. cap.* 7. *Non enim, inquit, ex qua hora quisque baptizatur, omnis vetus infirmitas ejus absumitur, sed renovatio incipit a remissione omnium peccatorum, et in quantum quisque spiritualia sapit, qui jam sapit. Nam si in*

ipso

ipso animo, qui est homo interior, perfecta in baptismo novitas fieret, non diceret Apostolus. II. *Cor.* IV. 16. *Etsi exterior homo noster corrumpitur, sed interior renovatur de die in diem.* Mox subjungit *Cap.* 8. *proficimus ergo in renovationem, justamque vitam per quod filii Dei, sumus, et per hoc omnino peccare non possumus, donec totum in hoc transmutetur etiam illud, quod adhuc filii saeculi sumus; per hoc enim et peccare adhuc possumus. Ita fit, ut et qui natus est ex Deo, non peccet; et si dixerimus, quia peccatum non habemus ipsi nos decipiamus, et veritas non sit in nobis.*

PROPOSITIO II.

Excepta una Virgine Dei genitrice Maria, nemini adhuc justo datum est omnia prorsus vitare peccata venialia.

Prob. 1.° Augustinus *Lib. de Nat. et grat. cap.* 36. *Excepta*, inquit, *SS. Virgine Maria, de qua propter honorem Domini, cum de peccato agitur, nullam prorsus haberi volo quaestionem . . . si omnes illos sanctos, et sanctas cum hic viverent, congregare possemus, et interrogare, utrum essent sine peccato, quid fuisse responsuros putamus? . . . . nonne una voce clamassent: si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, et veritas in nobis non est?* 2.° Bernardus *Epist. LXXIV. Ego puto, quod et copiosior sanctificationis benedictio in eam Virginem descenderit, quae ipsius non solum sanctificaret ortum, sed et vitam ab omni deinceps peccato custodiret immunem. Quod nemini alteri in natis quidem mulierum creditur esse donatum.* 3.° Licet Tridentinum non definiverit ut dogma fidei, *Mariam*, et quidem unam, ab omni veniali labe fuisse immunem; propositio enim illa incidens: *sicut de Beata Virgine tenet Ecclesia*, nec dogma fidei est; nec alios sanctos clare excludit; satis tamen indicavit totius Ecclesiae sensum. Ergo.

Sol-

Solvuntur Objectiones.

Objic. I. Scriptura plures laudat justos, tamquam omnis peccati, etiam venialis puros. 1.° Sic *Job.* 5. 1. *Job* ipsius Dei testimonio dicitur vir rectus, et simplex, et timens Deum, et recedens a malo. 2.° De *Zacharia*, et *Elisabeth* dicitur *Luc. I.* 6. *Erant justi ambo ante Deum, incedentes in omnibus mandatis, et justificationibus Domini sine querela.* 3.° De Baptista ait Christus *Matth. XI.* 11. *Non surrexit inter natos mulierum major Joanne Baptista.* Et de eodem canit Ecclesia: *Antra deserti ..... fugiens petisti. Ne levi saltem maculare posses crimine vitam.* Ergo non uni Beatae Virgini datum est venialia omnia peccata vitare.

℟. *Neg. ant.* Nam ad id, quod de *Job.* dictum est, respondet Augustinus *Lib. II. de pecc. merit. cap.* 10. *Job autem post tam magnum de illo testimonium, quid ipse dicat, videamus: In veritate, inquit Job. IX.* 2. *scio quia ita est* (a), *quemadmodum enim justus erit homo ante Dominum?* multaque colligit *Jobi* loca, quibus se leviter saltem lapsum esse confitetur.

Ad alterum, quod de *Zacharia*, et *Elisabeth* objectum est, respondet idem Augustinus *Lib. De perf. justitiae cap. II. Aliud est esse sine peccato, quod de solo in hac vita Unigenito dictum est, aliud esse sine querela, quod de multis justis etiam in hac vita dici potuit; quoniam est quidam modus bonae vitae, de quo etiam in ista humana conversatione justa querela esse non possit. Erant ergo justi ambulantes in omnibus mandatis Domini, ut nemo de eorum conversatione queri posset. Quis enim justae querelae apud homines locus, si quis omnia mandata servat, licet levioribus non careat maculis?*

Quod vero ait Christus de *Baptista*, significat, eum omnibus veteris Testamenti Prophetis antecellere, ut clarius expressit Lucas *Cap. VII.* 28. *Major inter natos mulierum Propheta Joanne Baptista nemo est.* Hymnus autem Ecclesiae aliter nunc legitur; nempe: *Ne levi posses*

(a) Adverte, Augustinum uti veteri versione *Itala*.

posses maculare vitam crimine linguae, quod ad unum dumtaxat pertinet peccatorum genus. Sed etiamsi legatur ut objectum est, nihil aliud inde sequitur, nisi sanctum Praecursorem antra deserti petiisse, ne ullo se vel levi crimine macularet, non autem id revera, et perfecte fuisse assecutum.

Objic. II. Non desunt Patres, ut *Origenes*, *Tertullianus*, *Auctor Quaestionum Vet. et Novi Test. Basilius*, *Cyrillus Alex. Chrysostomus*, qui etiam in B. Virgine leve aliquod peccatum agnoscunt, vel quod aliquantulum in fide haesitaverit tum in Annunciatione, tum in morte Christi, vel quod ex inani gloria miraculum a filio petiverit in Canae nuptiis. Ergo etc.

℟. *Neg. cons. Tertulliani* enim, *Origenis*, et *Auctoris Questionum Vet. et. Nov. Test.* cum ipsi in aliis erraverint, non magni facienda est auctoritas. Alii vero aliquid humani passi sunt. Quodi enim B. Virgo Angelum interrogaverit de modo, quo conciperet, et pareret filium, illaesa virginitate, quam Deo voverat, non infidelitatis, sed prudentia fuit, auctoribus *Ambrosio*, et *Bernardo*. Quod in morte Christi eam doloris gladius pertransiverit, ex magnitudine amoris ejus ortum est. Quod denique miraculum petiverit in Cana, charitatem ejus erga sponsos ex defectu vini pudore suffundendos, nec non fiduciam in Christum ostendit. In verbis autem Christi; *Quid mihi et tibi mulier?* non reprehensio est, sed salutaris admonitio; in functionibus divinis non carnem, et sanguinem auscultandum esse, sed unam spectandam esse Dei gloriam, cum ab illo virtutem, et potestatem acceperimus, non a parentibus, sicut Christus non a Matre, sed a Deo Patre divinitatem acceperat, et virtutem patrandi miracula.

Scholion.

I. Etsi omnia prorsus venialia peccata, etiam ea, quae ex quadam naturae corruptae infirmitate, aut animi inconsideratione subrepunt, ordinariis gratiae auxiliis vitari nequeant; illa tamen, quae ex plena animi deliberatione admittuntur, sine dubio vitari omnia possunt, multoque magis illa, quae uni tantum virtuti adversantur,

tur: Hinc merito concludunt Theologi, votum vitandi omnia prorsus venialia, utpote de re moraliter impossibili, non valere: valere tamen votum vitandi omnia venialia deliberata, aut contra unam tantummodo virtutem pugnantia. Imo quamvis uni B. Virgini datum putemus, ut omni prorsus veniali culpa immunis esset; fatemur tamen, aliquos eximia sanctitate illustres eo perfectionis pervenisse, ut omnia deliberata vitarent peccata, multoque magis ea, quae ad unam peccati speciem pertinerent.

II. Justum ab omni prorsus veniali culpa brevi tempore abstinere posse, certum est. At quamdiu, incertum. Sunt qui ex illo *Prov. XXIV. 16. Septies in die cadit justus* putant, pluries in die justum venialiter peccare. Patres quidem saepenumero peccata venialia vocant quotidiana, vel quod semel saltem in die aliquid peccetur, vel quod fere quotidie. Ceterum id ex vario justi fervore, charitate, et perfectione pendet.

C A P. XIV.

De necessitate gratiae efficacis ad singulos pietatis actus, etiam faciles, qualis est oratio.

Adv. PRaeter *Molinistas*, qui ad quaecumqne opera sive ardua, sive facilia, versatile dari volunt auxilium, alii quidam Theologi distinguentes inter facilia et difficilia praecepta, docent, ad servanda ea, quae sive per se, sive ex circumstantiis difficilia sunt, necessariam esse gratiam intrinsecus efficacem. Sed ad facilia mandata servanda, vel orandum Deum, ut nova praebeat, et validiora auxilia, satis esse gratiam sufficientem, atque versatilem; licet non diffiteantur, Deum aliquando praeter ordinem efficacissimam orationis gratiam sive justis, sive peccatoribus concedere. Contra eam sententiam cum ceteris Theologis dicimus.

PROPOSITIO I.

Gratia intrinsecus efficax necessaria est ad ipsam orationem sive fervidam, sive remissam, ac tepidam.

Prob, I. Eadem Scripturae loca, quae Molinianum systema funditus evertunt, demonstrant, etiam ad orandum necessariam esse gratiam intrinsecus efficacem, alioquin non miserentis Dei, sed volentis hominis esset ad salutem pervenire; nec gratia Dei, sed liberum arbitrium orantem a non orante discerneret; et quia ex oratione tota pendet ratio salutis, jam beatos a damnatis non gratia, quae utrisque supponitur fuisse communis, sed liberum arbitrium discerneret, contra illud Apostoli, *Quis te discernit?* Ergo etc.

Prob. II. ex Augustino, qui in Epistola *CXCIV. ol. CV. ad Xistum*, ad ea verba Apostoli *Rom. VIII. Quid oremus, sicut oportet, nescimus, sed ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus*, haec habet: *Quid est autem interpellat pro nobis, nisi interpellare nos facit? et nobis interpellandi, et gemendi inspirat affectum ... Adjutorium igitur Spiritus Sancti sic expressum est, ut ipse facere diceretur, quod ut faciamus facit.* Tum recitatis aliis ejusdem Apostoli similibus testimoniis, ut *Rom. VIII.* 15. *Accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus Abba (Pater), et Galat. IV.* 6. *Misit Deus Spiritum Filii sui in corda vestra clamantem Abba, Pater*, concludit ipsam orationem nostram Deum in nobis operari. Ergo etc.

Respondent adversarii, pugnare *Augustinum* pro necessitate gratiae ad orandum contra *Semipelagianos*; de natura vero ejus gratiae utrum scilicet efficax, an sufficiens sit, non fuisse sollicitum; vel si de gratia efficaci loquitur, intelligendum esse de fervida, non de tepida, ac remissa oratione.

Sed gratis haec asseri, vel inde patet, quod *Augustinus* eam gratiam ad orandum dicit esse necessariam, quae facit ut faciamus, facit, ut oremus; ita ut ipse Spiritus interpellare, orare, gemere dicatur, non secus ac ludi magister, qui discipulos docet formare li-

teras, ita eorum movet manum, ut ipse cum discipulis scribat, quando eos scribere facit. Sed talem gratiam nemo non videt esse intrinsecus efficacem. Non solum ergo *Augustinus* contra *Semipelagianos* asserit gratiae necessitatem, sed ipsam ejus intimam, atque efficacissimam virtutem ostendit.

Objic. Ipse Augustinus *Lib. de Nat. et Grat. cap.*6. *Eo ipso*, inquit, *quo firmissime creditur, Deum justum et bonum impossibilia non potuisse praecipere; hinc admonemur et in facilibus quid agamus, et in difficilibus quid petamus.* Ergo apertissime S. Doctor inter facilia, ac difficilia distinguit; et ad illa quidem, puta ad orandum, semper praesto nobis esse docet gratiam sufficientem, praeter quam nulla alia necessaria est, ut impetremus a Deo adjutorium, quo ipsa opera difficilia patremus.

℞. *Neg. cons.* Primo quidem, quia nos quoque fatemur, quaedam praecepta difficilia esse, quaedam vero facilia: sed contendimus, gratiam, quae ad difficilius praeceptum inefficax est, efficacem esse non ex consensu voluntatis, sed per seipsam ad praeceptum facilius. Deinde, quia docet *Augustinus* ex ipso Dei praecepto nos admoneri quid vel facere, vel petere debeamus; sed numquam ait, nos id facturos, vel petituros per gratiam *versatilem*: sollemne enim est Augustino, nos moneri per legem, atque praeceptum quid facere debeamus, sed tamen numquam nos id facturos, nisi charitas faciat, ut faciamus; hoc est nisi Deus operetur in nobis et velle, et perficere.

Inst. 1.° Justis semper praesto est auxilium, quo vel facere possint mandata divina, vel petere quod non possunt; damnata est enim thesis illa inter Jansenianas 1a. *Aliqua Dei praecepta hominibus justis volentibus, et conantibus, secundum praesentes, quas habent vires, sunt impossibilia, deest quoque iis adjutorium, quo fiant possibilia.* Atqui justi non faciunt semper mandata Dei, nec semper cum ea non faciunt, orant ut majus accipiant auxilium, alioquin numquam peccarent. Ergo gratia ad orandum non est intrinsecus efficax, sed sufficiens.

℞. *Dist. ant.* Semper adest justis auxilium, quo saltem

tem petere possint potentia remota, *conc.* Potentia proxima et expedita, *subdist.* Nisi ei libere objicem superbiae suae opponant, *conc.* Secus, *neg.* Nam ut recte observat Cardin. Is *Norisius* (*in Janseniani error. Calumn. sublata Cap. III.* §. 2.) tria sunt necessaria ad petendum a Deo auxilium, quo possit observari praeceptum; notitia scilicet praecepti, desiderium ejus servandi, ac practicum judicium infirmitatis suae; quomodo enim orabit, qui alieno se auxilio indigere non putat? Qui ergo nimium viribus suis fidit, sive praesumit, is opponit gratiae objicem, vitioque suo vires proxime expeditas ad orandum non habet; ideoque in illo gratia frustratur effectu, quem alioquin sine dubio produxisset. Hinc Augustinus *Conc. I. in Psal.* 1 *Multi*, inquit, *confessores fidei Christianae a tyrannis exagitati defecerunt: et credo illi defecerunt, qui de se praesumserunt.*

Inst. 2.° Si gratia ad orandum necessaria esset intrinsecus efficax, etiam hunc objicem humanae superbiae superaret. Atqui non semper eum superat. Ergo etc.

℟. *Dist. maj.* Si Deus omnino vellet tantam inspirare dilectionem, ac lumen, quo superbiam frangeret, *conc.* Si justo judicio vellet aliquando superbum hominem tristi experientia edocere, atque convincere infirmitatis suae, *neg.*

Inst. 3.° Vel potest homo propriis viribus infirmitatem suam agnoscere, vel non potest. Si potest; ergo suis viribus facit, ut gratia sit ad orandum efficax. Si non potest; ergo nec potest implere praeceptum, nec adest illi adjutorium, quo saltem orare possit.

℟. Justum saltem potentia physica posse et sua, et aliorum experientia infirmitatem suam agnoscere, cum ad hoc impar non sit naturalis vis intellectus; nec tamen inde sequitur, eum suis viribus facere, ut gratia sit efficax; sicut ex eo, quod lignum sit aridius, non sequitur, ipsi ligno, et non intimae ignis virtuti tribuendam esse combustionem; cum praesertim possit Deus, cum ei libuerit, per gratiam suam quaecumque superbiae obstacula superare.

Jam explicatis iis, quae ad efficacem gratiam pertinebant, ut de sufficienti etiam disseramus, postulat instituti ratio, atque ordo doctrinae.

CA-

C A P. XV.

De gratia sufficienti.

Adv. I. PRaeter gratiam efficacem, quae a nullo duro corde respuitur, dari gratiam aliam, quam Augustinus appellat voluntatem *parvam*, et *invalidam*, *nondum idoneam ad superandam voluntatem priorem vetustate roboratam*, *semisauciam*, *semiplenam*, apud omnes Theologos in confesso est. Hanc gratiam primi omnium Thomistae appellare coeperunt *sufficientem*, non quia ita sufficiat, ut praeter eam non aliud requiratur efficax adjutorium (quo sensu *Molinistae* hoc nomen usurpant) sed quia potentiam voluntatis ita complet, ac perficit, ut nihil ei desit in genere *potentiae* et quidem proximae, et expeditae; licet ut haec potentia in actum erumpat, *physica praemotio* gratiae efficacis requiratur; sicut oculus plenissime sanus sufficientem habet, et proximam potentiam ad videndum, licet ut reipsa videat, *physica* lucis actio necessaria sit.

II. Sed in hoc *sufficientis* gratiae nomine, Thomistae, adversarios habent *Molinistas* pariter, et *Jansenistas*, imo et celeberrimos Theologos non solum ex extraneis, sed ex ipsa Thomistica Schola, ut Thomam de Lemos *Lib. IV. Panopl. Tract.* 3. *Cap.* 2. Joannem Gonsalez *Controv. de auxiliis. Cont. VI. artic.* 6. Didacum Alvarez *Lib. VIII. de Auxil. Disp.* 79. quibus accedit Cardinalis de Laurea *Opusc. III. de Grat. Cap.* 4. aliique, qui eam tantummodo gratiam proprie sufficientem dici posse contendunt, praeterquam, ut voluntas operetur, nullum aliud requiritur Dei adjutorium, cujusmodi est gratia efficax.

III. *Jansenius* etsi gratiam parvam, et inefficacem agnoscit; putat tamen, gratiam illam totum producere effectum, ad quem a Deo data est, parvum scilicet, et imperfectum voluntatis motum, nec ullam praebere voluntati potentiam operis perficiendi; ex quo sequitur, justis, quibus deest aliquando gratia efficax, praecepta Dei esse impossibilia, deesse quoque illis adjutorium, quo fiant possibilia; et interiori gratiae in statu naturae la-

lapsae, numquam resisti, quia omnis gratia, sive magna, sive parva totum id efficit, ad quod divinitus data est, nec aliud expectari ullo modo potest.

PROPOSITIO I.

Dogma fidei est, dari gratiam parvam, et inefficacem, cui humana voluntas resistit, quaeque idcirco non efficit totum id, ad quod ex voluntate Dei antecedenti data est.

Prob. I. *ex Scrip. Matth. XI.* 21, ait Christus *Vae tibi Corozain, vae tibi Bethsaida, quia si in Tyro, et Sydone factae essent virtutes, quae factae sunt in vobis, olim in cilicio, et cinere poenitentiam egissent.* Gratia autem, qua Tyrii, et Sydonii poenitentiam egissent, non solum exterior, sed et interior fuisset; igitur gratiae non solum exteriori, sed etiam interiori Corozaitae, et Bethsaitae restiterunt; alioqnin quorsum illa tam vehemens Christi exprobratio? Praeterea Stephanus *Act. VII.* 51. sic Judaeos increpat: *Dura cervice, et incircumcisis cordibus, et auribus, vos semper Spiritui Sancto resistitis.* Opus autem Spiritus Sancti, cui cor durum resistit, non est tantum gratia exterior praedicationis, et miraculorum, sed interior, ipsum cor afficiens, unde non solum ait *incircumcisis auribus*, verumetiam *cordibus*. Hinc Apostolus *II. Cor. VI.* 1. *Exhortamur, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis*, et *Heb. XII.* 15. *Contemplantes, ne quis desit gratiae Dei.* Datur ergo gratia aliqua, quam in vacuum quis accipit.

Prob. II. ex Augustino *Lib. I. De pecc. merit. cap.* 39. *Si post baptismum*, inquit, *vixerit* (parvulus) *atque ad aetatem capacem praecepti pervenire potuerit, ibi habet, cum qua pugnet* (concupiscentiam) *eamque adjuvante Deo superet, si non in vacuum gratiam Dei susceperit, si reprobatus esse noluerit.* Ubi perspicuum est, agnoscere *Augustinum* in baptizatis adultis gratiae Dei adjutorium, quod multi in vacuum recipiunt, qui reprobati esse volunt. 2.° Idem videtur Augustinus docere *Lib. de Corrept. et Grat. cap.* 11. Frustrà ergo *Augustinum* Calvinus, et Jansenius jactant patronum.

Ce-

Ceteros vero Patres illo antiquiores cum fateantur nostro dogmati favere, jam constat hac in re S. Patrum traditio.

Prob. III. ex definitionibus Ecclesiae 1.° Concilium Arausicanum II. (*Can.* 25.) *Credimus*, inquit, *quod accepta per baptismum gratia, omnes baptizati, Christo auxiliante, et operante, quae ad salutem pertinent, possint, et debeant, si fideliter laborare velint, adimplere.* Sed non omnes adimplent. Non ergo omnes Christum auxiliantem, et operantem fideliter laborantes sequuntur. 2.° Tridentinum *Sess. VI. Cap.* 2. definit, Dei praecepta non esse justis impossibilia, quia Deus *jubendo monet facere quod possis, petere quod non possis, et adjuvat, ut possis.* Sed non omnes justi perseverant; ergo resistunt Deo adjuvanti, ut possint. 3.° *Innocentius X.* et *Alexander VII.* damnarunt eam *Jansenii* propositionem (*num.* 2.) *Interiori gratiae in statu naturae lapsae numquam resistitur.* Diximus autem in propositione, gratiam inefficacem non efficere totum id, ad quod ex voluntate Dei antecedenti data est; quia cum voluntas Dei *absoluta*, et *consequens* semper impleatur, ut diximus *Lib III. Cap.* 14. §. 3. *Omnia* enim *quaecumque voluit Dominus fecit Ps. CXIII. et CXXXIV.* certum est, gratiam inefficacem totum illum producere effectum, quem Deus ex absoluta voluntate decrevit.

Solvuntur objectiones.

Objic. I. Scripturae non aliam commendant gratiam, nisi efficacem. Ait enim Christus *Joan. VI* 45. *Omnis qui audivit a Patre, et didicit, venit ad me.* Ergo qui non venit, hoc est, qui efficaci gratia non movetur, nullum aliud habet auxilium, ac proinde nulla datur gratia, cui voluntas resistit.

℟. *Neg. ant.* Verba enim Christi indicant tantum, omnes eos, qui audiunt a Patre ut discant, hoc est qui efficaci gratia adjuvantur, sine dubio ad eum venire. Sed non negant, esse aliquos, qui audientes non audiunt, et qui Spiritui Sancto resistunt, qui in vacuum gratiam Dei recipiunt, qui vocante Deo, renuunt; quae loca sunt in Scripturis frequentissima.

Inst.

Inst. 1.° *Voluntati ejus quis resistit?* inquit Apostolus *Rom. IX.* 19. et Philip. II. 13. *Deus est qui operatur in vobis et velle, et perficere.* Ergo interiori gratiae numquam resistitur; ideoque non est agnoscenda gratia, cui voluntas humana resistit.

℟. *Dist. ant.* Nemo resistit voluntati Dei absolutae et consequenti, *conc.* Antecedenti, *neg.* Fatemur ergo, omnem gratiam operari totum id, ad quod ex voluntate Dei absoluta conceditur, ut supra diximus. Unde etiam gratia sufficiens est efficax ejus motus, quem voluntate absoluta decrevit Deus. Sed hinc non sequitur, neminem resistere voluntati Dei antecedenti. Quid est enim illud *Act. VII.* 51. *Vos semper Spiritui Sancto resistitis?* Quod autem ait Apostolus *Philip. II.* 13. *Deus est qui operatur in vobis et velle, et perficere,* verissimum est, quia ipsum velle nostrum, sive perfectum per gratiam efficacem, sive imperfectum per gratiam sufficientem operatur Deus.

Inst. 2.° Augustinus *Lib. de Praed. Sanct. cap.* 8. verba illa Christi Domini: *Omnis qui audivit a Patre, et didicit, venit ad me,* ita interpretatur, ut omnem aliam rejiciat gratiam, praeter efficacem. Ait enim: *Si omnis, qui audivit a Patre, et didicit, venit; profecto omnis, qui non venit, non audivit a Patre, nec didicit: nam si audivisset, et didicisset, veniret. Neque enim ullus audivit, et didicit, et non venit.* Et mox *Cum igitur praedicatur Evangelium, quidam credunt, quidam non credunt, sed qui credunt, praedicatore extrinsecus insonante, intus a Patre audiunt, et discunt; qui autem non credunt, foris audiunt, intus non audiunt, neque discunt.* Ubi clarissime docet, eos, qui non credunt, nullam prorsus interiorem, sed exteriorem tantum accepisse Dei gratiam; quod idem est, ac negare omnem gratiam, praeter efficacem. Ergo etc.

℟. *Neg. ant.* Cum enim *Augustinus*, ut patet ex locis supra laudatis, agnoverit gratiam aliam praeter efficacem; profecto cum ait, eos, qui non credunt, foris tantum audire, intelligendus est quoad effectum; ita scilicet, ut qui non credunt; ita se gerant, ac si non audirent. Quod quidem nec a Latini sermonis usu alienum est, in quo audire idem saepe est, ac obedire, credere etc.

etc Ideo autem *Augustinus* contra Pelagianos disputans, ut omnem occludat illis exitum, totus est in adstruenda gratia efficaci; quia illi distinguentes *posse*, *velle*, et *agere*, fatebantur quidem gratiam, quae dat posse (subdole scilicet ut supra diximus); ut tamen agnoscerent gratiam, quae dat *velle*, et *agere*, numquam adduci potuerunt.

Objic. II. Omnis Dei motio efficax est: *Necesse est enim voluntatem Dei semper impleri*, inquit S. Thomas *I. P. Q. XIX. art.* 6. Atqui omnis interior, et actualis gratia est Dei motio; est enim divinitus immissa illustratio mentis, et inspiratio dilectionis. Ergo omnis interior gratia actualis efficax est.

℟. *Dist. maj.* Efficax est ejus effectus, quem Deus absoluta, et *consequenti* voluntate decrevit, *conc.* Efficax est ejus effectus, ad quem dirigitur tum natura sua, tum ex antecedenti voluntate Dei, *neg. Nullum est sufficiens auxilium*, inquit P. Massoulier (*S. Thom. sui Interpres Dissert. III. Q. I. art.* 41.) *quod ex aliqua parte efficaciam non habet.* Vide etiam Sylvium in 1a. 2ae. *Q. CXI. art.* 3. *Q.* 3. Neque hoc recidit in damnatam eam thesim: *Interiori gratiae in statu naturae lapsae numquam resistitur*, quia in ea statuitur, omnem gratiam efficere, et quidem necessario, totum id, quod posset efficere; ita ut nullam ulterius potestatem praebeat, cui voluntas humana resistat.

Objic. III. Monstro similis videtur gratia praebens agendi potentiam, quae numquam reducitur ad actum. Ergo aut agnoscenda est gratia sufficiens sensu *Molinistico*, aut penitus rejicienda.

℟. *Neg. ant.* Multa enim fieri possunt, ut supra ex *Augustino* observavimus, quae tamen numquam fient, quia cum potentia *physica* conjuncta est moralis impotentia, sive difficultas tanta, qua terretur animus, ne totus assurgat, totasque vires ad agendum exerat.

Objic. IV. Gratia sufficiens, et inefficax inutilis est, cum semper effectu careat; imo et noxia, quia hominem reddit magis reum, obsistentem scilicet divinae gratiae. Ergo agnoscenda non est.

℟. *Neg. ant. quoad utramque partem.* Cum enim gratia naturam imitetur; ita ut ab imperfectis ad perfectiora

ctiora perducat, nec hominem peccatorem uno ictu conterat, nisi aliquando per miraculum; non est inutilis, nec noxia sufficiens gratia, per quam fit, ut excitetur peccator a gravi iniquitatum somno, in quo jacebat demersus; incipiat cognoscere veritatem, et sibi displicere, jamque minori cupiditate peccare ob conterrentis conscientiae voces, ac stimulos, ut accidit in conversione *Augustini*. His primis gratiae impulsibus si non deesset peccator, petendo fortius auxilium, ad conversionem perveniret: et utilius sanaretur agnoscendo mali magnitudinem, et medicinae difficultatem, ne laberetur iterum, atque adire deinceps peccandi pericula formidaret. Quod si ipse gratiae deest, culpa sua est, non gratiae defectus. Hinc S. Thomas *Q. III. de Malo*: *Ex indispositione*, inquit, *hominis provenit, ut motio primi moventis non sit perfecta, ut perfectam operationem producat. Quae indispositio vel est praecedens peccatum, vel est error ignorantiae, vel saltem inadvertentia, propter quorum aliquod motio Dei moventis sufficienter ad bonum non sit ita efficax, ut perfectam in homine operationem producat.* Vide ista fusius apud *Tournely*, et *De Champs* in *Antijansenio*.

PROPOSITIO II.

Potentia, quam suppeditat gratia, cui voluntas resistit, physice quidem proxima est, moraliter remota.

Prob. I. ex *Augustino*, qui innumeris pene locis docet, eum, qui gratiam habet parvam, nondum posse implere mandata. Sic *Lib. de Grat. et lib. arb. cap.* 17. *Qui vult*, inquit, *facere Dei mandata, et non potest, habet quidem bonam voluntatem, sed adhuc parvam, et invalidam; poterit autem cum magnam habuerit, et robustam .... Ipsam charitatem Apostolus Petrus nondum habuit, quando timore Dominum ter negavit ... Et tamen quamvis parva, et imperfecta non deerat, quando dicebat Domino: animam meam pro te ponam; putabat enim se posse, quod se velle sentiebat.* Ergo potestas, quam sufficiens gratia suppeditat, cui

cui voluntas humana resistit, *physice* proxima est, *moraliter* remota.

Prob. II. ex orationibus Ecclesiae, quae cum a Deo petit efficacem gratiam, rationem subdit: *ut tua valeamus implere praecepta; ut quae te auctore facienda cognovimus, te operante implere possimus etc.* Innuit ergo, cum, qui gratiam habet sufficientem, non dum posse potentia morali proxima; unde Deum rogat, ut possit.

Prob. III. ex Concilio Tridentino, quod *Sess. VI. can.* 22. definit, justum sine speciali perseverantiae dono non posse perseverare; et taman certum est, ei non deesse sufficientem gratiam. Gratia ergo sufficiens cum aliqua impotentia conjuncta est, quae cum dici nequeat *physica*, dicenda est *moralis*.

Prob. IV. *ratione.* Justus, urgente praecepto, aut gravi tentatione, cui vincendae imparem se putat, tenetur orare Deum, ut majus ei praebeat auxilium. Ergo gratia illa parva, quam habebat, non ei suppeditabat proximam, et moralem potentiam; alioquin juxta inviotam Augustini ratiocinationem, frustra petiisset quod in sua jam erat potestate. Ideoque ipse S.Doctor ait, Adamum, qui plenam, et perfectam bene agendi *possibilitatem* habebat, petere non debuisse potentius auxilium quod implorant justi, cum dicunt: *Video aliam legem in membris meis etc.* Vide *Lib. de Corrept. et grat. cap.* 12. Hinc Tridentinum in oratione *impotentiae* nostrae confessionem agnoscit, cum ait, Deum jubendo monere nos petere *quod non possumus.*

Prob. V. ex auctoritate Theologorum, qui sine gratia efficaci docent, *non posse* hominem sola gratia sufficienti servare mandata. Sic *Gregorius Ariminensis*, quem laudat ipse *P. De Champs* in *Antijansenio Lib. III. Disp. IV. Cap.* 18. sic habet *in II. Dist. XXVIII. Q.* 2. *art.* 2. *Satis patet, quod veri justi, et in potentia existentes, ut tentationibus fortiter resistant, et in peccatum non cadant, indigeant adhuc speciali auxilio Dei, et sine illo non possent resistere, quin caderent in peccatum.* Idem docent Cardinalis *Cajetanus*, *Petrus Soto*, *Franciscus Macedo*, *Cardinalis Laurea*, aliique quorum testimonia recitat *Ludovicus Habert.* Atqui illa impotentia physica non est; est igitur moralis, hoc est ut

explicat *Anselmus Dial. de lib. arb. Cap.* 6. difficultas tanta, quam homo superare non vult.

Ergo, inquies, aliqua Dei praecepta hominibus justis volentibus, et conantibus secundum praesentes, quas habent vires, sunt impossibilia, deest quoque iis adjutorium, quo fiant possibilia.

℟. *Neg. seq.* Cum enim possit justus gratia sufficienti adjutus orare Deum, ut majores ei vires suppeditet, non sunt ei mandata Dei impossibilia. Quae enim per amicos possumus, per nos ipsos quodammodo possumus.

Inst. Etiam ad orandum gratiam efficacem necessariam esse, supra posuimus. Ergo si justus illa caret, etiam oratio erit ei impossibilis.

℟. *Neg. cons.* Gratia enim, quae inefficax est difficilioris operis, efficax est facilioris, nempe orationis, si justus caecitate voluntaria non judicet, se tunc majori auxilio Dei non egere.

PROPOSITIO III.

Utrum gratia inefficax appellari debeat sufficiens, quaestio est de nomine, ad fidem non pertinens; nos autem gratiae sufficientis vocabulum retinendum putamus, dummodo in sensu Molinistico non intelligatur.

Prob. 1a. *pars.* Numquam Ecclesia Theologos illos damnavit gravissimos, qui gratiam inefficacem dici proprie non posse sufficientem docent. Nam non solum *Molinistae* acriter contendunt, gratiam, praeter quam aliud insuper necessarium est auxilium, dici non posse sufficientem, sed etiam *Tournely*, *Norisius*, *Cardinalis de Laurea*, *Franciscus Macedo*, *Zumel*, aliique supra laudati. Imo numquam Ecclesia in suis definitionibus sufficientis gratiae vocabulum usurpavit. Ergo etc.

Prob. 2a. *pars.* Quamvis gratia inefficax non praebeat proximam, et expeditam potentiam, sed praeter illam efficax auxilium necessarium sit ad operandum; praebet tamen potentiam saltem remotam qua homo possit per orationem impetrare a Deo potentius adjutorium, quo

quo possit implere mandata divina. Jure ergo dici potest sufficiens.

Prob. 2a. *pars.* Gratia sufficiens sensu *Molinistico* est gratia *versatilis*, praeter quam non requiritur gratia intrinsecus efficax ad agendum. Atqui non hoc sensu agnoscenda est sufficiens gratia, ut patet ex iis, quae de necessitate gratiae intrinsecus efficaci supra statuimus. Ergo etc.

Corollarium.

Agnoscimus ergo gratiam, cui voluntas humana resistit; hanc gratiam concedimus appellari posse *sufficientem*, eoque vocabulo jam apud Theologos recepto saepe in hisce Institutionibus usi sumus; sed in explicanda natura, et potestate gratiae sufficientis toto caelo distamus a *Molinistis*, et aliquantulum a *Thomistis*. A *Molinistis* quidem, quia dicimus, gratiam sufficientem carere semper effectu ob voluntatis humanae vitium, nisi adsit efficax adjutorium. a *Thomistis* vero, quia illi gratiam sufficientem *specie* distinguunt ab efficaci, et illam quidem dicunt voluntati praebere plenam, perfectamque potentiam; hanc vero actum: nos contra dicimus gratiam sufficientem ab efficaci differre non *specie*, sed delectatione justitiae minus ferventi; ita ut quae ad opus difficilius sufficiens, et inefficax est gratia, eadem ad opus facilius sit efficax, saltem ad orandum, nisi ipse voluntaria caecitate homo superbiat.

C A P. XVI.

De iis, quibus gratia sufficiens a Deo tribuitur, vel negatur.

Adv. Quaestio esse potest 1.° utrum gratia sufficiens detur omnibus justis. 2.° Utrum omnibus omnino hominibus sive parvulis, sive adultis, sive reprobis, sive excaecatis, et obduratis.

§. I.

§. I.

Utrum gratia sufficiens detur omnibus justis.

Adv. Negat prima Propositio inter Jansenianas. Contra quam dicimus.

PROPOSITIO.

Omnibus justis, instante praecepto, adest gratia sufficiens, vel ad illud immediate servandum, vel ad obtinendum a Deo novum adjutorium per orationem. Est dogma fidei.

Prob. I. *ex Script.* Apostolus *I. Cor. X.* 13: *Fidelis*, inquit, *Deus, qui non patietur vos tentari supra id, quod potestis, sed faciet etiam cum tentatione proventum; ut possitis sustinere*, quem locum utique clarissimum licet Augustinus aliquando de electis explicet, ad quos praecipue pertinent divinae promissiones, non negat tamen (*in Psal. CXX. et CXLV.*) ad omnes justos pertinere, quem sensum non solum S. Thomas (*Comm. in hunc locum*) sed etiam Tridentina Synodus *Sess. XXIV. can.* 9. secuta est. Ergo etc.

Prob. II. ex Conciliis. 1.° Concilium Arausicanum II, *Can.* 25. *Hoc etiam*, inquit, *secundum fidem catholicam fideliter profitemur, et credimus, quod accepta per baptismum gratia, omnes baptizati, Christo auxiliante, et cooperante, quae ad salutem animae pertinent, possint, ac debeant, si fideliter laborare voluerint, adimplere*, 2.° Tridentinum *Sess. VI. Cap.* 2. *Nemo temeraria illa, et a Patribus sub anathemate prohibita voce utatur; Dei praecepta homini justificato ad observandum esse impossibilia. Nam Deus impossibilia non jubet, sed jubendo monet facere quod possis, petere quod non possis, et adjuvat, ut possis*, quod etiam sub anathemate definit *Can.* 18. *ejusdem. Sess.* qua definitione nihil poterat dici clarius: Fallitur autem, et fallit *Jansenius*, dum ait, eo canone percelli eum Lutheranorum, et Calvinistarum errorem, quo asserebant, concupiscentiam, quae in renatis remanet, ita inficere om-

omnia eorum opera, ut non possit vitari peccatum, et servari lex jubens: *Non concupisces.* Fallitur, inquam 1.° Quia error hic *canone XXV.* perstringitur a Tridentino, quod fuisset supervacaneum, et a Concilii usu alienum, si jam eo canone XVIII. idem error damnatus esset. 2.° Quia docet Tridentinum, errorem, quem canone illo XVIII. damnat, fuisse olim damnatum a Patribus: constat autem, Patres non damnasse nuperam hanc Lutheranorum, et Calvinianistarum doctrinam, quae nulli ante in mentem venerat, sed illam, quae olim a Manichaeis posita fuerat; Deum nempe veteris Testamenti esse malum, qui impossibilia praecepisset. 3.° Quia fundamentum Tridentinae definitionis, nempe quod Deus jubendo monet facere quod possis, petere quod non possis, et adjuvat ut possis, non ad illam novatorum haeresim confutandam pertinet, qua docent, concupiscentiam omnia justorum opera inficere, ut patet, sed potius ad aliam, qua docent, Deum negare aliquando justis auxilium, quo praecepta servare possint. Ergo etc.

Prob. III. ex Augustino 1.° Definitio Tridentini constat ipsis verbis Augustini *Lib. de Nat. et grat cap.* 43. 2.° Idem S. Doctor *Lib. de Nat. et grat. cap.* 26. refellit Pelagianos, qui docebant, gratiam Dei ad remissionem tantum peccatorum valere; asserentes, Deum sanare peccatorem, et deinde ne peccet ulterius, dimittere eum libero arbitrio, ad instar medici, qui sanatum aegrum sustentandum dimittit corporalibus alimentis, additis tantum monitionibus, atque praeceptis: *Non ita,* inquit Augustinus, *Deus hominem sanat; nec enim eum deserit, nisi deseratur, ut pie semper, justeque vivatur; sicut enim oculus corporis, etiam plenissime sanus, nisi candore lucis adjutus non potest cernere; ita homo etiam perfectissime justificatus, nisi aeterna luce justitiae divinitus adjuvetur, recte non potest vivere. Sanat ergo Deus non solum ut deleat quod peccavimus, sed ut praestet etiam ne peccemus.* Respondere autem cum *Jansenio*, Deum non deserere, nisi deseratur, et praestare ne peccemus, quia non aufert homini *habitualem* gratiam, quae est remota potentia non peccandi, id vero est prorsus ineptire; tum quia constat, non de *habituali*, sed de *actuali* gratia contentionem fuisse Au-

 gu-

gustino cum Pelagianis, ut fatetur *Jansenius*; tum quia certum est, solam habitualem gratiam ad pie semper, justeque vivendum non sufficere. 3.° Addit August. *Lib. eod. Cap.* 69. *Eo ipso quod firmissime creditur, Deum bonum, et justum impossibilia non potuisse praecipere, hinc admonemur et in facilibus quid agamus, et in difficilibus quid petamus.* Vide etiam *Lib. de grat. et lib. arb. cap.* 16. Ergo etc.

Refutantur objecta.

Objic. I. Certum est, justis aliquando, instante praecepto, denegari gratiam efficacem: alioquin numquam peccarent. Atqui Scriptura, et Patres, praesertim *Augustinus* docent, eos, qui gratia carent efficaci, non posse servare mandata Dei. Sic Christus *Joan. VI.* 44. *Nemo*, inquit, *potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum.* Et Petro pollicenti, se eum secuturum usque ad mortem, respondit *Joan. XIII.* 36. *Quo ego vado non potes me modo sequi, sequeris autem postea.* Et Augustinus *Lib. de grat. et lib. arb. cap.* 17. *Qui vult*, inquit, *facere Dei mandatum, et non potest, jam quidem habet bonam voluntatem, sed adhuc parvam, et invalidam; poterit autem cum magnam habuerit, et robustam.* Quibus similia alibi saepe docet. Ergo justis aliquando, instante praecepto denegatur gratia sufficiens.

℟. *Dist. maj.* Denegatur efficax gratia justis culpa sua, ob negligentiam scilicet in orando, superbiam, et venialia peccata, *conc.* Sine sua culpa, *neg. Distinguo* etiam *min.* Docent Scripturae, et Patres, justum efficaci auxilio carentem non posse implere Dei praecepta potentia morali proxima, qualem praebet gratia efficax, *conc.* Potentia physica, et remota quoad opus perficiendum, sed morali, et proxima ad orandum, *neg.* Certum itaque est, justis aliquando culpa sua deesse efficax adjutorium, quod jam supra diximus praebere plenam, perfectam, et moralem operis perficiendi potentiam; sed etiam tunc adest eis potentia proxima ad orandum, nisi ipsi voluntaria caecitate praefidentes putent, se tunc majori Dei au-

auxilio non egere. Vide quae diximus *Cap.* 14. *prop.* 2. et *Cap.* 6. *prop.* 3. *in corol.*

Inst. 1.° Si justus naturae viribus potest practicum ferre judicium de infirmitate sua, et necessitate divini auxilii jam potest aliquod bonum, quod ad salutem pertinet vitae aeternae, sine praeveniente Spiritus Sancti inspiratione, atque ejus adjutorio, cogitare ut expedit, atque eligere. Imo cum practicum illud judicium sit principium orationis, oratio autem certissimum salutis initium, jam dicendum esset, a nobis esse initium salutis. Atqui hoc Canonibus Arausicanis, et Tridentinis adversum est. Ergo etc.

℟. *Neg. maj.* Judicium enim illud non est orationis principium. Multi enim peccatores cognoscunt, se moraliter non posse implere praecepta, nec tamen orant; imo hinc desperationis, et majorum scelerum occasionem sumunt. Quapropter oratio ipsa non ipsius practici judicii effectus est, sed gratiae, quae in homine superbo, et viribus suis praefidente inefficax erit ipsius hominis vitio; in homine autem conscio infirmitatis suae orationis efficax erit. Quis autem dixerit, infirmitatem, aut cognitionem infirmitatis bonum efficere, et non potius gratiam, qua adjuvatur infirmitas? Est ergo judicium illud practicum conditio quaedam *negativa*, cujus quidem rationem non habet Deus in distributione gratiae suae, ut supra docuimus, sine qua tamen gratia vitio hominis erit inefficax, et quam aliquando gratia supplet, ipsam hominis frangendo superbiam.

Inst. 2.° Cum justus infirmitatem suam propter ipsam animi promtioris alacritatem non sentit, non habet proximam orandi potestatem, ut mox diximus; sicut qui operatur ex conscientia *erronea*, non habet proximam facultatem servandi legem, cujus contrarium conoscientia erronea faciendum insinuat. Atqui id saepe accidit justis, urgente praecepto, ut patet exemplo B. Petri Apost. qui ex ipso ardenti erga Christum amore putabat, se posse, quod se velle sentiebat, ut inquit *Augustinus* supra laudatus. Ergo tunc justis praesto non est ulla facultas servandi praeceptum, nec proxima, nec remota, ideoque deest illis gratia sufficiens.

℟. *Dist. maj. et min.* Et id accidit ex culpa ipsius ju-

justi, *conc.* Secus, *neg.* Cùm enim possit justus experimento cognoscere, quam sit infirmus; jam ei nimia illa fiducia, quam *praesumtionem* Theologi appellant, vertenda vitio est. *Plerumque*, inquit *Augustinus in Psal. XLIII. homo putat, se posse, quod non potest, aut se putat non posse, quod potest. Numquid Petrus noverat se, quando dixit Medico: Tecum sum usque ad mortem? Medicus noverat, vena inspecta, quid intus ageretur in aegroto, aegrotus non noverat.* Et *in Psal. XXXVI. Petrus, qui ante tentationem praesumsit de se, in tentatione didicit se.* Praesumtio ergo in causa fuit, cur non sentiret Petrus infirmitatem suam. Quis autem ejus praesumtionem a culpa excusaverit, cum praesertim de infirmitate carnis, et necessitate orationis fuerit a Christo commonefactus? Merito ergo facultas Theologica Parisiensis *Antonii Arnaldi* doctrinam censura notavit, qui post *Jansenium* docuerat, Petrum ideo de se praesumsisse, quia a Deo desertus fuerat; cum contra *Augustinus*; et Tridentinum doceant, Deum neminem justum deserere, nisi prius deseratur, et praesumtionem Petri causam fuisse, non effectùm desertionis Dei.

Inst. 3.° Plures sunt Patrum sententiae, quibus constat, Petrum in tentatione caruisse omni gratiae auxilio. *Quid est homo sine gratia Dei? Quod fuit Petrus quando Dominum negavit*, inquit *Augusstinus*, *vel quivis auctor Serm. CXXIV. de temp. nunc LXXIX. in append.* Cui similia habet Chrysostomus *Hom. LXXII. in Joan. Hom. XXXI. in Epist. ad Heb. et al.* Ergo etc.

℟. *Dist. ant.* Caruisse omni auxilio gratiae efficacis, et victricis, *conc.* Omni prorsus auxilio gratiae, *neg.*

Objic. II. Potest Deus sine ulla infidelitatis nota denegare justo gratiam efficacem, urgente praecepto. Ergo potest etiam denegare sufficientem, cum non minus efficax gratia, quam sufficiens necessaria sit ad praeceptum servandum.

℟. *Neg. cons. et parit.* Justo enim judicio negat justis aliquando Deus gratiam efficacem, ut scilicet ipsorum elationem puniat, et corrigat negligentiam, teporem, aliaque venialia peccata; unde illa Christi sententia *Apoc. III. 16. Quia tepidus es ... incipiam te evomere ex ore meo.* Et tamen etiam negata efficaci gratia,

tia, potest justus orare, ut supra diximus, nisi culpa sua sibi, suisque viribus fidat. At si negaret etiam Deus auxilium sufficiens ad orandum, omnino justum, antequam per peccatum mortale deseratur, desereret, quod fidelitati ipsius Dei adversatur. Neque enim veniales culpae tantam merentur poenam. Ceterum cur gratiam efficacem justo interdum deneget Deus, quam alteri sive justo sive peccatori largitur, ita ut alter voluntate Dei stet, alter sua voluntate cadat, nec possibile est comprehendere, nec licitum est investigare, ut inquit Prosper *in Resp. ad XIV. Object. Gallor.*

§. II.

Utrum sufficiens gratia omnibus omnino hominibus praebeatur, etiam infantibus, reprobis, infidelibus, peccatoribus excaecatis, et obduratis.

Adv. I. **Omnes homines aut infantes sunt, aut adulti. Adulti aut infideles sunt, aut fideles. Fideles aut justi, aut peccatores, et hi vel excaecati, et obdurati sunt, vel nondum ad eum statum pervenerunt. Omnes denique vel praedestinati sunt, vel reprobi.**

II. De solis justis Tridentini, et S. Pontificum constitutionibus definitum est, eis sufficiens non deesse adjutorium, sine quo perseverare in accepta justitia non possunt. De ceteris inquirendum est, utrum Deus iis sufficiens adjutorium vel reipsa tribuat, vel saltem praeparavit. Et quidem 1.° Deum omnibus hominibus sufficiens salutis remedium praeparasse, communi Theologorum sententia est: quaeritur ergo tantum an reipsa tribuat.

III. 2.° Infantibus, qui moriuntur antequam iis per baptismum succurri possit, certum est, nullum salutis remedium praeberi. Infidelibus autem positivis, et peccatoribus nondum obduratis sufficientia praeberi auxilia constat, quibus tamen ipsi resistunt. Restat ergo inquirendum de infidelibus negativis, et peccatoribus excaecatis, et obduratis. Qua in quaestione duae sunt Theologorum sententiae; altera affirmat, etiam illis suffi-

cien-

cientia auxilia saltem remota, non quidem quolibet momento, sed aliquando pro loco, et tempore praeberi; altera vero negat. Utriusque autem sententiae patroni sunt viri doctissimi.

PROPOSITIO I.

Non esset injustus Deus, si omnibus hominibus in poenam mortalis peccati gratiam sufficientem negaret. Est dogma fidei.

Prob. 1.° Apostolus *Rom. IX.* 21. Dei misericordiae tribuendum docet, quod aliquos e massa perditionis vasa in honorem faciat, habens potestatem ex eadem massa facere vasa in contumeliam. 2.° *Sap. XII.* 12. Sic Deum alloquitur sapiens: *Quis stabit contra judicium tuum? aut quis in conspectu tuo veniet vindex iniquorum hominum? aut quis tibi imputabit, si perierint nationes, quas tu fecisti?* 3.° Augustinus *Lib. de Dono persev. cap.* 8. *Non simus ingrati, quod tam multos liberat misericors Deus de tam debita perditione, ut si neminem liberaret, non esset injustus.* 4.° Per peccatum homo fit filius irae, filius vindictae, filius gehennae. Non ergo ei debetur ex justitia, nisi poena, ac proinde injustus non esset Deus, si ei gratiam quamcumque denegaret. Hinc *Bellarminus* hanc doctrinam ab homine catholico negari non posse, docet.

PROPOSITIO II.

Deus omnibus et singulis homibus sufficientia ad salutem auxilia praeparavit, quae temen non omnes accipiunt.

Prob. 1a. *pars* quae inter omnes scholae Theologos communis est. 1.° *Ezech. XXXIII.* 11. *Vivo ego, dicit Dominus, nolo mortem impii, sed ut convertatur a via sua, et vivat.* Et *II. Pet. III.* 9. *Patienter agit Deus propter vos, nolens aliquos perire, sed omnes ad poenitentiam reverti.* Quibus similia leguntur *Sap. XI.* 24. *Misereris omnium, quia omnia potes, et dissimulas peccata hominum propter poenitentiam. Diligis enim omnia, quae sunt, et nihil odisti eorum, quae*

cisti

fecisti. Si ergo Deus omnium peccatorum non vult mortem sed conversionem, et poenitentiam; profecto nisi dicamus, voluntatem Dei esse nugatoriam, atque otiosam, omnibus etiam peccatoribus praeparavit adjumenta, sine quibus converti non possunt.

2.° Apost. *I. Tim. II. 4. Deus*; inquit, *omnes homines vult salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire*: et *I. Tim. IV. 10. Christus est Salvator omnium hominum maxime fidelium*, quae postrema verba satis declarant, Christum etsi speciali quadam ratione fidelium Salvator sit; nihilominus aliorum etiam infidelium, et peccatorum Salvatorem esse; quod et clarius Joannes Apostolus testatur dicens I. *Joan.* II. 2. *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantum; sed etiam pro totius mundi.* Atqui non potest affirmari, Deum velle finem, nempe hominum salutem sine adjumentis, quod nec de homine vel insipientissimo opinari possumus. Ergo Hinc Augustinus *Tract. XII. in Joan.* De Christo loquens ait; *Quantum in medico est, sanare venit infirmum.*

Prob. 2a. pars. 1.° ex Augustino, qui *Lib. de Corr. et Grat. cap.* 12. loquens de auxilio *sine quo*, sive sufficienti ait; *Nunc autem quibus deest tale adjutorium, jam poena peccati est.* Affirmat ergo, esse aliquos, quibus sufficiens negatur auxilium. 2.° Tridentinum *Sess.* VI. *Cap.* 3. *Etsi*, inquit, *Christus pro omnibus mortuus sit, non omnes tamen mortis ejus beneficium recipiunt.* Hinc communis est haec inter Theologos doctrina (uno fortassis excepto *Vasquesio*) non omnes reipsa gratiam sufficientem accipere, licet omnibus praeparatam: *Communis est omnibus natura, non gratia*, inquit Augustinus *Epist. ad Vitalem.*

3.° Id manifestius patet in infantibus, praesertim iis, qui in utero matrum moriuntur. Infantes enim illi nec gratiae actualis accipiendae sunt idonei, cum haec non aliud sit, quam mentis illustratio, et inspiratio charitatis, quorum actuum illi capaces non sunt; nec gratiae habitualis, cum haec non possit iis, nisi per baptismum infundi, quem accipere non possunt, non quidem culpa parentum, aut fortuitis causarum concursionibus, sed justo Dei judicio, propter originale peccatum.

tum. *Aliqando enim*, inquit Augustinus *Epist. CVII. ad Vitalem, cupientibus, festinantibusque parentibus, ministris quoque volentibus, ac paratis, Deo nolente* (baptismus) *non datur, quia repente, antequam datur, expiret, pro quo ut acciperet currebatur.* Vide etiam *Lib. de Dono persev. cap.* 12. Ergo originalis peccati merito, a quo eos justo judicio Deus liberare non decrevit, carent infantes illi sufficientibus ad salutem auxiliis.

Solvuntur Objectiones.

Objic. I. Habemus ex Apostolo, 1.° Deum velle omnes homines salvos fieri *I. Tim. II.* 4. 2.° Voluntati Dei neminem resistere *Rom. IX.* 19. Ergo si Deus omnibus praeparavit auxilia ad salutem sufficientia, omnes reipsa accipiunt.

℟. *Dist. ant.* Deus vult omnes homines salvos fierii voluntate antecedenti, ex qua omnibus sufficientia auxilia praeparavit, *conc.* Voluntate consequenti, ex qua auxilia praebet in tempore, *neg.* Voluntas ergo antecedens, ut in *Lib. III.* fusius explicavimus, rem in seipsa respicit, sine peculiaribus adjunctis personae, loci, temporis, peccati etc. Si ergo omnes homines generatim respiciamus, in natura scilicet rationali ad finem aeternae beatitudinis condita, et per Christum redemta, Deus omnes vult salvos fieri, quia creaturam rationalem salvam fieri, bonum est; quam voluntatem Thomistae quidem volunt esse *metaphoricam*, et *signi*: nos veram, sinceram, et *beneplaciti* in eodem Libro statuimus. Et quia sincera Dei voluntas aliquo effectu carere non potest; idcirco dicimus, Deum ex hac voluntate omnibus hominibus sufficientia ad salutem adjumenta praeparasse; qua in doctrina omnes Scholae principes conveniunt, *S. Thomas*, *Scotus*, *S. Bonaventura in Dist. XLVI.* Sed voluntas *consequens*, et absoluta rem respicit cum omnibus adjunctis, sive *circumstantiis*, quibus perspectis, bonum non est, omnes homines salvos fieri; ideoque ex hac voluntate non vult Deus omnes homines salvos facere, nec omnibus praebet auxilia, quae ex voluntate antecedenti praeparaverat. Quare autem *Augu-*

gustinus contra Pelagianos, ac Semipelagianos disputans, semper ea Apostoli verba per metaphoram explicet, diximus *Lib. III. cap.* 14. *et Lib. VI. cap.* 9.

Objic. II. Si parvuli in utero matrum morientes nullum accipiunt sufficiens ad salutem auxilium, sequitur hinc, Christum pro iis mortuum non esse, quod recidit in quintam ex damnatis *Jansenii* thesibus: *Semipelagianum est, dicere: Christum Dominum pro omnibus mortuum esse, aut sanguinem fudisse* Ergo parvuli accipiunt aliquod salutis auxilium, si non in seipsis saltem in parentibus, quorum fide, ac pietate possunt ad Dei gratiam pervenire.

℞. *Neg. seq. ant.* Neque enim ad vitandas haereses confugere oportet ad incerta Molinistarum placita ab omnibus Theologis repudiata, atque ignota Patribus. Ex quo enim Christus mortuus est pro omnibus, et sanguis ejus est propitiatio pro peccatis totius mundi, non sequitur, pretium redemtionis ejus omnibus distribuì, cum ipse Christus, cujus voluntas Patri perfectissime consentanea est, noluerit voluntate consequenti pretium mortis ejus communicari, nisi secundum sapientissimam et, suam, et Patris oeconomiam; cujus rationes longe superant imbecillitatem mentis nostrae. Mortuus est quidem Christus pro omnibus, inquit *Prosper*, primo quia suscepit communem totius humani generis in Adamo perditi causam: deinde quia quod pertinet ad magnitudinem, et potentiam pretii, sanguis ejus ad redemtionem sufficit totius mundi, et pro toto mundo oblatus est, quorum primum fatetur *Jansenius*, imo concedit sufficere ad salutem etiam daemonum, posterius negat Verum *etsi Christus pro omnibus mortuus est; non omnes tamen mortis ejus beneficium recipiunt, sed ii dumtaxat, quibus meritum passionis ejus communicatur*, ut inquit Tridentinum *Sess. VI. Cap.* 3. Quare autem huic communicetur, illi non communicetur, noli velle quaerere, si non vis errare. Illud certum est, longe distare oblationem pretii ab ejus applicatione, cum multa impedire possint, ne quis reipsa accipiat quod ipsi revera paratum erat.

Inst. Nihil potest impedire, quominus parvulus accipiat quod pro ipso oblatum, quodque ipsi paratum est. Non

Non peccatum actuale, ut patet, sed nec originale; quia Christus mortuus est pro omnibus peccato originali jam infectis. Ergo vel asserendum, non pro omnibus Christum fudisse sanguinem, vel parvulos etiam omnes aliquod sufficiens ad salutem adjutorium reipsa accipere.

℟. Parvulos nonnullos, quominus sufficiens adjutorium accipiant, impediri originali peccato, a quo non sunt divina praedestinatione liberandi. Licet enim Christus quoad sufficientiam pretii, et antecedentem voluntatem mortuus sit pro omnibus peccato originali jam infectis, efficaciter tamen pro salute praedestinatorum mortuus est, ut diximus in Tractatu *de Incarnatione*, sive *Lib. VI.*

PROPOSITIO III.

Probabile est, quosdam infideles non accipere sufficientem gratiam ad credendum, non tamen est certum.

Prob. I. *ex Script.* De Gentibus ante Christi adventum dicitur *Act. XIV.* 15. *In praeteritis generationibus dimisit* (Deus) *omnes gentes ingredi vias suas:* Apostolus vero de omnibus infidelibus ait *Rom. X.* 14. *Quomodo credent ei, quem non audierunt? Quomodo autem audient sine praedicante?... Ergo fides ex auditu.* Atqui multis infidelibus non solum tempore Apostolorum, sed et usque adhuc praedicatum non est Evangelium, ita ut multi eorum perierint, antequam Evangelii praedicationem potuerint audire. Ergo non potuerunt credere; ac proinde non acceperunt gratiam sufficientem ad fidem. Hoc argumento utuntur Patres in Sardinia exules in *Epistola Synodica.*

Prob. II. *ex PP.* 1.° Augustinus *Lib. de Dono persev. cap.* 9. *Ex duobus*, inquit, *aetate jam grandibus impiis, cur iste ita vocetur, ut vocantem sequatur, ille autem non vocetur, aut non ita vocetur, ut vocantem sequatur* (hoc est vel nullam omnino accipiat gratiam, vel non accipiat efficacem) *inscrutabilia sunt judicia Dei* Et *Lib. de Praed. Sanct. cap.* 8. *Fides*

et inchoata, *et perfecta Dei donum est*, *et hoc donum quibusdam dari*, *quibusdam non dari*, *omnino non dubitet qui non vult manifestissimis Sacris litteris repugnare*. 2.° Prosper *Lib. Sententiar. Sent. IV. Qui dicit*, *quod non omnes vocentur ad gratiam*, *si de iis loquitur*, *quibus Christus annunciatus non est*, *reprehendi non debet* Idem docet in *Responsione ad 4m. Gallor. Object.*

Prob. III. *ratione.* Infidelitas negativa peccatum non est, ut definierunt S. Pontifices *Pius V. et Greg. XIII.* Atqui si infideles omnes sufficientem ad credendum gratiam acciperent, jam omnis infidelitas culpanda esset. Ergo etc.

PROPOSITIO IV.

Insignibus quibusdam peccatoribus excaecatis, et obduratis gratiae sufficientis auxilium negari, probabile quidem est, sed non certum.

Prob. 1a. *pars.* I. ex Scripturis, quae saepe peccatores a Deo *dimitti*, *derelinqui*, imo et *excaecari*, *et indurari* docent. Sic *Psalm. LXXX. Dimisi eos secundum desideria cordis eorum.* Jerem. LI. 9. *Curavimus Babylonem*, *et non est sanata derelinquamus eam.* Rom. I. 24. *Tradidit illos Deus in desideria cordis eorum*, *in immunditiam . . . . . in passiones ignominiae . . . . . . in reprobum sensum.* Et Joan. XII. 40. *excaecavit oculos eorum*, *et induravit cor eorum*, *ut non videant oculis et non intelligant corde.* In quae verba Augustinus *Tract. VIII. in Joan. Sic autem*, inquit, *excaecat*, *obdurat Deus*, *deserendo*, *et non adjuvando*, *quod occulto judicio facere potest*, *injusto non potest.* Hinc tantum abest, ut tales increpationibus, monitionibus, flagellis, calamitatibus sive publicis, sive privatis corrigantur, quin potius magis obdurescant exemplo Pharaonis. Ait enim Sapiens *Eccl. VII.* 14. *Considera opera Dei*, *quod nemo possit corrigere*, *quem ille despexerit.*

Prob. II. ex PP. 1.° Augustinus, quem *Vasquez* fatetur, in hac sententia fuisse constantem *Lib. de Correp.*

et

et grat. cap 12.loquens de gratia sufficienti, sive de adjutorio, *sine quo*, ait: *Nunc autem quibus deest tale adjutorium, jam poena peccati est*, idque Augustinus saepissime repetit. Quibus autem potius deesse potest, quam infidelibus negativis, et peccatoribus obduratis? 2.° Gregorius M. *Lib. XI. Moral. cap.* 5. de Cain ait. *Hinc est enim, quod Cain ex divina voce admoneri potuerit, converti non potuerit; quia exigente culpa malitiae, jam intus Deus cor reliquerat, cui foris ad testimonium verba faciebat.* Denique fatetur Theophilus Raynaldus in *Edit. Ludgdun. Opp. S. Leonis M. Augustinum, Fulgentium, Gregorium M. S. Thomam* in ea semper fuisse sententia. Vide haec fusius apud Gonet. I. *P. Disp. V. de Reprob. Art.* 5.

Prob. 2a. *pars* utriusque propositionis, hujus scilicet *IV.* et *III.* superioris. Multi sunt e Schola Theologi, qui tenent, etiam talibus infidelibus excaecatis, et induratis, si non assidue, saltem rarius aliquod gratiae caelestis affulgere lumen, et pium adesse animi motum, quem ipsi contemnunt, et suffocant, ut videre est apud Tournely *II. Part. Q. VIII. art* 3. *et* 4. Quod probant generalibus illis Scripturarum sententiis, in quibus testatur Deus, nolle se mortem peccatoris, sed omnes homines velle salvos fieri, quod profecto, inquiunt, constare non potest, si Deus quosdam omnino ad certum exitium derelinquat. Nos ergo licet probabilem dicamus priorem sententiam, quae Scripturis, et Patribus videtur esse congruentior; tamen non damnamus hanc alteram, quae et Theologorum patrocinio, et quibusdam etiam Scripturarum testimoniis, et naturalibus rationibus se commendat.

Ceterum etiam in hac posteriori sententia illud certum esse debet, non semper, et assidue talibus obduratis gratiam sufficientem praeberi, ut ostendit Bellarminus *Lib. II. De grat. et Lib. arb. cap.* 6. et aliquando eos omni prorsus auxilio destitutos interire, *ut constat*, inquit Habert, *experientia hujusmodi hominum, qui decedunt vel repentina morte, vel morbo, qui judicium rationis subvertit.*

Objic. Omnes excaecati, et obdurati tenentur servare legem, vitare peccatum, resistere tentationibus, agere poeni-

poenitentiam. Atqui haec sine gratia sufficienti fieri non possunt. Ergo fatendum est, eis semper urgente praecepto praesto esse sufficientem gratiam, alioquin Deus juberet impossibilia, aut ipsi non libere peccarent. Hoc argumentum fusse versat, et urget *Tournely.*

℟. Cum Goneto *Disp. V. De Reprob. art* 6. §. 2. *Neg. cons.* Non enim impossibile est, quod fieri potest auxilio Dei, quod ille non denegat, excaecatis, et obduratis, nisi quia sua ipsorum culpa gratiae Dei objicem opponunt, et quidem libere; licet enim nequeat homo suis viribus se ad gratiam disponere, potest tamen se illa indignum reddere, quippe ad peccandum sufficit sibi liberum arbitrium; ad bonum vero infirmum est, nisi adjuvetur ab omnipotenti bono. Et quidem satis est ad peccandum indifferentia, quam dicunt *specificationis*, qua possit hoc, vel illud malum eligi, licet non adsit proxime indifferentia *contrarietatis*, qua possit eligi bonum, vel malum; haec enim indifferentia ad merendum, et demerendum necessaria non est; alioquin Christus qui peccare non poterat, non meruisset. V. S. Thom. *Lib. III. cont. Gent. cap.* 160. Porro nullum est singulare malum, quod excaecatus, et obduratus necessario eligat. Hinc communis est Theologorum sententia, peccatores omnes, etiamsi omni careant sufficienti auxilio, imo daemones ipsos libere peccare, et tanto gravius, quanto magis gratia Dei destituti cum majori cupiditate peccant.

Inst. Quando urget praeceptum affirmans, quod sine gratia servari non potest, *ex. gr.* praeceptum conversionis, et poenitentiae, posito tunc defectu gratiae, peccator illud necessario violat, quia ejus observatio impossibilis est sine gratia, qua ille caret. Ergo daretur singulare malum, quod obduratos necessario traheret.

℟. *Neg. ant.* eadem ratione; quae supra posita est. Hinc. S. Thomas *Lib. III. Cont. Gent. cap.* 160. *Quamvis*, inquit, *illi qui in peccato sunt, vitare non possint per propriam potestatem, quin impedimentum gratiae praestent, vel ponant, nisi auxilio gratiae praeveniantur; tamen hoc eis imputantur ad culpam, quia hic defectus ex culpa praecedente in eis relinquitur, sicut ebrius*

ebrius ab homicidio non excusatur; quod per ebrietatem committit, quam sua culpa incurrit.

Scholion.

Quamvis probabile sit, insignibus quibusdam peccatoribus gratiae Dei denegari auxilium; de nullo tamen quoadusque vivit, desperandum est; tum quia nescimus utrum ad eum caecitatis, et duritiae gradum deciderit, in quo omnis ei gratia subtrahatur, tum quia licet ad eum statum pervenerit, nescimus utrum Deus velit et ipsi, ad ostendendam gratiae suae gloriam, auferre cor lapideum, et dare cor carneum, saltem in exitu vitae, idioque pro quibuslibet peccatoribus orat Ecclesia. De solis daemonibus, et iis, qui jam in peccato suo perierunt, desperandum est, nec pro iis orare licet. Etsi autem multorum hominum malitia talis est, qualis est daemonum; hoc tamen inter malos homines distat, et daemones, quod malis hominibus superest, si Deus misereatur, reconciliatio: daemonibus autem nulla in aeternum est reservata conversio, inquit Prosper *in Resp. ad. VI. Object. Vincent.* Quare Pastorem cavere sedulo opertet, ne unquam deperditae ovis abjiciat sollicitudinem, et curam.

Quoniam igitur de gratia actuali, quantum instituti brevitas postulabat, satis disputavimus; restat, ut et de *habituali*, sicut principio fuit propositum, disseramus.

CAP. XVII.

De gratia habituali, ejusque existentia, et natura.

Adv. I. ABsolutis iis, quae de gratia actuali scitu praecipue necessaria videbantur, jam altera explicanda est gratiae species, quae recepto in Scholis nomine *habitualis*, *sanctificans* appellatur, et ab Apostolo *Rom. V.* 5. *Charitas Dei, quae diffusa est in cordibus nostris per Spiritum, qui datus est nobis*, Spiritum, inquam, adoptionis filiorum, quo filii Dei nominamur, et sumus, divinae consortes naturae, heredes quidem Dei, coheredes autem Christi. De ejus igitur gra-

tiae existentia, natura, proprietatibus, dispositionibus, et praecipuis effectis disserendum est.

II. Dari gratiam sanctificantem, inter haereticos pariter et Catholicos convenit, cum apertissima sint Sacrarum Scripturarum testimonia: *Abluti estis, sanctificati estis, justificati estis I. Cor. VI.* 11. Sed in ejus natura definienda haeretici pariter, et Catholici mirifice dissentiunt. Nam haeretici quidem sanctificantem gratiam nihil aliud esse volunt, nisi Dei favorem extrinsecus remittentis, et non imputantis peccata propter Christum, quem errorem infra refutabimus. Inter catholicos vero Thomistae quidem asserunt, sanctificantem gratiam esse habitum quemdam reipsa a charitate distinctum, reliqui Theologi, qui eam a charitate non distinguunt, nisi *virtualiter*, dividuntur in partes duas: nonnulli enim cum Bellelli *Lib. Mens Augustini*, docent, charitatem hanc, in qua constat sanctificans gratia, non esse *habitualem*, sed *actualem*; alii volunt habitualem: sed hi rursus dividuntur in duas classes; qui enim veteres Peripateticorum tricas sectantur, putant *habitualem* charitatem esse rem (*a*) aliquam ab anima distinctam, alii vero putant, eam nihil aliud esse nisi supernaturalem animi modificationem.

III. Singularis est sententia *Magistri Sententiarum*, qui gratiam sanctificantem ipsum Spiritum Sanctum esse docet inhabitantem in anima justi, quam opinionem nonnulli inter errores rejiciunt. Sed Magistrum excusant, atque benigne interpretandum docent Scotus *in I. Dist. XVII. Q. I. art.* 3. Berti *Lib. XIX. cap. I.* Petavius, aliique, putantes non aliud sibi eum voluisse quam charitatem, in qua sita est sanctificans gratia, non esse habitum quemdam praesertim ab anima distinctum, sed amorem Dei ἀμέσως ab ipso Spiritu Sancto productum.

PRO-

(a) Scholast. *entitatem.*

PROPOSITIO I.

Verisimilius est gratiam sanctificantem, quae et habitualis dicitur, non esse a charitate distinctam.

Prob. I. *ex Scriptura.* Quae enim munia gratiae sanctificanti tribuit Scriptura, eadem omnino tribuit charitati. Gratia quippe sanctificans 1.° delet peccata, 2.° transfert hominem a morte ad vitam spiritualem, 3.° reddit eum Deo charum, 4.° filium Dei adoptivum, 5.° Deo conjunctissimum, 6.° omnibus ornatum virtutibus. Atqui haec eadem praestat charitas. 1.° enim *Charitas operit multitudinem peccatorum* I. Petr. IV. 8. 2.° *Nos scimus quoniam translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres: Qui non diligit, manet in morte I. Joan. III.* 14. 3.° ait Christus *Joan. XIV.* 21. *Qui diligit me, diligetur a Patre meo, et ego diligam eum.* 4.° I. Joan. IV. 7. *Omnis, qui diligit, ex Deo natus est,* et Cap. III. 1. *Videte qualem charitatem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemur, et simus.* 5.° I. Joan. IV. 16. *Qui manet in charitate, in Deo manet, et Deus in eo*, et Joan. XIV. 21 *et* 23. *Qui diligit me, diligetur a Patre meo ... et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus.* 6.° *I. Cor. XIII.* Charitas omnium fons est, et origo virtutum, *patiens est, benigna est, non aemulatur non inflatur* etc. *omnia suffert, omnia credit*; *omnia sperat*: et *Ephes. III.* 17. ipsa est radix, et fundamentum justitiae nostrae. Ergo etc.

Prob. II. *ex PP.* 1.° Augustinus *Lib. de Nat. et Grat. cap.* 7.° *Charitas*, inquit, *inchoata, inchoata justitia est, charitas provecta, provecta justitia est; charitas magna; magna justitia est, charitas perfecta, perfecta justitia est.* 2.° Leo M. *Serm. I. De Jejun. Dec. mens. Diligendo nos Deus ad imaginem suam nos restaurat . . . igne nos suae charitatis inflammans.*

Prob. III. *ratione.* Si gratia distingueretur a charitate, ut natura a potentiis, et virtutibus, profecto major esset gratia, quam charitas. Atqui Apostolus *I. Cor. XII. et XIII.* ait, charitatem esse majorem omnibus Dei cha-

charismatibus. Ergo etc. Vide alias rationes apud Estium in *II. Dist. XXVI. §. IV.*

Solvuntur objectiones.

Objic. I. Ideo Scripturae, et Patres eadem munia tum gratiae santificanti, tum charitati tribuunt, quia charitas *actualis* est ultima dispositio ad inducendam formam sanctificantis gratiae; charitas vero *habitualis* est principium proximum supernaturalium donorum, fundamentum tamen, et radicem habens in gratia sanctificante, quae est principium remotum. Ergo etc.

℟. *Neg.ant.* quod nullum habet in Scripturis, et Patribus fundamentum, imo manifeste ex iis refellitur. Apostolus enim *I. Cor. XII. et XIII.* solam Charitatem ait esse fontem, et originem caelestium charismatum, et *Ephes.III.* 17. basim, et radicem vitae spiritualis. *In charitate*, inquit, *radicati*; *et fundati.* Ergo neque agnoscendum est praeter ipsam aliud principium remotum supernaturalium donorum; neque ipsa est tantum ultima dispositio ad gratiam sautificantem, sed ipsa per se *αμεσως immediate* radix est, et fundamentum spiritualium charismatum, sicut et gratia sanctificans, ideoque ab illa non distinguitur.

Objic. II. Quae numerum faciunt, reipsa distinguuntur. Atqui gratia sanctificans, et charitas in Scripturis, et conciliis numerum faciunt; Ait enim Apostolus *II. Cor.XIII.* 13. *Gratia Domini nostri Jesu Christi, et charitas Dei*: et I. Tim. I. 14. *Superabundavit gratia Domini nostri cum fide, et dilectione.* Concilium Viennense etiam docet, infundi parvulis in baptismo *gratiam et virtutes*, inter quas est charitas. Et Tridentinum *Sess.VI. can.* 2. *exclusa*, inquit, *gratia et charitate.* Ergo reipsa distinguuntur gratia sanctificans, et charitas.

℟. *Neg.min.* Laudata enim Apostolis loca intelligenda sunt de gratia actuali praeveniente, ut ad gratiam sanctifisantem, sive charitatem vel accipiendam, vel augendam disponamur. Concilium Viennense nomine gratiae charitatem etiam intelligit, quippe quae hominem facit Deo gratum, ut supra docuimus: nomine vero

virtutum, virtutes reliquas tum theologicas, tum morales. Tridentinum vero tantum abest, ut quaestionem hanc Scholasticam definire voluerit, quin potius, testo *Pallavicino*, Patres in explicanda justificationis doctrina consulto usurpaverint vocabulum modo gratiae, modo charitatis, modo utrumque conjunxerint, ut in laudato canone, in quo potius confirmata, quam labefactata videtur sententia nostra. Post laudata enim verba, Patres non plurali numero de gratia, et charitate loquuntur, sed singulari; *exclusa*, inquiunt, *gratia, et charitate, quae in cordibus eorum diffundatur, eisque inhaereat*; quibus verbis satis aperte insinuant, gratiam se, et charitatem pro uno eodemque dono accepisse.

Inst. Idem Apostolus distinguit charitatem a gratia, ut fructum, a radice. Ait enim *Rom. V.* 5. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis*; Galat. V. 22. *Fructus autem Spiritus est charitas.* Atqui Spiritus Sanctus non datur sine sanctificante gratia. Ergo Charitas fructus est, et effectus gratiae sanctificantis, ideoque ab illa distinguitur.

℟. *Neg. maj.* Apostolus enim per Spiritum Sanctum non intelligit aliquod creatum Dei donum, ex quo tamquam ex radice charitas oriatur, sed ipsam Spiritus Sancti personam, quae simul eodem temporis articulo datur cum gratia sanctificante, sive charitate; quae idem est. Unde charitas effectus quidem est Spiritus Sancti, sed non gratiae sanctificantis, a qua non distinguitur.

Objic. III. Quorum diversa sunt munia, diversae quoque sunt *formae*, sive naturae. Sed gratiae, et charitatis diversa munia sunt. Gratia enim reddit hominem Deo amabilem, charitas vero Dei amatorem, quae duo tantum inter se differunt, ut aliquando diligatur homo a Deo, absque eo quod diligat Deum, ut patet in justo infante, aut dormiente; aliquando vero diligat homo Deum, absque eo quod a Deo diligatur per sanctificantem gratiam, ut patet in eo, qui imperfectam charitatem habet, antequam sacramentum reipsa suscipiat. Ergo etc.

℟. *Neg. min.* Charitas enim hominem praestat Dei dilectorem, Deoque dilectum; habitualis quidem sem-

per

per et permanenti habitu, etsi de Deo actu non cogitet; actualis vero cum est perfecta: cum enim imperfecta est, facit hominem quidem aliquo modo Dei amatorem, sed non quantum sufficit, ut a Deo diligatur, et inhabitetur.

Objic. IV. *Operari sequitur esse*, ut habet tritum in Scholis proverbium. Ergo charitas, quae est operatrix quaedam facultas, supponit gratiam sanctificantem, quae det animae *esse* supernaturale, ut possit supernaturali modo operari.

℟. *Dist.ant.* In naturalibus, *conc.* In supernaturalibus, *neg.* In rebus quidem naturalibus *accidentales* facultates cum non possint per se subsistere, ab ipsa natura profluunt, cui inhaerent. At in supernaturalibus non ita se res habet. Natura enim rationalis per virtutem tum naturalem, tum *obedientialem* (quam vocant) capax est naturalium, et supernaturalium virtutum; unde *Augustinus* ait: *posse habere fidem naturae est hominum Lib. de praedestin. San. cap.*5. et *Lib. de Grat. Christi cap.* 20 ait, charitatem esse primam radicem caelestium donorum, nec aliud agnoscendum esse hujus radicis solum, nisi ipsam naturam, quae capax est tum charitatis per virtutem Dei, tum cupiditatis per liberum arbitrium.

PROPOSITIO II.

Charitas, in qua sita est gratiae sanctificantis natura, non est ipsa Spiritus Sancti persona, sed ejus effectus; numquam tamen illa homini infunditur, nisi communicata ineffabili modo ipsa persona Spiritus Sancti.

Prob. 1a. *pars ex Scripturis.* Apostolus *Galat. V.* 22. *Fructus*, inquit, *Spiritus est charitas.* Si ergo fructus est Spiritus Sancti charitas, ab illo tamquam effectus a causa distinguitur. Accedit quod idem Apostolus *Rom. V.* 5. ait: *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis.* Licet enim Augustinus *Ser. XLV: de Verb. Apost.* charitatem hic accipiat non pro ea, qua nos diligimus Deum, sed pro

ea, qua nos diligit Deus, nempe pro ipso Spiritu Sancto; tamen non rejicit sensum alterum, quem alibi sequitur, et videtur obvius, et Apostolicae sententiae congruentior; nempe charitatem tamquam effectum a causa per Spiritum S. in cordibus nostris esse diffusam; alioquin dicendum esset, Spiritum Sanctum in nobis diffusum per Spiritum Sanctum, quod non videtur congruere.

Prob. 2a. *pars.* I. ex Scripturis, quae saepe docent, ipsum nobis Spiritum Sanctum communicari. *Joan. XIV.* 16. ait Christus: *Ego rogabo Patrem, et alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in aeternum, Spiritum veritatis ... apud vos manebit, et in vobis erit ..... Paraclitus autem Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, Ille vos docebit omnia.* Gal. IV, 6. *Misit Deus Spiritum Filii sui in corda vestra*; et II. Cor. I. 21. *Unxit nos Deus, qui et signavit nos, et dedit pignus Spiritus in cordibus nostris.* Atqui haec, et similia Scripturarum loca intelligi nequeunt, ut vulgo ab Scholasticis nonnullis explicantur, de sola supernaturalium donorum largitione, nisi verbis vim facias, eaque ad metaphoram gratis detorqueas. Ergo etc.

Prob. II. *eadem* 2a. *pars ex* PP. 1.° Nazianzenus *Orat. XLIV. in Pent.* in ea verba Joannis: *Spiritus Sanctus nondum erat datus, quia Jesus nondum fuerat glorificatus*, tria tempora distinguit, in quibus Spiritum Sanctum datum esse, Scriptura demonstrat: primum ante Christi passionem, alterum post passionem, tertium post ascensionem in caelum. Hinc subdit: *Verum primo quidem obscure* (datus est Spiritus Sanctus), *secundo expressius, nunc vero perfectius, ut qui jam non operatione tantum praesens sit, ut antea, sed substantialiter* ουσιωδως *ut sic loquar, modo adsit, ac simul versetur.* 2.° Cyrillus *Lib. XXXIV. Thes. Sanctificandi virtutem, quae ex Patre naturaliter prodit, et imperfecta perficit, Spiritum Sanctum esse dicimus, Superfluum videtur per medium aliquod creaturas sanctificare, Spiritus Sanctus per seipsum in nobis operatur, vere sanctificans, et uniens nos sibimetipsi, dum nos secum copulat, et divinae naturae participes reddit.* 3.° Augustinus, *vel* quivis auctor *Ser. CLXXXV. de temp.* nunc *CLXXXII. in Append Adfuit in hac die*

(Pen-

(Pentecostes) *fidelibus suis non jam per gratiam visitationis, et operationis, sed per ipsam praesentiam majestatis. Atque ita in vasa non jam odor, sed ipsa substantia sacri defluxit unguenti.* 4.° Patres Graeci Spiritum Sanctum *signaculum*, et *sigillum* appellant, quo Dei in nobis similitudo imprimitur; ideoque sicut non insculpitur in cera imago, nisi sigillum ei αμεσως applicetur, ita nonnisi ipso Spiritu Sancto imago Dei in nobis formatur, ut arguit *Cyrillus Dial. VII. cum Hermia* (a). 5.° *Dydimus*, *Athanasius*, aliique Patres docent, quando in Scripturis dari dicitur Spiritus cum additamento aliquo timoris, fortitudinis etc. tunc designari dona Spiritus Sancti; cum vero absolute Spiritus Sanctus ponitur, ipsam ejus significari personam. Constat autem ex Scripturis, saepenumero Spiritum Sanctum sine ullo ejusmodi additamento, sed simpliciter et absolute dari, imo donari tamquam aliquid a suis donis distinctum, ut *Rom. V.* 5. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis*, atque inde in hominibus justis manere, inhabitare ut in templo, eosque sanctificare, atque in iis operari. Ergo etc.

Prob. III. *Theologica ratione.* 1.° Ita manet in homine justo Spiritus Sanctus, uti promissus est. Atqui promissus est uti a Patre procedit, ut constat ex iis Evangelii locis, in quibus pollicetur Christus, Patrem et Filium missuros esse Spiritum Sanctum, ut in hominibus justis maneat, quae missio processionem significat, ut *Lib. IV.* ostendimus; procedit autem Spiritus S. non ut *accidentale*, sed *substantiale* donum. Ergo etc. 2.° Christus pollicetur Apostolis alium Paraclitum loco suo; Ergo sicut ipse non per operationem tantum, sed per ipsam substantiam Apostolis adfuit; ita et Spiritus. 3.° Ille Spiritus promittitur fidelibus, quem Mundus non potest accipere. Atqui nonnulla Spiritus Sancti do-

(a) Adde Augustinum *Lib. XV. de Trinit. cap.* 26. Epiphanium *Haeres. LXXIV.* Basilium *Lib. V. cont.* Eunom. Athanasium *Epistola ad Serapion* et alios apud *Petavium*, qui late de hoc argumento disserit.

dona potest mundus, idest peccatores, accipere, ut sunt gratiae gratis datae. Ergo ipsa Spiritus Sancti persona justis promittitur, quam certe mundus accipere non potest; cum Spiritus Sanctus habitare non possit in corpore subdito peccatis. 4.° Spiritus Sanctus *Ephes. I.* 14. dicitur *pignus haereditatis nostrae*, Graece *αρραβον*. Ipse ergo Spiritus per substantiam suam communicatur justis. Pignus enim, ut arguit *Paschasius Diaconus Lib. I. de Spiritu Sancto. Cap.* 11. est aliquid majus ipsa re, quae promittitur; arrha vero, ut observat Augustinus *Serm. XIII. de verbis Apost.* est ipsa rei promissae portio. Cum autem nihil possit esse majus haereditate nostra, quae est ipse Deus, oportet ut eius pignus sit saltem aequale, hoc est persona divina.

Solvuntur objectiones.

***Objic.* I.** Quae Deus extra se operatur, tribus simul personis divinis communia sunt. Ergo in hominis sanctificatione non solus Spiritus Sanctus, sed Pater quoque et Filius justo communicantur. Unde Christus *Joan. XIV.* 13. *Qui*, inquit, *diligit me, diligetur a Patre meo . . , et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus.*

℟. *Dist. ant.* Si non exprimunt proprium alicujus personae characterem, et notionem, quae ceteris non conveniat, *conc.* Si exprimunt propriam alicujus personae notionem, *subdist.* Sunt communia tribus personis propter earum *circuminsessionem*, *conc.* Aliter, *neg.* Dicimus ergo, conjunctionem Spiritus Sancti cum anima justi, licet per *circuminsessionem* personarum Patris, et Filii in Spiritu Sancto afferat etiam trium simul personarum mansionem, ut *Christus* ait *Joan. XIV.* tamen peculiari modo ipsi Spiritui Sancto convenire. Cum enim sanctificatio justi fiat donatione Spiritus Sancti, ut Scripturae et Patres docent; solus autem Spiritus, non Pater, non Filius sit donum, quippe qui procedit ut Amor, ideoque ex personali sua proprietate *donabilis* est creaturis, ut observat *Augustinus*: fit hinc, donari, et justos constituere, proprie Spiritui Sancto convenire, ideoque ipsum proprie justis conjungi, atque eos inhabitare

tare tamquam formam, ut ita dicam, sanctificantem, qua justi fiant adoptivi filii Dei, divinae consortes naturae, templum Deitatis etc. Hinc *Basilius Epist. CXLIX.* ait, tam propriam esse Spiritui Sancto sanctificandi virtutem, quam propria est *Paternitas* Patri, et *Filietas* Filio.

Inst. 1.° Vel conjunctio Spiritus Sancti cum justo fit in natura, vel in persona. Si fit in natura, jam tribus personis communis erit, ut patet. Si vero in persona, erit ergo conjunctio *hypostatica*, ac proinde tot erunt hypostaticae conjunctiones, quot sunt justi, quod quis non videt esse absurdum? tum quia unam hypostaticam conjunctionem Verbi cum humana Christi natura agnoscit Ecclesia; tum quia ex hypostatica conjunctione Spiritus Sancti cum justis sequeretur justorum impeccantia, communicatio idiomatum etc. Ergo etc.

℟. Conjunctionem Spiritus Sancti cum justis fieri in persona, nec tamen esse *hypostaticam*, qualis est Verbi cum humana natura in Christo; ideoque justum non dici Spiritum Sanctum, nec Deum, sed divinum: cum contra Christus, in quo inhabitat omnis plenitudo divinitatis *corporaliter*, et *hypostatice*, non divinus, sed Deus dicatur. Conjunctio ergo justi cum Spiritu Sancto accipienda est σχετικως sive secundum habitudinem, qualis est inter templum, et inhabitantem, inter ignem, atque ignitum, quibus aliisque exemplis utitur Basilius *Lib. de Spir. Sanc. Cap.* 26. Idcirco Sancti habent quidem in se Spiritum Sanctum, ut formam, qua spirituales vocantur, et sunt; sed non sunt ipsi Spiritus Sanctus. Neque vero putandum est, praeter conjunctionem naturalem, qualis est inter animam, et corpus, et hypostaticam, qualis est unica, et singularis conjunctio Verbi cum humana Christi natura, nullam aliam esse conjunctionem, et quidem substantialem, quoties Scripturae, et Patres alium conunctionis modum clare insinuant, ut faciunt in re praesenti. Deus enim variis modis, et quidem secundum substantiam creaturis conjungitur. Aliter quippe res omnes sua immensitate pervadit, aliter beatis spiritibus insidet, aliter humanae Christi naturae conjungitur. Numquid ignis substantia non intime ferro jungitur? et tamen hypostatica non est illa

conjunctio, cum ferrum non evadat ignis, sed ignitum. Pari ergo ratione intelligenda est conjunctio justi cum Spiritu Sancto, cum hoc etiam ignis exemplo ad eam explicandam Patres utantur. Ideoque per illam justus non fit Spiritus Sanctus, nec Deus, sed spiritualis, et divinus.

Inst. 1.° Justificatio hominis etiam in veteri Testamento per Spiritum Sanctum fiebat. Ait enim David *Psal. L. Cor mundum crea in me Deus, et Spiritum rectum innova in visceribus meis. Ne projicias me a facie tua, et Spiritum Sanctum tuum ne auferas a me.* Sed Patres docent, id in Veteri Testamento factum per solam operationem, non per *substantialem* Spiritus Sancti conjunctionem cum justis. Ergo eodem modo intelligi possunt Scripturae novi Testamenti.

℟. *Dist. ant.* Fiebat per Spiritum Sanctum diverso modo, *conc.* Eodem modo, ac in Novo Testamento, *neg. Nunc enim*, inquit Nazianzenus *Orat. XLIV. in Pentec. non operatione sola, ut antea, sed substantiali, ut ita loquar, modo adest, ac simul versatur. Decebat enim, ut cum Filius corpoream nobiscum consuetudinem habuisset, Spiritus quoque corporeo nobiscum modo versaretur.* Idem docent alii Patres, quorum testimonia vide apud *Petavium*.

PROPOSITIO III.

Charitas, in qua diximus constare naturam gratiae sanctificantis, non est merus actus, sed ad instar habitus. Utrum autem ejusmodi sit habitus, quales sunt habitus virtutum adquisitarum, incertum est.

Prob. 1a. *pars.* Infantes, et qui a nativitate amentes sunt, gratiam sanctificantem in baptismo accipiunt, ideoque et charitatem, quam ab illa non distingui, supra ostendimus. Ita enim tenendum docuit Concilium Viennense sub *Clem. V. Clem. un. de Sum. Trin. et Fide Cath.* Atqui infantes illi, et amentes non sunt propriorum actuum capaces. Ergo Charitas, quae gratiae san-

sanctificantis naturam constituit, non est merus actus praeteritus non retractatus.

Prob. 2a.*pars*, quae sequitur ex prima. I. Scripturae gratiam sanctificantem describunt ut aliquid adsidue permanens in anima justi. Dicunt enim, eam *diffundi in cordibus nostris Rom. V.* 5, *Esse fontem aquae salientis in vitam aeternam* Joan. IV. 14. *Unguentum I. Joan. II.* 27. Ergo etc.

II. Idipsum clare docent Patres. 1.° *Basilius* enim *Lib. de Spiritu Sancto Cap.*26. *Sicuti vis cernendi*, inquit, *est in homine sano, sic operatio Spiritus Sancti in anima purgata. Et sicut ars in eo, qui nactus est illam, ita gratia Spiritus in eo, qui recipit, semper quidem praesens, sed non perpetuo operans.* Quid clarius dici poterat, ut significaretur permanens Dei donum? 2.° Cyrillus Alex. *Lib. IV. in Isai. Or.* 2. *Formatur*, inquit, *in nobis Christus, Spiritu Sancto divinam quandam formam per sanctificationem, et justitiam infundente. Sic enim in animis nostris elucet character substantiae Dei, ac Patris.* Idem alii docent (*a*).

III. Idem evincitur Theologica ratione. *Sicut per inobedientiam unius peccatores constituti sunt multi, ita per unius obeditionem justi constituentur multi*, ut docet Apostolus *Rom.V.* 19. Sed Adae posteri peccatum ex eo trahunt, sibi instar habitus inhaerens. Ergo et qui in Christo renascuntur, per justitiam sibi per modum habitus inhaerentem renovantur.

IV. Concilium Viennense sub *Clemente* V. inter varias Theologorum opiniones hanc doctrinam, ut *probabiliorem, et dictis Sanctorum, et modernorum* Theologiae *doctorum magis consonam, eligendam decrevit*; quae verba definitionem fidei non faciunt, ut observat *Dominicus Soto Lib.II, de Nat. et Grat. cap.* 17. aliique contra *Guidonem Carmelitam*. Concilium quidem Triden-

(a) Hieronymus *in Epist. ad Philem.* Chrysostomus *Homil. ad Neophyr. et Hom. XI in Ep. I. ad Corinth.* Augustinus *De peccat. meritis. Cap.* 9. Dionysius *De Eccl. Hier. Cap.* 2. Leo M. *Serm. I. de Jejun. X. Mens.* Caesarius *Hom. VII. etc.*

dentinum cum docuit *Sess. VI. cap. 7.* in justificatione infundi fidem, spem, et charitatem, easque in cordibus justorum inhaerere, satis declaravit Ecclesiae sensum. Sed cum consulto adhibere noluerit *habitus* vocabulum, quamvis id urgentibus nonnullis Theologis apud Pontificis Legatum, ut auctor est Pallavicinus *Lib. VIII. Hist. cap.* 18. *n.* 3. hinc contraria sententia temeraria quidem, et *erronea*, non tamen haeretica censeri debet, ut docet Estius *in II. Dist. XXVI.* §. 3. quidquid contra censeant nonnulli Theologi, post *Andream Vegam in cap. 7. Sess. VI. Conc. Trid.* qui haereseos etiam notam illi inurunt.

Prob. 3a. *pars.* Non alios novimus habitus, nisi qui ex repetitis actibus gignuntur, et in anima propensionem quandam efficiunt, ad similes eliciendos actus. Atqui talis non est charitatis habitus, cum certum sit, infundi illum parvulis sine ullo praecedenti actu, nec in parvulis ipsis cum adoleverint, aut in adultis post justificationem, efficiat propensionem illam ad actus charitatis eliciendos. Ergo videtur esse alterius generis ab habitibus adquisitarum virtutum; eaque fortasse de causa Concilium Viennense, et Tridentinum a vocabulo *habitus* abstinendum putarunt.

Solvuntur objectiones.

Objic. I. Eadem est ratio contrariorum, cupiditatis nempe, quae est inordinatus amor creaturarum, et charitatis, quae est ordinatus amor diligendorum. Atqui cupiditas actualis animam reddit iniquam. Ergo charitas actualis animam reddit justam. Hinc Augustinus *Lib. LXXXIII. Quaest. Q.* 9. *et* 30. *Omnis*, inquit, *humana perversio, quae et vitium vocatur, est fruendis uti velle, et utendis frui; et omnis ordinatio, quae virtus etiam nominatur, fruendis frui, et utendis uti.*

Resp. Dist. min. Cupiditas actualis reddit animam iniquam actu, *conc.* Habitu, *subdist.* Efficienter, *conc.* Formaliter, *neg. Distinguo* pariter *consequ.* Ergo charitas actualis reddit animam justam actu, *conc.* Habi-

bitu, *subdist.* Tamquam dispositio (a), *conc. Formaliter*, *neg.* Cupiditas ergo actualis, sicut et actualis charitas, actus est transiens, qui quidem in illo temporis momento, in quo extat, reddit animam iniquam, vel justam, modo actus sit intensus (remissior enim charitatis actus ad justificationem non sufficit); sed postquam praeteriit actus, non est amplius in anima, et tamen remanet anima iniqua, vel justa, quia remanet effectus actus illius, qui praeteriit, nempe permanens animae aversio a Deo, vel ad Deum conversio. Haec igitur permanens animi dispositio causa *formalis* est peccati *habitualis*, vel *habitualis* justitiae. Et quia cupiditatis actus cum pertingit usque ad contemtum Dei, semper relinquit animam habitu a Deo aversam, donec per gratiam Dei rursus retorqueatur, et convertatur ad Deum; sicut etiam charitatis actus cum intensior est, et pertingit usque ad comtemtum sui, est ultima dispositio, propter quam Deus servat animam habitu ad se conversam, donec per peccatum mortale rursus avertatur; idcirco Scripturae et Patres dicunt, transgressores legis esse iniquos, et factores legis justificari. Hac igitur distinctione argumenta omnia *Bellelli*, *Vasquesii*, aliorumque Theologorum, qui *Bellelli* sententiam sequuntur, facile dissolves.

Objic. II. Pueri baptizati, cum adolescunt non sentiunt ad actus charitatis, aliarumque virtutum propensionem. Ergo charitas iis in Baptismo non datur per modum habitus, cum omnis habitus ad actus sibi proprios mentem inclinet.

℟. 1.° Retorquendo argumentum. Parvuli qui baptizantur non accipiunt gratiam per modum actus, cujus ipsi non sunt capaces. Ergo vel eam accipiunt per modum habitus, vel nihil accipiunt.

℟. 2.° *Transeat ant. Neg. cons.* Hoc enim discrimen est inter habitus naturales repetitis actibus adquisitos, et habitus supernaturales qui praeviis dispositionibus infunduntur adultis, et habitus supernaturales, nullis praeviis di-

---

(a) Schol, *Dispositive.*

dispositionibus infusos infantibus; quod habitus quidem naturales repetitis actibus adquisiti facilitatem tribuunt, et propensionem ad actus sibi similes, habitus vero supernaturales praeviis dispositionibus infusi tribuunt quidem facilitatem aliquam, et propensionem in superiori voluntatis parte, sed remanent in inferioribus potentiis saepenumero pravi habitus ex peccato contracti, qui cum mentem in actus sibi similes incitent, contra eos adsidue luctandum est, donec extinguantur, vel saltem prostrati non multum voluntatem lacessant. Habitus tamen sine praeviis dispositionibus infusi parvulis quodammodo quiescentes sunt, donec a gratia actuali in ipso rationis crepusculo excitentur ad actus. Quam gratiam si parvuli negligunt, ut plerumque accidit, concupiscentia ex peccato originali per baptismum remanens, eos ad actus illicitos adsidue impellit. Quapropter nisi Christiana, eaque vigilantissima cura removeantur ab amore rerum terrenarum, in peccatum mortale cito prolabuntur, et gratiam Dei, quam sine suo labore quasi haereditariam acceperant, miserrime abjiciunt. Dixi *transeat ant.* quia licet non sit in parvulis adeo vehemens propensio in actus habitibus in baptismo infusis respondentes, ut sensu percipiatur; tamen non est negandum, esse in illis *habitualem* aliquem in parte superiori appetitum boni, quem ipsi rebus sensibilibus, quae fortius eos afficiunt, illecti suffocant, et extinguunt.

PROPOSITIO IV.

Charitatis habitus non est res aliqua, quae ab animi substantia reipsa distinguatur, sed animi ipsius modificatio.

Prob. Non sunt multiplicanda entia sine necessitate, ut fert tritum jam philosophorum sermone proverbium. Sed nihil omnino necesse est novam hanc rem (*a*) ponere ab anima distinctam. Sicut enim corpus

(a) Sive *entitatem*; ut ajunt.

pus motum a quiescente non differt per rem aliquam ipsi superadditam, sed per solam modificationem; ita animus Deum amans, a non amante per solam modificationem discernitur; cum ex Augustino *Tract. XXXII. in Joan.* amor nihil aliud sit, nisi motus animi. Ergo etc.

Scholion.

I. Illa animi modificatio, quam inducit gratia habitualis, sive charitas, nihil aliud est, quam rectus ordo partium, sive affectuum; ita ut nihil Deo praeferat, sed cuncta, atque adeo seipsum, omnesque affectus suos illi subjiciat, rectoque ordine componat. Hic autem rectus ordo partium, quem charitas efficit, quae ideo ab Augustino dicitur *ordo amoris*, animi pulchritudo dicitur, metaphora a corporibus desumta, quae pulchra dicuntur, cum partes recte ordinatae sunt, et convenienti luce perfusae gratum habent colorem. Hinc *Augustinus Tract. IX. in Epist. Joan. Anima nostra*, inquit, *fratres mei, foeda est per iniquitatem* (quia scilicet peccatum perturbato amoris ordine, deformem efficit animum) *amando Deum pulchra efficitur. Quantum in te crescit amor, tantum crescit pulchritudo, quia ipsa charitas est animi pulchritudo.* Neque huic recto ordini partium deest coloris decor, quem efficiunt radii divinae lucis, Spiritu Sancto animam inhabitante; sicut contra animus, in quo cupiditas ordinem amoris perturbavit, absente divina luce tenebrosus est. *Eratis aliquando tenebrae, nunc autem lux in Domino*, inquit Apostolus *Ephes. V.* 8. Et I. P. II. 9. *De tenebris vos vocavit in admirabile lumen suum.* Unde S. Thomas 1a. 2ae. *Q. CX. art.* 1. *Gratia*, inquit, *est quaedam lux animae.*

II. Quoniam autem omnes affectus animi non possunt recto ordine componi, nisi destructis vitiis, virtutes morales inserant, fit hinc, ut infusa per Spiritum Sanctum charitate, omnium etiam virtutum moralium choros infundatur, et dona etiam Spiritus Sancti, ut inferius dicturi sumus.

III. Rursus quoniam gratia *habitualis* a charitate non differt, charitatis autem *subjectum* voluntas est, se-

sequitur, ipsam voluntatem esse gratiae habitualis *subjectum*, atque ita gravis haec inter Scholasticos quaestio de *subjecto* habitualis gratiae paucis dissolvitur. Quae autem contra objiciunt *Thomistae*, non est operae pretium exponere, ac refutare.

C A P. XVIII.

De gratiae habitualis effectibus; et primò de justificatione impii.

Explicata gratiae habitualis natura, nunc ejus effectus explicandi sunt, inter quos primum obtinet locum ipsa impii justificatio, quam tribus articulis explicabimus; quorum unus est de dispositionibus ad justificationem, alter de ipsa justificationis natura, seu causa, ut ajunt, *formali*, tertius de ejus proprietatibus.

§. I.

De dispositionibus ad justificationem necessariis.

Adv. I. Lutherani, et Calvinistae statuentes, ut supra diximus, concupiscentiam esse peccatum, ideoque cum illa post baptismum remaneat, peccatum semper in anima justi permanere; ex consequenti docent, non aliud esse hominis justificationem, quam misericordiam Dei non imputantis peccatum, ob merita Christi per fidem apprehensa. Quapropter non aliam requirunt justificationis dispositionem, nisi solam fidem. Cumque fidem distinguant triplicem, nempe fidem historicam eorum, quae revelavit Deus: fidem miraculorum, de qua Christus ait: *Si habueritis fidem sicut granum sinapis, dicetis monti huic transi hinc illuc, et transibit*; et fidem promissionem, seu fiduciam, qua certissime credamus, imputari nobis justitiam Christi; imo ex *Calvino*, qua certissime credamus, nos esse praedestinatos; hinc affirmant, fidem, quam solam esse docent necessariam justificationis dispositionem, non aliam esse, nisi fidem promissorum: *Sola fides necessaria est, ut justi simus*, inquit Lutherus *in Epist. ad Galat. cap.* 2. *fanaticam* ap-

appellans, et *pestilentem* distinctionem illam fidei in fidem *informem*, quae est in peccatoribus, et *formatam*, quae in justis per charitatem operatur, quippe in peccatoribus fidem esse posse negat; quia si fidem haberent, justi essent. Et Calvinus *in Antidoto Conc. Trid. Sess. VI. Can. II. Solà fides est, quae justificat.* Non negant quidem illi, alias virtutes comitari fidem, sed nonnisi fidei soli justificationem tribuendam docent; sicut solus calor est qui calefacit, licet calor cum luce conjunctus sit.

II. Ex hoc autem principio inferunt, timorem illum judiciorum Dei, quo concussus impius a peccato abstinet: non solum non esse ad justificationem necessarium, sed malum etiam, et noxium, quippe profectum ex amore sui, qui aedificat ex *Augustino* civitatem Babylonis, ideoque hominem inquinare.

III. Contra hos errores Concilium Tridentinum *Sess. VI. Cap.* 6. gratiae caelestis oeconomiam, et justificationis dispositiones luculenter exponit his verbis: *Disponuntur autem ad ipsam justitiam, cum excitati gratia Dei, et adjuti, fidem ex auditu concipientes, libere moventur in Deum, credentes, vera esse, quae divinitus revelata, et promissa fuerunt ,..... et dum peccatores se esse intelligentes a divinae justitiae timore, quo utiliter concutiuntur, ad contemplandam Dei misericordiam se convertendo, in spem eriguntur, fidentes, Deum sibi propter Christum propitium fore, illumque tamquam omnis justitiae fontem diligere incipiunt, ac propterea moventur adversus peccata per odium aliquod et detestationem, hoc est per eam poenitentiam, quam ante baptismum agi oportet: denique dum proponunt suscipere baptismum, inchoare novam vitam, et servare divina mandata.* En igitur ex Tridentino dispositiones ad justificationem; 1.° Fides, 2.° timor, 3.° spes, 4.° charitas, 5.° contritio, 6.° propositum sacramenti suscipiendi, et servandi divina mandata: quae dispositiones Concilium ibidem ex Scripturis confirmat. *Accedentem ad Deum oportet credere quia est, et quod inquirentibus se remunerator sit Heb. XI. 6.* Et *confide fili, remittuntur tibi peccata tua Matth. IX.* 2. Et *Timor Domini expellit peccatum Eccl. I.* 27. Et *poeniten-*

tentiam agite, et baptizetur unusquisque vestrum in remissionem peccatorum Act. II. 38. Et *euntes ergo docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, docentes eos servare quaecumque mandavi vobis Matth. XVII.* 19.

IV. Nos hic illud haereticorum delirium confutabimus, quo putant, solam fidem, seu fiduciam divinarum promissionum justificare. Sed de ceteris dispositionibus ad justificationem necessariis commodius agemus in sequenti Libro, cum de iis sacramentis sermo erit, quibus gratia justificationis infunditur.

PROPOSITIO I.

Fides, quae prima ad justificationem est dispositio, non est sola fiducia divinae misericordiae remittentis peccata propter Christum.
Est dogma fidei.

Prob. Scriptura eam fidem ad justificationem requirit, qua quis certo credat mysteria divinitus revelata, praesertim Trinitatis, et Incarnationis, quam Protestantes fidem historicam appellant. *Rom.* X. 9. *Si confitearis in ore tuo Dominum Jesum, et in corde tuo credideris, quod Deus illum suscitavit a mortuis, salvus eris.* Et Apostolis ad praedicandum Evangelium missis generatim edicit Christus *Marc. ult.* 15. *Praedicate Evangelium omni creaturae. Qui crediderit* (utique Evangelio, in quo non solae Dei promissiones continentur) *et baptizatus fuerit, salvus erit.* Denique quis divinarum promissionum, et meritorum Christi fiduciam habere potest, nisi prius credat, esse Deum, et quidem remuneratorem; Filium Dei incarnatum de Spiritu Sancto, et passum pro mundi redemtione? Ergo primum justificationis exordium, et fundamentum, non est divinarum promissionum fiducia, sed fides mysteriorum, quae revelavit Deus. Unde *Leo M. Serm. IV. de Epiph. Hoc est*, inquit, *quod justificat impios, hoc est quod ex peccatoribus facit Sanctos, si in uno eodemque Domino nostro Jesu Cristo, et vera Deitas, et vera credatur humanitas.* Meritò ergo Tridentinum *Sess. VI. can.* 13. *Si quis*

quis dixerit, inquit, *fidem justificantem nihil aliud esse, quam fiduciam divinae misericordiae peccata remittentis propter Christum, anathema sit.*

Objic. Fides justificans in Scripturis pro fiducia sumitur. Nam *Matth. IX.* 2. ait Christus Paralytico: *Confide fili, remittuntur tibi peccata tua.* Et Apostolus *Rom. IV.* 18. loquens de Abraham, quem ex fide justificatum dicit, ex illis verbis *Gen. XV.* 6. *Credidit Abraham Deo, et reputatum est illi ad justitiam*, ait, eam fidem nihil aliud fuisse, nisi certissimam spem: *Contra spem in spem credidit ...... In repromissione Dei non haesitavit diffidentia, sed confortatus est fide.* Ergo fides justificans non est fides historica, sed fiducia divinae misericordiae remittentis propter Christum peccata.

R. *Dist. ant.* Fides justificans usurpatur pro fiducia *formaliter*, quasi sola fiducia justificaret, *neg. Efficienter*, quia scilicet firma fides certam fiduciam gignit, *conc.* Quo ergo quis firmius inhaeret veritati divinitus revelatae, *ex. gr.* Deum esse misericordem, et praestabilem super quantamcumque hominum malitiam, eo major in eo voluntas excitatur redeundi ad Deum, ac spes veniae. Ita paralyticus ex certa fide de Christi virtute, ac benignitate, in magnam obtinendae sanitatis, et remissionis peccatorum fiduciam erectus est. Abraham quoque ex firmissima fide de Dei omnipotentia, ac fidelitate in promissis contra naturalem rerum ordinem in Dei promissione speravit: *Plenissime sciens*, inquit Apostolus, *quia quaecumque promisit, potens est et facere.* En fidem fiduciae causam. Quia igitur magna fiducia ex magna fide oritur, nec sine illa esse, aut cogitari potest, ideo Scriptura aliquando fidem justificantem pro fiducia usurpat, quippe uno vocabulo et spem, et spei ipsius causam explicans.

PROPOSITIO II.

Dogma fidei est, solam fidem non justificare.

Prob. I. ex scriptura. 1.° *I. Cor. XIII.* 2. ait Apostolus: *Si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam*

ram, charitatem autem non habuero, nihil sum. Ergo sola fides sine charitate non justificat; qui enim dicit *omnem fidem*, is nullam agnoscit fidem, quae sine charitate justificare possit. Addit praeterea *Galat. V.* 6. *In Christo Jesu neque circumcisio aliquid valet, neque praeputium, sed fides, quae per charitatem operatur.* Non ergo valet ad justificationem sola fides, quae per charitatem non operatur.

Neque ullius momenti est haereticorum effugium, qui respondent, charitatem conjungi ab Apostolo fidei justificanti tamquam ejus fructum, et ipsius justificationis effectum, non tamquam causam, aut dispositionem. Nam 1.° manifeste docet Apostolus, esse posse in homine omnem fidem etiam firmissimam, sine charitate, eamque nihil ad justificationem valere, quod falsum esset, si charitas necessarius esset fidei, ideoque et justificationis fructus. 2.° Affirmans Apostolus, in Christo Jesu non valere, nisi fidem, quae per charitatem operatur; ostendit simul esse aliam fidem, quae per charitatem non operatur, ideoque *mortua est*, ut ait Jacobus Apostolus *Jac. II.* 20., nec hominem vivificare potest. 3.° *Luc. VII.* 47. ait Christus de peccatrice: *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum*; ubi justificatio apertissime tribuitur charitati. 4.° *Jac. II.* 20. *Vis scire, o homo inanis, quoniam fides sine operibus mortua est? Abraham Pater noster nonne ex operibus justificatus est? ... Videtis quoniam ex operibus justificatur homo, et non ex fide tantum?* 5.° *I. Joan. III.* 19. *Qui non diligit manet in morte.*

Prob. II. *ex* PP. quorum longam seriem recenset Bellarminus *Lib. I. de justific. cap.* 13. Unus nobis sufficiat *Augustinus*, qui *Lib. De fid. et Op. cap.* 14. *Paulus*, inquit, *non quamlibet fidem, qua in Deum creditur, sed eam salubrem, planeque Evangelicam definivit, cujus opera ex dilectione procedunt. Fides, inquit, quae per dilectionem operatur. Unde illam fidem, quae sufficere ad salutem quibusdam videtur, ita nihil prodesse asseverat, ut dicat: si habuero omnem fidem ita ut montes transferam, charitatem autem non habeam, nihil sum.* Et *Lib. XV. de Trinit. cap.* 18. *Fides sine cha-*

charitate potest quidem esse, sed non et prodesse (a).

Prob. III. ex perpetua Ecclesiae consuetudine, jam inde ab Apostolis derivata, qua numquam admissi sunt sive catechumeni ad baptismum, sive peccatores ad poenitentiam sine praeviis bonorum operum dispositionibus. Merito ergo Tridentinum *Sess. VI. can.* 9. *Si quis*, inquit, *dixerit; sola fide homines justificari, anathema sit.* Et *Cap.* 12. *Si quis dixerit, fidem justificantem nihil esse aliud, quam fiduciam divinae misericordiae peccata remittentis propter Christum, vel eam fiduciam solam esse, qua justificamur, anathema sit* (b).

Solvuntur objectiones.

Objic. I. Apostolus *Rom. III.* 28. Justificationis modum explicans ait: *Arbitramur, justificari hominem per fidem sine operibus legis.* Quod et apertius exponit tum in eodem, tum in sequenti *Cap. IV.* ubi omnia opera a justificatione rejicit. *Ei autem*, inquit, *qui operatur, merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum. Ei vero qui non operatur, credenti autem in eum, qui justificat impium, reputatur fides ejus ad justitiam, secundum propositum gratiae Dei. Sicut et David dicit Beatitudinem hominis, cui Deus accepto fert justitiam sine operibus. Psal. XXXI. Beati quorum remissae sunt iniquitates, et quorum tecta sunt peccata; Beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum.* Ergo si omnia opera a justificatione rejiciuntur, sola fides justificat.

℟. *Dist. cons.* Si rejiciuntur omnia opera, quae praecedunt fidem, *neg.* Si rejiciuntur opera etiam ex fide facta, *conc.* Apostolus ergo a justificatione rejicit ea opera, de qui-

 bus

(a) Accedit Clemens *Alex. Lib. II. et IV. Strom.* Chrysostomus *Hom. IX In Joan.* Ambrosius *Epist.* 74. Cyrillus Alex. *Lib. X. in Joan.* Hieronymus *Lib. II. contr. Jovin.* Gregorius *Hom. XXXVIII. in Evang. etc.*

(b) Vide ista fusius apud Bellarminum *Lib. I. De justif.* qui hac de re copiose disputat.

bus gloriabantur tum Judaei, tum Gentiles, quos ibi redarguit. Gloriabantur autem Judaei in lege Moysi, et circumcisione: Gentiles in lege naturali a Philosophis explicata. Ostendit ergo Apostolus, omnes esse peccatores coram Deo; Judaeos quidem, quia legem Mosaicam transgressi fuerant; Gentiles vero, quia in legem naturae, quam non poterant ignorare, peccaverant; et si qua exercuerunt opera, quoad officium, legi vel Mosaicae, vel naturali consentanea, non potuisse ex iis justificari, cum fides justitiae fundamentum sit. Rejicit ergo tantum opera viribus naturae, sine fide facta, utpote ad justificationem inutilia; non vero opera, quae ex fide fiunt. Ipse enim Apostolus ait, valere fidem, sed quae per charitatem operatur; sine charitate autem nihil prodesse fidem; imo in hac ipsa ad Romanos epistola jam dixerat ante verba in objectione posita: *Non enim auditores legis justi sunt apud Deum, sed factores legis justificabuntur Rom. II.* 13. Ceterum cum indocti, et instabiles quaedam Apostoli verba intellectu difficilia depravarent, sicut et ceteras Scripturas, in suam ipsorum perditionem, ut ait Petrus *II. Petit. III.* 15. hinc *Jacobus* in Epistola *Catholica* eorum errorem funditus destruit cum ait: *Fides sine operibus mortua est. Abraham Pater noster nonne ex operibus justificatus est? Vides quoniam fides cooperabatur operibus illius, et ex operibus fides consummata est. Et suppleta est Scriptura dicens: credidit Abraham Deo, et reputatum est illi ad justitiam, et amicus Dei appellatus est. Videtis quoniam ex operibus justificatur homo, et non ex fide tantum?*

Inst. 1.° Christus *Luc. VIII.* 5.° solam exigit fidem ad salutem, *Crede*, inquit, *tantum*, *et salva erit.* Ergo etc.

℟: *Dist. ant.* Ad salutem corporalem filiae defunctae Archisynagogi, pro qua tunc Christus rogabatur, *conc.* Ad salutem animae spiritualem, *neg.* Fides ergo tunc exigebatur non ad justificationem, sed ad miraculum. Constat autem, fidem miraculorum etiam in peccatoribus esse posse.

Objic. II. Augustinus *Lib. I. ad Bonif.* affirmat, antiquos justos nonnisi fide mediatoris sanctitatem, et

sa-

saltem fuisse adeptos. Et Hilarius *Cap. VIII. in Matth. sola*, inquit, *Fides justificat.* Ergo etc.

℞. *Dist. ant.* Sola fide, quae per charitatem operatur, *conc.* Sola fide sine charitate, *neg.* Ajunt ergo *Augustinus*, et *Hilarius*, non opera naturalia ad justificationem valere, sed solam fidem, quia ipsa fides initium est, et fundamentum justificationis, non quia sola sufficit. Nam *I. Joan. II. 4. Qui dicit, se nosse Deum, et mandata ejus non custodit, mendax est.* Legis autem plenitudo est charitas, ut Apostolus ait. Qui ergo charitate caret, mendax est, et justificari non potest. Unde ipse Augustinus supra laudatus ait *Lib. XV. de Trin. cap. 18. Fides sine charitate potest quidem esse, sed non et prodesse.*

Inst. Non potest esse vera fides sine charitate. Nam 1.° Jacobus Apostolus *Jac. II* 19. comparat fidem charitate vacuam fidei daemonum, quae profecto vera fides non est; *Daemones*, inquit, *credunt, et contremiscunt.* 2.° ait, eam fidem esse *mortuam*, ac proinde sicut homo mortuus non est verus homo, ita nec fides sine charitate vera fides est. 3.° *Joannes* in loco a nobis mox laudato ait: *Qui dicit, se nosse Deum, ac mandata ejus non custodit, mendax est*, hoc est mentitur cum ait, se fidem habere. Cum ergo vera fides semper cum charitate conjuncta sit; fides autem cum charitate, fatentibus Catholicis, suffficiens sit ad justificationem dispositio: parvi momenti quaestio est, utrum justificatio tribuatur fidei soli, an simul et charitati.

℞. *Neg. ant.* Nam 1.° *Jacobus* fidem charitate vacuam comparat fidei daemonum quoad aliqua, nempe quoad sterilem Dei cognitionem, non vero quoad omnia. 2.° Ait, fidem sine operibus esse sicut corpus mortuum, non sicut homo mortuus. Sicut ergo corpus sine anima verum est corpus, licet inanimatum, sic et fides sine operibus vera fides est. 3.° *Joannes* ait, eum qui dicit, se nosse Deum, et non custodit mandata ejus, esse mendacem; quia duplex est Dei cognitio, alia sterilis, qualis in Philosophis Gentilibus, *qui cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt Rom. I. 21.* alia actuosa, qualis in justis, et haec est cognitio illa, quae est sicut oportet. Qui ergo dicit, se cognoscere Deum, sicut

opor-

oportet, et legem ejus non servat, hic verbo confitetur Deum, factis autem negat *Tit. I.* ideoque mendax est.

§. II.

De ipsius justificationis natura.

Adv. I. Nunc alter Lutheranorum, et Calvinistarum refutandus est error, quo statuunt, hominem in justificatione non intrinsecus renovari, neque ejus deleri peccata, sed tantum tegi, neque imputari, ob justitiam sive Christi, ut vulgo docent, sive ipsius Dei, ut contendit *Osiander* Lutheranus: quae justitia ipsis per fidem applicatur, veluti vestis, qua eorum peccata conteguntur.

II. Putat autem *Bellarminus*, in hunc errorem impegisse saltem ex parte *Albertum Pighium*, qui statuit, justificari hominem tum gratia intrinsecus diffusa, et inhaerente, tum imputatione justitiae Christi.

PROPOSITIO I.

Justificatio impii non fit per solam peccatorum remissionem, aut imputationem justitiae Dei, vel Christi, sed per gratiam, et charitatem, quae in corde ejus a Spiritu Sancto diffunditur, eique intrinsecus inhaeret. Est dogma fidei.

Prob. I. *ex Scripturis.* Apostolus *Rom. V.* 18. ait: *Sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem, sic et per unius justitiam in omnes homines in justificationem vitae. Sicut enim per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi, ita et per unius obeditionem justi constituentur multi.* Docet ergo Apostolus, justitiam ita intrinsecus in cordibus renascentium inhaerere, sicut in corde nascentium intrinsecus inhaeret originale peccatum. Praeterea in justificatione dicuntur homines *renasci Joan. III.* 5. *renovari spiritu*, et fieri *candidiores nive Psal. L.* et *Ezech.*

ch. XXXVI. 26. non solum *nominari*, sed etiam *esse filii Dei* I. Joan. III. 1. *nasci ex Deo*, donati *Spiritu adoptionis, in quo clamant Abba Pater Rom. VIII.* 15. Haec autem intelligi non possunt sine intrinsecus inhaerente justitia. Ergo.

Prob. II. *ex PP.* 1.° *Chrysostomus* in ea verba Apostoli *Ephes. I. 6. Gratificavit nos in dilecto filio suo* haec habet Homil. I. *in Epist. ad Ephes. Idest non solum liberavit a peccatis, sed etiam fecit amabiles. Quomodo enim si quis acceptum aliquem scabiosum, et peste, ac morbo, senioque, ac paupertate infectum, statim formosum fecerit juvenem, omnes homines pulchritudine vincentem, et postea purpura induerit, et omni ornatu ornaverit; ita nostram instruxit, et ornavit animam, pulchramque fecit, desiderabilem, amabilem: cupiunt enim Angeli talem aspicere animam. Ita etiam nos fecit gratissimos, et sibi desiderabiles; Concupiscet enim, inquit* (Psal. XLIV,) *Rex speciem tuam.* 2.° Ambrosius *Lib. De initiandis cap.* 7. *Accepisti vestimenta candida, ut sint indicium, quod exueris involucrum peccati, indueris innocentiae casta velamina.* 3.° Augustinus *Lib. De Spir. et lit. cap.* 32. *Charitas Dei dicta est diffundi in cordibus nostris, non qua ipse nos diligit, sed qua nos facit dilectores suos, quemadmodum justitia Dei, qua justi ejus munere efficimur.* Et *Enchir. Cap.* 52. *Quemadmodum in illo* (sc. Christo) *vera mors facta est, sic et in nobis vera remissio peccatorum*, et *quemadmodum in illo vera resurrectio, ita in nobis vera justificatio.* Idem docent alii Patres supra laudati, ubi gratiam, et charitatem modo permanenti ad instar habitus in corda nostra diffundi docuimus, et evicimus.

Prob. III. *ratione Theologica.* 1.° In justificatione non solum desinit homo malus esse, sed etiam fit justus, ut constat ex Scripturis, quae justificatos appellant *sanctos, immaculatos, justos.* Unde Apostolus *I. Cor. VI.* 11. enumeratis peccatis, quae a regno Dei arcent, subjungit: *Et haec quidem fuistis, sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed justificati estis in nomine Domini nostri Jesu Christi, et in Spiritu Dei nostri.* Atqui ju-

justus non dicitur ex imputatione alienae justitiae, sed ex omnimoda destructione peccati, et justitia ipsi inhaerente. Ergo. 2.° Si justificatio fieret per imputationem externam justitiae Dei, vel Christi per fidem apprehensae, parvuli utique in baptismo non justificarentur, cum non sint capaces *actualis* fidei, qua sola dicunt adversarii, justitiam Christi apprehendi, ita ut sacramenta, eorum sententia, eatenus prosint, quatenus fidem excitant, aut confirmant. Atqui absurdum est ex ipsis adversariis, parvulos in baptismo non justificari. Ergo.

Merito igitur Tridentinum *Sess. VI. Can. 7. Justificatio*, inquit, *non est sola peccatorum remissio, sed et sanctificatio, et renovatio interioris hominis per voluntariam susceptionem gratiae, et donorum: Unde homo ex injusto fit justus, ex inimico amicus ..... Demum unica formalis causa* (justificationis) *est justitia Dei, non qua ipse justus est, sed qua nos justos facit, qua videlicet a Deo donati renovamur spiritu mentis nostrae, et non modo reputamur, sed vere justi nominamur, et sumus, justitiam in nobis recipientes.* Et Cap. II. *Si quis dixerit, homines justificari vel sola imputatione justitiae Christi, vel sola peccatorum remissione, exclusa gratia, et charitate, quae in cordibus eorum per Spiritum Sanctum diffundatur, atque illis inhaereat, aut etiam gratiam, qua justificamur, esse extrinsecum Dei favorem, anathema sit.*

PROPOSITIO II.

Laudato Tridentini canone non est damnata sententia Alberti Pighii docentis, justificationem constare tum ex gratia in cordibus diffusa, atque inhaerente, tum ex imputatione justitiae Christi, ideoque nullam ea sententia meretur Theologicam censuram.

Prob. I. *Lutherus*, et *Calvinus* eo Canone damnati justificationem in sola imputatione justitiae Christi sitam esse voluerunt, sine gratia, et charitate inhaerente. Atqui *Pighius* non in sola imputatione justitiae Christi, sed

sed etiam in interiori, et inhaerente gratia sitam esse justificationem docet. Ergo distat ejus sententia ab errore haereticorum per Tridentinum damnato.

Prob. II. *Alberti Pighii* sententia in Tridentinis Comitiis non solum est a viris doctissimis, ut Cardinali *Seripando*, *Cornelio Musso* Episcopo Bituntino, aliisque propugnata; verum etiam de industria a Tridentinis Patribus intacta, atque immunis a censura relicta est. Illis enim verbis; *Si quis dixerit, homines justificari sola imputatione justitiae Christi*, satis innuunt, innoxie asseri posse, homines justificari et imputatione justitiae Christi, et diffusione gratiae, et charitatis: imo qui dicit, *hoc solum non sufficit*, satis declarat, illud etiam requiri, et cum aliis adjunctis sufficere. Unde verba Concilii sententiae *Pighii* favere potius, quam adversari videntur. Adde his, nonnullos Theologos Catholicos innoxie docuisse, remissionem peccatorum esse ex applicatione satisfactionis Christi; justificationem ex gratia intrinsecus inhaerente: adoptionem vero in filios extrinsecus esse ex favore Dei, quos Theologos nemo ulla notavit censura, licet eorum sententia vel parum, vel nihil a *Pighii* sententia differat.

Haec quidem, ut *Pighii* sententiam ab omni censura absolvamus, dicta sunt. Ceterum videtur ille, non satis distinxisse inter causam efficientem, sive *meritoriam* justificationis, et causam ejus *formalem*. Nam justitiam Christi esse causam justificationis *meritoriam*, sive efficientem, nemo negat; causa vero *formalis* nonnisi unica statui posse videtur, eaque ipsi justo inhaerens, cujusmodi non est Christi justitia, sed gratia, et charitas in corde justi diffusa per Spiritum Sanctum, qui ei datus est.

Diluuntur objiectiones.

Objic. I. *cont.* 1m. *prop.* Scripturae justificationem impii in sola peccatorum remissione sitam esse docent. *Psal. XXXI. Beati quorum remissae sunt iniquitates, et quorum tecta sunt peccata. Beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum.* Ergo etc.

℟. *Neg. ant.* Quod enim in *Psal. XXXI.* beatitudo

do hominis dicitur remissio peccatorum *Synecdoche* est, qua pars, nempe peccatorum remissio, pro tota justificatione nominatur, quae utrumque complectitur, et peccatorum remissionem, et intrinsecus inhaerentem justitiam; quorum neutrum sine altero esse potest, ideoque uno dumtaxat posito, utrumque intelligitur. Ceterum idem Propheta *Psal. L.* utrumque a Deo postulat, remissionem scilicet peccatorum illis verbis *Averte faciem tuam a peccatis meis*, et intrinsecus inhaerentem gratiam verbis sequentibus: *Cor mundum crea in me Deus, et spiritum rectum innova in visceribus meis*,

Quod autem subdit, *quorum tecta sunt peccata*, hoc non sic intelligendum est, inquit Augustinus *Enarrat. in Psal. XXXI. quasi ibi sint, et vivant*, sed significat, peccata omnino esse deleta, 1.° quia nihil potest tegi oculis Dei, cui nuda omnia, et aperta sunt, nisi omnino deleatur; 2.° quia non meretur nomen beati, sed potius hypocritae, qui cum sit intrinsecus peccatorum plenus, extrinsecus tamen illa tegit, meritoque sepulcris dealbatis comparatur in Evangelio; 3.° quia alia Scripturae loca luce clariora docent, peccata in justificatione deleri. *Psal. L. Lavabis me, et super nivem dealbabor.* Is. XLIV. 22. *Delevi ut nubem iniquitates tuas etc.* Teguntur ergo peccata, dum per infusam charitatem, et justitiam delentur, unde ipse Augustinus *Quaest. CVIII. in Exod.* ait, confessionem peccatorum fieri, *ut peccata aboleantur, hoc est tegantur.* Basilius autem *in Psal. XXXI.* in verbis Psalmistae tres veluti gradus justificationis distinguit: *Beati quorum remissae sunt iniquitates*, en remissio peccatorum: *Et quorum tecta sunt peccata*, en infusio gratiae: *Beatus vir cui non imputavit Dominus peccatum*, en condonatio poenae. Alii vero haec opinantur synonyma, ut sit eadem sententia pluries repetita, quod est in Hebraica poësi frequentissimum.

Objic. II. Apostolus *I. Cor. I.* 30. de Christo ait: *Qui factus est nobis sapientia a Deo, et justitia, et sanctificatio.* Ergo ex imputatione justitiae Christi justificatur impius.

℞. *Dist. ant.* Christus factus est nobis justitia, tamquam caussa *efficiens*, et *meritoria*, *conc.* Tamquam caus-

caussa *formalis*, *neg*. Sic etiam Deus saepenumero in Psalmis dicitur *spes nostra*, *salus nostra*, *virtus*, *fortitudo nostra*, tamquam caussa efficiens. Imo in ipso textu Apostoli sicut Christus dicitur factus nobis justitia, ita et sapientia; absurdum autem est, nos esse sapientes ex imputatione sapientiae Christi. Ergo idem dicendum de justitia.

Inst. 1.° Deus non aliam ob rationem diligit justum, nisi ob merita Christi. Atqui ratio, propter quam Deus diligit justum, est causa *formalis* justificationis; sicut ratio, propter quam odit impium, est causa *formalis* impietatis. Ergo.

℟. *Neg. min. et parit.* Dispar enim est ratio inter odium, si vere est in Deo, qua de re *Lib. III.* diximus, et amorem Dei; quod Dei odium non est caussa malitiae hominum, sed eam supponit; amor vero non supponit bonitatem in rebus, sed facit, ut suo loco diximus. Ratio ergo, propter quam Deus diligit justum, est ipsa Dei bonitas, qui propter merita Christi justificat impium, charitatem in ejus corde per Spiritum Sanctum diffundens, quae charitatis diffusio, renovans interiorem hominem *formalis* causa justificationis est. Dicitur autem Deus homines diligere non modo propter Christum, hoc est propter merita Christi; sed etiam in Christo, quia gratia sanctificans per Spiritum Sanctum diffusa, efficit justos homines unum corpus, cujus caput est Christus, ex quo Spiritus in omnia membra diffunditur, ideoque Deus in Christo diligit omnes, qui cum illo tamquam membra juncti sunt.

Inst. 2.° Eo modo homo fieri dicitur ab Apostolo *justitia Dei* in Christo, quo modo ipse Christus dicitur *factus pro nobis peccatum*, ait enim *II. Cor. V.* 21. *Eum qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit, ut nos efficeremur justitia Dei in ipso*. Atqui Christus dicitur factus peccatum ex sola peccatorum nostrorum imputatione. Ergo nos fieri dicimur justitia Dei ex sola imputatione justitiae Christi.

℟. *Neg. min.* Peccatum enim in laudato Apostoli loco significat victimam pro peccato, ut Augustinus observat *Enchirid. Cap.*41. ex illo *Osee IV.*8. *peccata populi mei comedent*. Ergo sicut Christus vere pro

nobis passus, factus est vere victima pro peccatis nostris; ita et nos in Christo, et per ejus merita vere, et intrinsecus justi effficimur.

Inst. 3.° Idem Apostolus *Gal. III.* 17. *Quicumque*, inquit, *in Christo baptizati estis*, *Christum induistis*: indumenti etiam nomine alibi utitur ad explicandam justificationem. Atqui indumentum nihil corpori intrinsecus addit, neque ejus aufert maculas, sed tegit. Ergo Christi justitia tamquam indumentum extrinsecus peccata tegit.

℟. *Neg. cons.* Aliud est enim corporis, aliud animi indumentum. Illud quippe tegit extrinsecus, hoc sine interiori animi mutatione cogitari non potest. Nisi enim intrinsecus mutetur animus de malo in bonum, non potest extrinsecus nisi per hypocrisin apparere bonus. Utitur autem Apostolus metaphora indumenti, ut ostendat, eos, qui in Christo baptizati sunt, in exterioribus etiam actibus Christum repraesentare debere.

Objic. III. *cont. 2m. prop.* Concilium Tridentinum *Sess. VI. Cap.* 7. ait: *Unica formalis causa nostrae justificationis est justitia Dei .... qua nos justos facit*, *qua videlicet a Deo donati renovamur spiritu mentis nostrae.* Ergo damnavit sententiam *Pighii*, qui praeter hanc inhaerentem justitiam, requirit etiam imputationem justitiae Christi.

℟. *Neg. cons.* Concilium enim damnat haereticos asserentes, justificationem esse externum tantummodo Dei favorem; docetque, justificationem esse interioris hominis renovationem, cujus unica *formalis* causa est charitas intrinsecus in cordibus nostris diffusa. *Pighius* autem concedit interioris hujus justificationis, quam cum Catholicis agnoscit, unicam esse *formalem* causam; sed praeter hanc interiorem justificationem, requirit etiam extrinsecus factam justitiae Christi imputationem, ut remittatur poena peccato debita, et homo in filium Dei adoptetur; quod Concilium non damnavit; imo de industria reliquit intactum, ut supra vidimus.

Co*

Corollaria.

I. Quoniam hominis justificatio fit per gratiam, et charitatem a Spiritu Sancto in corde diffusam, et intrinsecus inhaerentem, qua homo ex injusto fit vere justus; sequitur hinc, peccata penitus aboleri eodem temporis momento, quo gratia sanctificans infunditur, imo per infusionem gratiae aboleri peccati maculam, sicut per lucem tenebrae, per sanitatem morbus. Idcirco simul esse non possunt gratia sanctificans, et mortale peccatum, sicut non potest idem simul esse vivus, et mortuus; licet possit esse simul gratia sanctificans, et peccatum veniale, sicut non repugnat, hominem, vivum levi aliqua infirmitate laborare.

II. Hinc facile resolvitur quaestio inter Scotistas, et Thomistas agitata, utrum ex *absoluta* Dei *potentia* fieri possit, ut simul sit in eodem *subjecto* gratia sanctificans, et peccatum, vel utrum possit Deus *ex absoluta potentia* sine gratia sanctificante delere peccatum. Quae quidem quaestiones inde ortae sunt, quod gratiam sanctificantem Scholastici nonnulli esse fingunt qualitatem quamdam ab animi substantia distinctam. Nos ergo, qui hoc commentum supra refutavimus, facile respondemus, Deum omnipotentem repugnantia efficere non posse. Cum ergo contradictionem implicet, esse hominem simul vivum, et mortuum, aut expelli infirmitatem sine sanitate, contendimus, non posse Deum in homine simul infundere gratiam sanctificantem sine destructione peccati, neque destruere peccatum sine gratia sanctificante.

III. Ceterum nihil vetat, nostro intelligendi modo, ordinem aliquem ponere non temporis, sed naturae, inter remissionem peccatorum, et sanctificantem gratiam, ita ut peccatorum remissio ordine prior sit infusione gratiae.

§. III.

De proprietatibus justificationis.

Adv. I. Fictitiae suae justificationi tres adjungunt proprietates *Lutherani*, et *Calvinistae*, 1.° *Certitudinem*, 2.° aequalitatem, 3.° perpetuitatem, ita ut amitti numquam possit. Docent enim 1.° omnes teneri ad credendum certitudine fidei, cui non possit subesse falsum, se esse justificatos, imo etiam secundum Calvinistas, praedestinatos; 2.° Justitiam in omnibus esse aequalem, utpote quae sit extrinsecus addita justitiae Christi imputatio; 3.° addunt Calvinistae, justificationem semel adeptam amitti non posse; cum enim illi soli justificentur, eorum sententia, qui praedestinatos se esse certo credunt; praedestinatio autem immutabilis sit; putant hinc consequi, ut semel adepta justitia amitti non possit. In qua quidem ipsi ratiocinatione falluntur; cum possit, salva praedestinationis immutabilitate, gratiam amittere justus; eamque ante mortem dono perseverantiae reparare.

II. *Ambrosius Catharinus* distinguit *certitudinem* fidei Catholicae, cui falsum subesse non potest, et certitudinem fidei privatae, cui falsum subesse potest. Illam dicit esse certitudinem, qua credimus ipsa dogmata ἀμέσως a Deo revelata, hanc vero certitudinem, qua credimus conclusionem sequentem ex dogmate revelato, et alia propositione naturaliter nota. Itaque concedit, neminem posse certitudine fidei catholicae, cui falsum subesse nequit, certo scire justificationem suam; sed contendit; posse aliquem credere, se esse justum certitudine fidei privatae, cui tamen falsum subesse potest Quae singularis, atque a Catholicis communiter explosa sententia est.

III. Concilium Tridentinum triplicem illum Protestantium errorem anathemate damnavit.

PRO-

PROPOSITIO I.

Nemo potest in hac vita certitudine, cui non possit subesse falsum, certo scire, se esse justificatum, sine speciali Dei revelatione: potest tamen morali certitudine.

Prob. 1a. *pars* I. *ex Script. Prov. XX.* 9. *Quis potest dicere: mundum est cor meum, purus sum a peccato?* Et Apostolus vas electionis ait de seipso *I. Cor. IV.* 4. *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum.* Addi etiam potest locus ille *Eccle. IX.* 1. *Nescit homo, utrum amore, an odio dignus sit; sed omnia in futurum servantur incerta*, in quae verba Hieronymus, *Sensus est*, inquit, *inveni justorum quidem opera esse in manu Dei, et utrum a Deo amentur, an non, nunc eos scire non posse, et ambiguos fluctuare, utrum ad probationem sustineant quae sustinent, an ad supplicium. In futuro igitur scient.* Item illud *Eccl. V.* 5. *De propitiato peccato noli esse sine metu.* Sed quia priorem locum aliqui de incerta potius praedestinationis notitia accipiunt; posteriorem vero alii eo sensu explicant, ut ne quis ex fiducia acceptae veniae nova peccata admittat, propter verba, quae sequuntur: *Neque adjicias peccatum super peccatum*, ideo his omissis, non quia obscuris, sed quia non necessariis ad rem nostram.

Prob. II. *ex PP.* 1.° Hieronymus *Lib. II. cont. Pelag.* expendens illa Apostoli verba *nihil mihi conscius sum*, ait: *Qui hoc dicebat, nullius utique peccati sibi conscius erat, sed quia legerat, delicta quis intelligit? idcirco temperabat sententiam, ne forte per ignorantiam deliquisset.* 2.° Augustinus *in Psal. XLI. Quanta abyssus sit, audite; tantam profunditatem credit esse in homine, quae lateat ipsum hominem, in quo est.* 3.° Gregorius *Lib. IX. Moral. Cap.* 17. *Conditoris contra me judicia qua temeritate redarguo, qui ipsum me de infirmitatis caligine ignoro?* (a).

Prob.

(a) Accedit Chrysostomus *Homil. in I. Cor. IV.* Ambrosius,

Prob. III. *ratione*. 1.° Ut quis certus sit, se esse justificatum, tria ei constare debent; primo quidem sacramenta virtutem justificandi habere; deinde, se Sacramentum suscepisse; denique se illud ea suscepisse animi dispositione, quae necessaria est. Atqui ex his tribus, licet primum certum ex fide sit; reliqua tamen duo sine speciali revelatione falsa esse possunt: quis enim sine revelatione sciat certitudine fidei, ministrum sacramenti debitam materiam, formam, et intentionem in ministrando adhibuisse? quis sciat, se talem in suscipiendo sacramento habuisse fidem, spem, contritionem, quae necessaria est? Saepe enim *Angelus Sathanae se in Angelum lucis transfigurat II. Cor. XI.* 14. ita ut motus concupiscentiae pro charitate accipiamus, et tenuia quaedam, atque inania desideria pro vera, et sincera Dei dilectione. 2.° Nullum est clarius justificationis signum, quam opera perfectissimae charitatis, quale est martyrium, et erogatio facultatum omnium suarum in cibum pauperum. Atqui ista duo, teste Apostolo *I. Cor. XIII.* possunt esse sine charitate, ideoque sine justificatione 3.° Omnes Lutherani jactant, se ex fide certos esse de sua justificatione, et omnes Calvinistae de sua praedestinatione, et tamen nemo dixerit, illos omnes esse justos, atque praedestinatos. Non suppetit ergo certum aliquod signum, atque *criterium*, quo veram fidem a fictitia discernant, atque ideo incertos semper eos esse oportet, utrum justi, aut praedestinati sint. Quod enim dicunt, ipsum Spiritum Sanctum interius certiorem reddere justum de sua fide, id nihil est; unusquisque enim contendit, se a Spiritu Sancto edoceri de sua fide, justitia, et praedestinatione, et tamen multos in eo falli concedunt. Ergo.

Me-

---

sius, vel Auctor *Comment. in eand. Epist.* Idem Ambrosius *Serm. V. in Psal.* 118. Basilius *Constit Monast. Cap.* 2. Theodoretus *in Cap. IV. I. Cor* Theophylactus, et S. Thomas *Comment. in eund. loc.* Beda *Commen. in Cap. XX. Proverb.* Bernardus *Serm. III. De Adv. et Epist. XLII. ad Henric. Senon. etc.*

Merito ergo Tridentinum *Sess. VI. can.* 14. *Si quis dixerit ..... neminem vere esse justificatum, nisi qui credat, se esse justificatum ... anathema sit.* Et *Can.* 15. *Si quis dixerit hominem renatum, et justificatum teneri ex fide ad credendum, se .... esse in numero praedestinatorum, anathema sit.* Quamvis autem in his canonibus damnet eos tantum, qui affirmant, debere hominem ex fide credere, se esse justificatum, aut praedestinatum, nec aliter justificari posse; tamen eadem *Sess. Cap.* 9. absolute ait: *Cum nullus scire valeat certitudine fidei, cui non potest subesse falsum, se gratiam Dei esse consecutum.* Unde hoc etiam ad dogma fidei videtur pertinere; cum praesertim auctor sit *Pallavicinus* per ea verba *Sess. VI. Cap.* 9. ita dogma fidei constitutum, ut ipsa Catharini sententia haereseos damnata videretur, nisi de industria verba illa, *cui non potest subesse falsum*, addita fuissent.

Prob. 2a. *pars.* 1.° Apostolus *Rom. VIII.* 15. *Non enim*, inquit, *accepistis Spiritum servitutis iterum in timore, sed accepistis Spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus Abba Pater*, hoc est Spiritus Sanctus eis, quos inhabitat, filiorum indolem, et fiduciam tribuit, ut Deum Patrem appellent; unde sequitur interius gaudium, et pax *Gal. V.* 22. ex quibus justi praesentiam inhabitantis in se spiritus conjicere possunt; unde ait idem Apostolus *II. Cor. I.* 12. *Gloria nostra haec est, testimonium conscientiae nostrae.* 2.° Idem docent Patres. Sic Augustinus *Serm. CLV. al. XI. De verbis Apost. Ecce*, inquit, *adjuvante ipsius misericordia Spiritum Christi habemus: ex ipsa dilectione justitiae, integra fide, catholica fide Spiritum Dei nobis inesse cognoscimus*: hoc est scientes nos esse in Ecclesia Catholica, ejusque integram profiteri fidem, diligere justitiam, hinc cognoscimus quantum possumus, nos Spiritum in nobis inhabitantem habere.

Objectiones.

Objic. I. Illud Apostoli *Rom. VIII.* 16. *Ipse spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus filii Dei*, non solum ostendit, posse nos conjecturali,

et morali certitudine scire, nos esse justos, verum etiam certitudine fidei, quae debetur testimonio Spiritus Sancti, quo innixus Joannes. *I. Joan. III.* 14. ait. *Scimus quoniam translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres.* Et *Cap. IV.* 13. *In hoc cognoscimus quoniam in eo manemus, et ipse in nobis, quoniam de spiritu suo dedit nobis.* Cap. V. 10. *Qui credit in filium Dei habet testimonium Dei in se.* Quod et confirmat Apostolus *I. Cor. II.* 12. *Nos autem non spiritum hujus Mundi accepimus, sed spiritum, qui ex Deo est, ut sciamus, quae a Deo donata sunt nobis.* Ergo possumus certitudine fidei scire, nos esse justos.

℟. *Neg. ant.* Quod enim attinet ad prima Pauli, et Joannis loca, licet Spiritus Sanctus per charitatem, gaudium, pacem, aliosque effectus testimonium reddat spiritui nostro, quod sumus filii Dei, tamen cum *Angelus Sathanae aliquando transfiguret se in Angelum lucis*, fit hinc, ut saepe cupiditatem, falsamq, pacem pro effectibus Spiritus Sancti accipiamus; ideoque nonnisi moralis, et conjecturalis potest esse certitudo.

Alter vero locus Apostoli *I. Cor. II.* 12. non est de certitudine justificationis nostrae, sed de certitudine mysteriorum fidei. Ait enim ibi Apostolus, illa esse verissima, quia non a Spiritu hujus mundi; sed a Spiritu Sancto revelata sunt, eoque movente creduntur. *Quis enim*, inquit, *hominum scit quae sunt hominis, nisi Spiritus hominis, qui in ipso est? Ita et quae Dei sunt, nemo cognovit, nisi Spiritus Dei. Nos autem non Spiritum hujus Mundi accepimus, sed Spiritum, qui ex Deo est, ut sciamus quae a Deo donata sunt nobis.*

Objic. II. *Rom. IV.* 14. ait idem Apostolus: *Si enim qui ex lege, heredes sunt, exinanita est fides, abolita est promissio ... Ideo ex fide, ut secundum gratiam firma sit promissio omni semini.* Ergo omnis homo firma fide credere debet promissionem sibi factam, hoc est peccatorum suorum remissionem se esse consecutum.

℟. *Dist. cons.* Omnis homo firma fide credere debet promissionem generatim quidem factam omnibus, unicuique vero singillatim praestandam, si conditiones servaverit in promissione appositas, *conc.* Aliter, *neg.* Divinae promissiones generatim factae sunt, sed sub conditione,

ne, quae a gratia Dei, et libero hominis arbitrio pendet. Quapropter *sicut nemo de Dei misericordia, de Christi merito, deque sacramentorum virtute, et efficacia dubitare debet* (hae sunt enim Dei promissiones firma fide tenendae); *sic quilibet dum seipsum suamque infirmitatem, et indispositionem respicit, de sua gratia formidare, et timere potest,* ut inquit Tridentinum *Sess. VI. cap* 9. Promisit ergo Deus generatim: *Omnis quicumque invocaverit nomen Domini, salvus erit.* Sed non unicuique singillatim promisit gratiam, qua invocet nomen Domini, sicut oportet. Hanc enim gratiam promisit tantum toti Ecclesiae corpori, in quo numquam deerunt justi, et praedestinati. Hac igitur ratione responderi potest ad Patrum testimonia, quae partim haeretici congerunt, partim *Catharinus.* Solent enim Patres ad excitandum fidelium spem, et noxiam anxietatem depellendam, eos ad fidem divinarum promissionum revocare (a). Certum enim est, firma fide credendas esse generales Dei promissiones, atque ex iis oriri in nobis spem, filiorum affectum, et fiduciam in Deum Patrem amantissimum, imo et aliquando moralem certitudinem de nostra justitia; numquam tamen certitudinem fidei, cum in discernendis dispositionibus nostris falli possimus.

Objic. III. Idem Apostolus *II. Cor. XIII.* 5. *Vosmetipsos*, inquit, *tentate; si estis in fide, ipsi vos probate: An non cognoscitis vosmetipsos, quia Christus Jesus in vobis est? nisi forte reprobi estis.* Ergo unusquisque justus, praesertim si praedestinatus est, tentans, et probans

Kk 2 seip-

(a) Ita Basilius *Quaest. brev.* 12 et 119. Chrysostomus *Hom. XIV.* in *Epist. ad Rom. Cyrillus Lib. X. in Joan.* Cyprianus *Lib. de mortalit.* Ambrosius *Lib. V. de Sacr.* Hieronymus *in Cap. VI. Galat.* Augustinus. *Serm. XXVII. de verb. Dom. et alibi saepe.* Leo M. *Serm. II. De festo Pasch.* denique Bernardus, cujus locus est non nihil difficilis. *in serm. I. de Annunciat.* quem vide apud Bellarminum *Lib. III. De justificatione. cap.* 10.

scipsum, certa fide Jesum Christum in se inhabitare novit.

℣. Neg. cons. Verba enim Apostoli totam generatim Corinthiorum Ecclesiam respiciunt. Docet autem ibi, ex miraculis, aliisque gratiis *gratis datis*, Corinthios, nisi forte reprobi essent, et tribuerent diaboli artibus opera Spiritus Sancti, certa fide cognoscere debere, se in vera Christi Ecclesia esse, ideoque non audiendos Pseudo-Apostolos, qui Pauli doctrinae detrahebant, Corinthiosque ab ea abducere conabantur, dissentiones, et schismata serentes.

Scholium.

Diximus quidem, posse nos justitiam nostram morali certitudine cognoscere. Quibus tamen id signis assequi valeamus, scire operae pretium est. Quae quidem signa tria recensentur a S. Thoma 2a. 2ae. *Q. XXII. art.* 1, ubi ait, *Cognoscitur aliquid conjecturaliter per aliqua signa, et hoc modo aliquis cognoscere potest, se habere gratiam, in quantum scilicet percipit, se delectari in Deo, et contemnere res mundanas, et in quantum homo non est sibi conscius alicujus peccati mortalis.* Cavendum tamen, ne aut ex nimia animi anxietate peccata judicet, quae merae tentationes sunt, aut falso judicio, suique ipsius amore, quae gravia peccata sunt, aut levia, aut nulla existimet. Qua in re judicio viri prudentis, qui vere Spiritu Dei plenus sit, stare poterit. Ceterum tria illa signa simul constare, et concurrere oportet, cum unum a ceteris sejunctum non satis idoneum praebeat argumentum, nec rerum caelestium dilectionem, quae primo loco posita est, necesse est esse sensibilem, sed in parte animi superiore, nempe in voluntate constare debet.

PRO-

PROPOSITIO II.

Dogma fidei est, justitiam semel acceptam amitti posse non solum infidelitate, sed quocumque alio mortali peccato.

Prob. I. *ex Scripturis.* Ezech. XXXIII. 18. *Cum recesserit justus a justitia sua, feceritq. iniquitates, morietur in eis.* Et Paulus Ephesios fideles monet, ut non solum ab infidelitate, sed a quocumque gravi peccato, puta immunditia, avaritia etc. caveant: *Quoniam*, inquit, *qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt.* Et rursus *I. Cor. X.* 12. *Qui se existimat stare, videat, ne cadat.* Et *I. Cor. III.* 16. *Nescitis quia templum Dei estis, et Spiritus Dei habitat in vobis? Si quis templum Dei violaverit, disperdet illum Deus.* In aliis vero epistolis saepe exempla proponit eorum, qui a gratia Baptismi exciderant. Quae quidem exempla plura sunt in Scripturis tum veteris, tum novi testamenti, ut Davidis, Salomonis, Petri Apostoli, et aliorum.

Prob. II. *ex Patribus.* Augustinus *Lib. de Corr. et Grat. cap.* 8. *et* 13. *et alibi passim*, ut certissimum, et apud omnes sine ulla dubitatione receptum ponit, *quod filiis suis Deus quibusdam, quos regeneravit in Christo, quibus fidem, spem, dilectionem dedit, non det perseverantiam* (*a*).

Prob. III. Si nemo justus a justitia posset excidere non esset speciale Dei donum perseverantia usque in finem: item nullus esset timori locus contra monitum Apostoli *Philip. II.* 12. *Cum metu, et tremore vestram salutem operamini*: absurdum esset petere a Deo perseverantiam. Quae omnia cum sint manifeste falsa, sequitur, justitiam semel acceptam amitti posse. Hinc merito

(a) Adde Gregorium *Lib. XXXX Moral. cap.* 32. et Hieronymum *Lib.* II. *cont. Jovin*, qui contrarium errorem *Joviniani* confutat, quem inter haereses ab universa Ecclesia damnatas recenset Augustinus *lib. de haeret cap.* 82.

rito Tridentinum *Sess. VI. can.* 23. *Si quis hominem semel justificatum dixerit amplius peccare non posse, neque gratiam amittere, atque ideo eum, qui labitur, et peccat, numquam vere fuisse justificatum, anathema sit.*

Solvuntur objecta.

Objic. *Cantic. VIII.* 7. *Aquae multae non potuerunt extinguere charitatem, nec flumina obruent illam.* Praeterea *Joan. IV.* 13. ait Christus: *Qui biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in aeternum, sed fiet in eo fons aquae salientis in vitam aeternam.* Et Apostolus *Rom. VIII.* 38. *Certus sum, quia neque mors, neque vita etc . . . poterit nos separare a charitate Dei.* Denique generalis ejus sententia est *I. Cor. XIII.* 8. *Charitas numquam excidit.* Ergo semel accepta justitia amitti non potest.

℟. *Neg. cons.* Tria enim priora Scripturae loca non aliud significant, nisi quod nulla res creata nobis invitis charitatem possit eripere, quae talis est aqua caelestis, ut nisi voluntarie illam abjiciamus, non sitiamus in aeternum, sed fiat in nobis veluti fons aquae vivae, et perennis, quae ad aeternam nos vitam perducat. Sed non probant, nos gratiam abjicere non posse. Sic arx inexpugnabilis dicitur, quando nullae hostium machinae illam expugnare valent; licet dux, qui illi praefectus est, possit hosti portas aperire. Verba vero Apostoli *I. Cor. XIII.* 8. significant tantum, in patria non deficere charitatem, licet fides, spes, prophetiae, linguae aliaque deficiant.

Inst. Atqui justus numquam gratiam, et charitatem potest abjicere. Ait enim Joannes *I. Joan. III.* 9. *Omnis qui natus est ex Deo, peccatum non facit, quoniam semen ipsius in eo manet et non potest peccare, quoniam ex Deo natus est.* Imo addit idem Joannes, eum qui peccat, non habuisse fidem, ideoque non fuisse justum. *Omnis, qui peccat, non vidit eum, nec cognovit eum.* Ergo etc.

℟. *Neg. ant. Ad confirm. Dist. ant.* Omnis qui natus est ex Deo, peccare non potest, quamdiu natus ex Deo, sive quamdiu justus est, et quatenus justus est,

conc.

conc. Non potest peccare cum libere voluerit abjicere Dei gratiam, et quatenus remanet in eo cupiditas, quae non est ex Patre, *neg.* Justus itaque peccare non posse dicitur duabus rationibus: primo quidem, quia quamdiu justus est, non potest simul esse in eo peccatum et gratia sanctificans: sed potest se a justitia avertere, ut docet tum idem Joannes in eadem Epistola *I. Joan. II.* 1. *Filioli haec scribo vobis, ut non peccetis. Sed et si quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem etc.* tum Apostolus *Heb. VI.* 4. *Impossibile est eos, qui semel sunt illuminati, gustaverunt etiam donum caeleste, et participes facti sunt Spiritus Sancti . . . . et prolapsi sunt, rursus renovari ad poenitentiam.*

Deinde alia etiam ratione qui natus est ex Deo peccare non potest, ne venialiter quidem; quia quicumque peccat, non peccat profecto quatenus filius Dei est, agitque ex charitate, quae est semen Dei, et arbor bona, quae non potest malos fructus facere; sed quatenus agit ex cupiditate, quae in eo post justificationem remansit minuenda paulatim in hac vita per adsiduam luctam; donec destruatur in gloria, in qua perfecte renovantur homines, et perfecte filii Dei fiunt. *Nunc ergo Deo et similes esse jam coepimus primitias habentes Spiritus, et adhuc dissimiles per reliquias vetustatis ... Illinc ergo peccare non possumus, hinc vero si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus;* ut ex eodem Joanne observat Augustinus *Lib. II. de pecc. merit. cap.* 7. Vide etiam *Lib. de Grat. Christi cap.* 10. *Tract. V. in Epist. I. Joan. et al.* Idem docet *Tract. II. in Epist. I. Joan.* ubi ait, charitatem esse radicem illam, quae ardente sole non arescit, sed nutritur, et quidquid in ea radicatum est, fructum ferre vitae aeternae; quia scilicet ipsa per se charitas ad hoc tendit, licet possit homo illam ex se avellere, et tunc non semen Dei manet in homine, non radix bona malos facit fructus, sed cupiditas, quae radix est mala. Vide etiam Hieronymum *Lib. II. cont. Jovin.*

PRO-

PROPOSITIO III.

Gratia sanctificans non in omnibus justis aequalis est, imo in eodem justo augeri potest. Est dogma fidei.

Prob. I. *ex Script. II. Cor IX.* 10. *Augebit.* Deus *incrementa frugum justitiae vestrae.* Et Apoc. XXII. 11. *Qui justus est, justificetur adhuc.* Ergo etc.

Prob. II. *ex* PP. 1.° Hieronymus *Lib. II. Cont. Jovin. Quare*, inquit, *dicunt Apostoli: Adauge nobis fidem, si omnium una mensura est?* 2.° Augustinus *Ep. CLXXXVII. al. LVII. Unde in omnibus sanctis sunt alii aliis sanctiores, nisi abundantius habendo habitatorem Deum?* Et *Serm. CLVIII. al. XVI. De verbis Apost. Justificati sumus, sed ipsa justitia, cum proficimus, crescit* (*a*). Denique Ecclesia in suis orationibus precatur Deum (*Dom. XIII. post Pent.*) *Da nobis, Domine, fidei, spei et Charitatis augmentum.* Unde Tridentinum *Sess. VI. can.* 23. *Si quis dixerit, justitiam acceptam non conservari, atque etiam augeri coram Deo per bona opera, sed opera ipsa fructus solummodo, et signa esse justificationis adeptae, non autem ipsius augendae causam, anathema sit* (*b*).

CAP.

(a) Addatur Ambrosius *Epist. LXXXI. ad Syric.* Gregorius M. *Lib. IV. Moral. cap.* 42. etc.

(b) Quae de justificationis dispositionibus, natura, ac proprietatibus diximus, plenius, et uberius pertractant Dominicus Soto *Lib. III. De nat. et Grat.* Andreas Vega *Opusc. De justif.* Joannes Lovaniensis *Lib. De fide speciali*, Turrianus *Lib. De justific.* Henricus Elmesius *Lib. De justif.* Nicolaus Sanderus *Lib. De justif.* Joannes Driedo *Lib. De captiv. et redempt. gen. human. Tract. IV.* Thomas Stapletonus *Lib. De justif.* Praeterea *Jacobus Latomus*, *Joan. Cochlaeus*, aliique apud *Fabritium Leodium* in *Harmonia Confess. August.*

CAP. XIX.

De merito bonorum operum.

Adv. I. QUoniam haeretici nostri temporis, ut supra diximus *Cap. II.* ipsam per se concupiscentiam peccatum esse docent; hinc concludunt omnia justorum opera sordes, inquinamenta, peccata esse, ut videre est apud Calvinum *Lib. III. Inst.* et Lutherum *Assert. Art. XXXIII.* Ceterum ob eorum fidem in Christum, peccata haec ipsis non imputari docent. Sed quia negare non possunt, quaedam esse opera saltem ex officio bona, digladiantur inter se, utrum illa homini justo necessaria sint. Quidam enim inter illos audacter ajunt, non teneri justum lege sive divina, sive humana; alii contra sentiunt, necessaria esse justo bona opera. Quorum litem conciliare videtur *Vossius* Lutheranus (*in Thesibus Leidens.*) docens, homini justo bona opera non esse quidem necessaria ad vitam aeternam promerendam, cum haec illi gratis detur propter ejus fidem, sed esse necessaria, ut Christum glorificet, ut proximum lucrifaciat, et ut in bonae conscientiae testimonio quiescat.

II. Ceterum omnes recentiores haeretici bonorum operum meritum constanter negant. Cum enim haec, ut ipsi putant, vix per Dei misericordiam non imputentur justo in peccata, cum revera peccata sint, atque aeternam poenam mereantur, absurdum esse affirmant, per haec opera posse justum aut gratiam, aut gloriam mereri. Hinc Calvinus *Lib. III. Inst. cap.* 13. ipsum meriti nomen, quod a Scripturis, et Patribus accepit Ecclesia catholica, ab aliquo *sophista rabula* invectum non minus impudenter, quam stulte affirmat. Hic igitur illorum refutandus est error.

III. Advertendum tamen est, duplex a Theologis distingui meritum, alterum de *condigno*, alterum de *congruo*. Meritum de *condigno* est, cui merces debetur lege justitiae; meritum vero de *congruo* dicitur, cui non ex justitia, sed ex quadam decentia aliquid redditur.

PRO

PROPOSITIO

Dogma fidei est, justum bonis operibus per gratiam Dei factis vere mereri augmentum gratiae, et vitam aeternam, quod meritum ex communi Catholicorum Theologorum sententia dicimus esse de condigno.

Prob. 1a *pars.* I. *ex Scripturis.* Christus Dominus *Matth. V.* 12. Vitam aeternam ait esse mercedem bonorum operum: *Gaudete*, inquit, *et exultate, quoniam merces vestra copiosa est in coelis*; et apud Joannem *Apoc. Cap. ult.* 12 *Ecce venio cito, et merces mea mecum est, reddere unicuique secundum opera sua.* Et *Matth. XXV.* 34. ait, se in extremo judicio vitam aeternam pro bonis operibus daturum. *Venite benedicti Patris mei, possidete ... Regnum: ... esurivi enim, et dedistis mihi manducare.* Apostolus etiam *II. Tim. IV.* 7. *Bonum*, inquit, *certamen certavi, cursum consumavi, fidem servavi. In reliquo reposita est mihi corona justitiae, quam reddet mihi Dominus in illa die justus judex.* Et *I. Cor. IX.* 24. vitam aeternam vocat *bravium.* Atqui merces, corona justitiae, bravium sine dubio meritis redduntur, nec sine meritis ullo modo possunt intelligi. Ergo.

Prob. II. *ex* PP. 1.° Cyprianus *Lib. de Unit. Eccl. Praeceptis*, inquit, *ejus obtemperandum est, ut accipiant merita nostra mercedem.* 2.° Chrysostomus *Hom. IV. de Lazaro. Si justus est Deus, et illis reddet pro meritis, idest bonis, et malis.* 3.° Ambrosius *Lib. I. de Offic. cap.* 15. *Nonne evidens est, meritorum aut praemia, aut supplicia manere post mortem?* 4.° Augustinus *Epist. CXCIV. al CV. ad Sixtum*: *Sicut merito peccati tamquam stipendium redditur mors, ita merito justitiae tamquam stipendium vita aeterna.* Idem alii docent, quos vide apud *Bellarminum.* Ergo merito Concilium Tridentinum *Sess.* VI. *can.* 25. *Si quis in quolibet bono opere justum saltem venialiter peccare dixerit, aut (quod intolerabilius est) mortaliter, atque ideo poenas aeternas mereri; tantumque ob id non damnari, quia Deus ea opera non imputet ad damnationem, anathema sit.* Et

Can.

Can. 32. *Si quis dixerit, hominis justificati bona opera ita esse dona Dei, ut non sint etiam bona ipsius justificati merita, aut ipsum justificatum bonis operibus, quae ab eo per Dei gratiam, et Jesu Christi meritum, cujus vivum membrum est, fiunt, non vere mereri augmentum gratiae, vitam aeternam, et ipsius vitae aeternae, si tamen in gratia decesserit, consecutionem, atque etiam gloriae augmentum, anathema sit.*

Prob. 2a. *pars.* Licet *Durandus*, paucique alii veteres negaverint, ullum esse meritum de *condigno* in operibus justorum, quam sententiam Concilium damnare noluit, cum nec in Decretis, nec in Canonibus meriti de *condigno* meminerit; nihilominus Scripturae, et Patres, ex quibus probamus; agnoscenda esse merita justorum, probant etiam illa esse de *condigno*. Nam Scriptura vitam aeternam vocat coronam justitiae; quam reddet Dominus justus judex, mercedem, bravium, denarium diurnum, quae omnia nonnisi merito de *condigno* aptari possunt. Patres vero ex Dei justitia illam homini justo rependi docent, non secus ac impio mortem aeternam. Quam quidem justitiam, repetunt tum a jure, quod habent filii ad hereditatem, ut ait Apostolus *Rom. VIII.* 17. *Si filii, et heredes*, tum ex ipsa Dei promissione; unde ait Augustinus *Serm. XVI. De verbis. Dom. Redde quod promisisti, quia fecimus quod jussisti.* Denique Tridentini Patres cum definiunt, justum *vere mereri* augmentum gratiae, et vitam aeternam, non obscure significant meritum de *condigno*, quod simpliciter et absolute *verum meritum* dicitur. Ergo etc.

Objectiones.

Objic. I. Sacrae litterae omnia justorum opera coram Deo sordida, et peccato inquinata esse docent. Ait enim Isaias *Is. LXIV.* 6. *Facti sumus ut immundi omnes nos, et quasi pannus menstruatae universae justitiae nostrae.* Ergo absurdum est, talibus operibus meritum tribuere vitae aeternae.

℟. *Neg. ant.* Verba enim *Isaiae* accipienda sunt de universa Hierosolymorum civitate, cujus maxima pars impiorum erat; qui justitias legis, hoc est ceremonias,

et

et sacrificia servabant quidem, sed corde perverso, ut supra diximus *Cap. XII.* ad quos dicitur *Is. I. 13. Ne offeratis ultra sacrificium frustra, incensum abominatio est mihi . . . . Sabatum, et festivitates alias non feram.* Solent autem Prophetae Civitates generatim increpare, quasi omnes omnino impii sint, cum plurimi in eis sunt impii licet non desint justi, quorum opera bona sunt, et accepta Domino.

Inst. 1.° Bernardus *Serm. V. de Verb. Isaiae*, laudata Prophetae verba de omnibus justis intelligit; ait enim: *Nostra . . . . si quae est, humilis justitia, recta forsitan, sed non pura, nisi forte meliores nos esse credimus, quam patres nostros, qui non minus veraciter, quam humiliter ajebant: omnes justitiae nostrae quasi pannus menstruatae. Quomodo enim pura justitia, ubi adhuc non potest culpa deesse?* Quam *Bernardi* sententiam veteres etiam Patres constanter tenuerant. Sic Hieronymus *Dial. I. cont. Pelag. Tunc ergo*, inquit, *justi sumus quando nos peccatores fatemur, et justitia nostra non ex proprio merito, sed ex Dei misericordia consistit.* Quod et Augustinus variis locis inculcat *Epist. CLXVII. al. XXIX. Lib. IX. Confess. cap. 13. et alibi.* Ergo. etc.

℟. *Dist. ant.* Et laudati Patres, aliique, qui opponi possent, nomine *justitiae* intelligunt non singularia opera, sed totam justi vitam, in qua multa sunt venialia, quae Dei misericordia opus habent, *conc.* Secus, *neg.* Patet responsio ex verbis, et scopo laudatorum Patrum, qui id tantum docent, non posse in hac vita deesse culpam, eo quod adsiduus concupiscentiae impetus ad consensum aliquando vel perfectum, vel imperfectum trahit.

Inst. 2.° Gregorius M. *Lib. IX. Moral cap. 1.* de singulis certe justi operibus loquens, haec habet: *Sanctus autem vir, quia omne virtutis nostrae meritum esse vitium conspicit, si ab aeterno arbitrio districte judicetur, subjungit: qui voluerit contendere cum eo, non poterit ei respondere unum pro mille.* Ergo.

℟. *Dist. ant.* Loquitur *Gregorius* de singulis justi operibus si illa justus sibi, non Deo tribuat, *conc.* Secus *neg.* Patet ex contextu responsio. Nam ante laudata verba dixerat: *Qui accepta bona sibi arrogat, suis con-*

tra

tra *Deum donis pugnat*; *Sanctus autem vir etc.* deinde, post illa verba, quae in objectione posita sunt, subdit: *Cum Deo autem contendere est non ei, sed sibi gloriam suae actionis tribuere.*

Inst. 3.° Qualecumque fiat opus bonum, semper tamen vel habet aliquid admixtum concupiscentiae, vel certe aliquid minus habet, quo deficiat a perfectissima illa charitate, qua diligendus est Deus. Ergo semper peccatum est.

℟. *Dist. ant.* Semper habet aliquid admixtum voluntariae concupiscentiae, vel voluntarii defectus, *neg.* Involuntarii, *subdist.* Et hic involuntarius defectus non inficit semper ipsum opus; etsi non desit vitium operantis, *conc.* Ipsum semper inficit opus, ita ut ex bono malum, et peccatum fiat, *neg.* Dicimus ergo, involuntarios concupiscentiae motus, et defectum illum involuntarium charitatis, quae propter corpus corruptibile aggravans animum, numquam tanta hic esse potest, quanta erit in patria, non inficere opus ipsum; sed hominem admonere infirmitatis suae ut semper humilis in oratione, et in gratia perseveret. Inquit enim Augustinus *Lib. de Spir. et lit. cap. ult. Neque enim si esse nondum potest tanta dilectio Dei, quanta illi cognitioni plenae, perfectaeque debetur, jam culpae deputandum est.* Si quando autem in ipso bono opere veniale aliquod admisceatur peccatum, propter concupiscentiae subrepentes motus non omnino a voluntate cohibitos, esse id affirmamus vitium operantis, non semper vitium ipsius operis, nisi opus ipsum ex pravo fine cupiditatis fiat.

Objic. II. Ut opus aliquod meritum habeat, debet aliquam cum mercede aequalitatem, vel proportionem habere. Atqui talia non sunt justorum opera; ait enim Apostolus *Rom. VIII.* 18. *Non sunt condignae passiones hujus temporis ad futuram.* Ergo.

℟. *Dist. min.* Talia non sunt justorum opera, si in se ipsa spectentur, *conc.* Si spectentur ut facta a membro Christi, qui tamquam caput in membra sua, et tamquam vitis in palmites Spiritum Sanctum, quo ipse plenus est, diffundit, atque ita tribuit virtutem operandi, et operum dignitatem, *neg.* Sicut ergo ipsae actiones Christi humanae non sunt in seipsis meriti infiniti, et

ta-

tamen ex dignitate personae infinitam accipiunt virtutem, et meritum; ita et opera membrorum Christi in seipsis, quidem condigna non sunt aeternae hereditatis sed in persona membrorum Christi, filiorum Dei adoptivorum, dignitatem illam habent; ideoque gratia dicitur *semen Dei, semen gloriae fons aquae salientis in vitam aeternam.* Hinc sicut semen quamvis exiguum proportionem habet non molis, sed virtutis cum procera arbore, quae ex illo nascitur; sicut fons quamvis humilis ascendit ad altitudinem sui principii, sic gratia efficit, ut opera justi, quamvis exigua, proportionem habeant cum aeterna vita.

Inst. 1.° Bona justorum opera multis aliis titulis, sive rationibus Deo debita sunt. Ergo mercedem mereri non possunt. Ait enim Christus *Luc.* XVII. 10. *Dum feceritis omnia, quae praecepta sunt vobis, dicite: Servi inutiles sumus: quod debuimus facere, fecimus.*

℟. *Dist. ant.* Et tamen Deus pro infinita sua bonitate dignatus est mercedem promittere operibus, quae alias titulo servitutis, religionis, gratique animi exigere poterat, nullo proposito praemio, *conc.* Secus, *neg.* Hinc Augustinus, vel quivis auctor *Serm. III. de verb. Dom.*, nunc *CCLXVII. in append. O magna*, inquit, *bonitas Dei! Cui pro conditione reddere debeamus obsequium; utpote servi Domino, amicitiarum praemia nobis repromittit; ut a nobis obsequia debitae servitutis extorqueat:* Proposito autem praemio jam suae fidelitati debet, ut illud reddat pro operibus. Voluit autem Christus, ut servos inutiles nos dicamus, tum quia nihil utilitatis opera nostra Deo afferunt, tum quia ad humilitatem fovendam oportet, ut memores simus conditionis nostrae.

Inst. 2.° Opera justorum ab ipso Deo per hominem tamquam per instrumentum fiunt. Unde Apostolus I. *Cor. XV.* 10. *Non ego*, inquit, *sed gratia Dei mecum*, Non ergo sunt ex propriis justorum bonis, ac proinde *meritoria* esse non possunt.

℟. *Dist. ant.* Fiunt a Deo per hominem tamquam per instrumentum inanimatum, *neg.* Tamquam per instrumentum liberum, quod potest dissentire, si velit, *conc.* Quamvis itaque palmes non possit ferre fructum a semetipso, nisi manserit in vite, tamen si manserit, non est

est dubium, quin ipse palmes ferat fructum multum. Sic ergo certum est, nos velle cum volumus, nos mandata servare cum servamus, sed ille facit ut velimus, ille facit ut faciamus, praebendo vires efficacissimas voluntati, qui dixit; faciam ut in praeceptis meis ambuletis, ut advertit Augustinus *Lib. de Grat. et lib. arb. cap.* 16. Ceterum concedimus, opera, quae libere non fiunt, nihil mereri.

Objic. III 1.° Non est gratia, nisi gratis detur. Unde Augustinus *Epist. ad Sixtum. CXCIV. al. CV. Gratia* inquit, *evacuatur, si non gratis donetur, sed meritis reddatur.* Atqui augmentum gratiae gratia est, imo gratia est ipsa vita aeterna, dicente Apostolo *Rom. VI.* 23. *Gratia Dei vita aeterna*: 2.° Nomen ipsum meriti fastosum, ut ipsi ajunt, sive superbum et a Scripturis alienum, injuriosum est Christo, cujus solius redemtionis meritis salus nobis aeterna constat. Ergo.

R. *Ad* 1m. Saepe dictum a nobis esse, ex *Augustino* augmentum gratiae, et vitam aeternam esse simul gratiam, et mercedem. Mercedem quidem, quia meritis redditur; gratiam vero, quia gratis, per gratiam scilicet actualem, de qua in loco laudato loquitur *Augustinus*, data sunt ipsa merita, quibus redditur.

Ad 2m. Falsum quidem est, meriti nomen a Scripturis esse alienum, cum habeatur *Eccl. XVI.* 15. *Omnis misericordia faciet locum unicuique secundum meritum operum suorum.* Sed quamvis in Scripturis non esset hoc nomen quoad syllabarum sonum, sufficeret illud esse quoad sensum, et adhibitum esse omnibus saeculis a Sanctis Ecclesiae Doctoribus, et Conciliis, cum ipsi haeretici nomina adhibeant nonnulla, quae in Scripturis non sunt. Neque vero injuriosum, sed potius gloriosum Christo est meriti nomen; cum omne nostrum meritum unius Christi meritis innitatur, sicut non est viti injuriosum, sed gloriosum, si palmes ipsi conjunctus fructum afferat multum.

Corollarium

I. Ex iis, quae dicta sunt, facile eruuntur conditiones, quae sunt ad meritum de *condigno* necessariae. Sex su-

autem a Theologis recensentur. 1.° ut opus sit bonum tum ex officio, sive *objecto*, tum ex fine. 2.° ut sit liberum a necessitate. 3.° ut fiat ab homine viatore. 4.° ut fiat ab homine justo. 5.° ut sit supernaturale, ex gratia scilicet Dei actuali. 6.° ut adjunctam habeat Dei promissionem.

II. Ergo quae nobis divinitus promissa non sunt, non possumus de *condigno* mereri, sed tantum *de congruo*, si ad aeternam salutem conducunt. Quapropter nec ipsam justificationem, nec gratiam efficacem, nec bona temporalia, quamvis ad vitam aeternam utilia; nec perseverantiae donum mereri possumus de *condigno*, sed de *congruo* dumtaxat. Adde, neminem posse alteri mereri quidquam de *condigno*, cum nullo pacto Deus promiserit bonis justi operibus salutem aliorum tamquam mercedem; sed praecipiat tantum ut oremus pro invicem: oratio autem nonnisi de *congruo* meretur donum. Restat igitur, ut tantum mereri possimus de *condigno* nobismetipsis augmentum gratiae, vitam aeternam, et gloriae augmentum. Cetera omnia vel nobis, vel aliis de *congruo*.

III. Sequitur etiam ex dictis, posse justum semper in gratia proficere. Cum enim teneatur semper bene operari, bonis autem justi operibus repromissa sit merces, ipsum scilicet gratiae, et gloriae incrementum; constat, eum dum vivit, in gratia semper posse proficere; unde dicitur *Prov. IV.* 18. *Justorum semita quasi lux splendens, procedit, et crescit usque ad perfectam diem*: quae utique perfectio erit in patria. Et *Apoc. ult.* 11. *Qui justus est justificetur adhuc*. Quibus verbis moti Patres docent, quemlibet justum conari debere, ut quotidie proficiat; ideoque in via Domini non proficere, idem esse, ac deficere. *Si dixeris sufficit, periisti; semper adde, semper ambula, semper profice*, inquit Augustinus *Serm. CLXIX. al. XV. de Verb. Apost.* Merito igitur in Concilio Viennensi sub *Clemente V. Beguardi* damnati sunt, qui asserebant, hominem in hac vita ad eum posse perfectionis statum pervenire, quo peccare amplius nequeat, nec proficere ulterius possit, aut debeat.

IV. Quoniam Deus ad servanda praecepta sua, quae nobis

bis sine praemio imponere poterat, etiam mercede proposita voluit excitare: sequitur hinc, non esse inhonestum operari intuitu mercedis aeternae, non tamquam ex principali fine, qui si non esset, non diligeretur Deus; hoc enim mercenariorum est, sed tamquam finem secundarium, qui dilectionem Dei non destruit, sed maxime accendit. Spes enim ad charitatem ducit, ut advertit *S. Thomas* 1a. 2ae. *Q. XVII. art.* 8. Jure ergo Tridentinum definivit *Sess. VI. can.* 31. *Si quis dixerit, justificatum peccare dum intuitu aeternae mercedis bene operatur, anathema sit.* Damnat quidem Christus *Joan.* X. 12. mercenarios, qui ob temporalia commoda gregi suo praesunt, sed ob aeternam mercedem laborare non solum non vetuit, verum etiam incitavit; *gaudete, et exultate, quoniam merces vestra copiosa est in caelis Matth. V.* 12.

V. Quoniam Deus fidelis est, ex bonis operibus, quibus mercedem promisit, fiducia in Deum nascitur *Tob. IV.* 12. *Fiducia magna erit coram summo Deo eleemosyna omnibus facientibus eam.* Quod et Apostolus saepe insinuat. In propriis autem meritis fiduciam ponere, etsi non esset per se malum, cum Apostolus ipse fiduciam suam in bonis operibus ponat, dicens II. *Tim.* IV. 7. *Bonum certamen certavi etc: . . . . in reliquo reposita est mihi corona justitiae*; multis tamen de causis id nobis periculosum est, non solum propter superbiae periculum, verum etiam quia nescimus absoluta certitudine, utrum justi simus, utrum recta intentione moveamur, utrum agamur Spiritu Dei; denique utrum peccata venialia, sine quibus nemo justus transigit hanc vitam, talia, ac tanta sint, ut propterea Deus merito irascatur, ac pereamus de via justa. Habeamus ergo merita, sed ad promerendum, non ad praesumendum, ut utar verbis Bernardi *Serm. LXVIII. in Cant.* ut ne quis in se, sed in Domino glorietur.

CAP. XX.

De appendicibus gratiae sanctificantis, nempe virtutibus infusis, et donis Spiritus Sancti.

Adv. I. Virtus est habitus bonum faciens habentem se, et actum ejus bonum, ut inquit *Aristoteles*. Sunt autem virtutes in duplici differentia, naturales scilicet, quae propriis, et naturalibus actibus acquiri possunt, etsi aliquando *per accidens* a Deo ipso infundantur, ut scientia naturalis Adamo; et supernaturales, quae a solo Deo infundi possunt.

II Virtutes autem supernaturales a Theologis dividuntur in *Theologicas*, et *morales*. Theologicae sunt, quae ipsum Deum pro *objecto* habent, et aliquod ejus attributum pro fine, sive *motivo*, quales sunt tres, *fides*, *spes*, *et charitas*. Morales vero virtutes sunt, quae circa bonum creatum versantur motivo supernaturali, inter quas quatuor recensentur *cardinales*, quia sunt veluti cardines, circa quos aliae virtutes morales versantur, prudentia, justitia, fortitudo, et temperantia. Nam prudentiae quidem, quae aliarum virtutum veluti regina, et moderatrix est, innituntur sollicitudo rerum divinarum, docilitas, et circumspectio. Justitiae vero religio erga Deum, pietas erga parentes, observantia erga majores, tum gratitudo, liberalitas, veracitas, affabilitas, *eutrapelia*. Item fortitudini patientia, constantia, magnanimitas. Demum temperantiae serviunt abstinentia, sobrietas, castitas, pudicitia, verecundia, honestas, mansuetudo, clementia, humilitas, modestia, et studiositas.

III. Dona vero Spiritus Sancti sunt habitus superturales a virtutibus distincti, quibus homo disponitur ad accipiendas extraordinarias Spiritus Sancti motiones; ut communiter post S. Thomam 2a. 2ae. *Q. VI. art.* 8. sentiunt Theologi; licet *Scotus*, aliique putent, motiones Spiritus Sancti extraordinarias, non esse ex distinctis habitibus, sed esse actus eximios ipsarum virtutum infusarum. Septem autem dona Spiritus Sancti numerantur ab *Isaia Is. XI.* 2. his verbis: *Requiescet super*

eum

eum Spiritus Domini; Spiritus sapientiae, et intellectus, Spiritus consilii, et fortitudinis, Spiritus scientiae, et pietatis, et replebit eum Spiritus timoris Domini; quem quidem donorum numerum Ss. Patres, et Ecclesia semper secuta est.

IV. Porro actus infusarum virtutum dicuntur *fructus Spiritus Sancti* ab Apostolo *Galat. V.* 22. qui nobiliores, ac praecipuos recensens, duodecim enumerat dicens: *Fructus autem Spiritus est charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas.* Actus vero donorum dicuntur beatitudines, de quibus ait Christus *Matth. V.* 3. *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum Caelorum. Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram. Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur. Beati qui esuriunt, et sitiunt justitiam; quoniam ipsi saturabuntur. Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur. Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur. Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum caelorum.* Has autem beatitudines (licet alii aliter exponant) Augustinus *Lib. I. de Serm. Dom. in monte*, ita explicat; ut ordine retrogrado prima beatitudo conveniat postremo Spiritus Sancti dono, altera beatitudo conveniat sexto dono, et sic deinceps inverso ordine. Octava vero beatitudo, qua dicitur: *Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum caelorum*, septem simul dona complectitur, et perficit: qui enim sine persecutione donis Dei utitur, beatus quidem est, sed maxime beatus qui pro iis etiam persecutionem patitur, ut frequenter accidit, dicente Apostolo II. *Tim. III.* 12: *Omnes, qui pie volunt vivere in Christo Jesu, persecutionem patientur. Septem ergo sunt*, inquit Augustinus, *quae perficiunt, nam octava clarificat, et quod perfectum est demonstrat.*

V. His breviter expositis, quae apud *S. Thomam* copiose, et subtiliter tractata reperies, quaeritur, utrum virtutes omnes infusae, et dona Spiritus Sancti in justificatione tribuantur.

PROPOSITIO I.

Certissimum est, in justificatione infundi virtutes Theologicas, fidem, spem, et charitatem.

Prob. I. ex Apostolo *Rom. V.* 5. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis.* Charitas autem sine praelucente fide, et excitante spe, esse non potest. Unde idem Apostolus *I. Cor. XIII.* 13. tres simul virtutes enumerat: *Nunc autem*, inquit, *manent fides, spes, charitas*, non utique in infidelibus, neque in peccatoribus; igitur in justis.

Prob. II. ex Concilio Tridentino *Sess. VI. Cap.* 7. *In justificatione haec omnia simul infusa accipit homo per Jesum Christum, cui inseritur; fidem, spem, et charitatem.* Et *can.* 11. *Si quis dixerit, homines justificari . . . . . . sola remissione peccatorum, exclusa gratia, et charitate; quae in cordibus eorum per Spiritum Sanctum diffundatur: atque illis inhaereat . . . . anathema sit*; ex quibus nonnulli Theologi, ut *Vega*, *Suarez*, aliique contendunt, hanc doctrinam dogma fidei esse.

Prob. III. Gratia sanctificans, ut supra ostendimus, non est a charitate distincta. Ergo infusa sanctificante gratia, charitas ipsa, quae sine fide, et spe esse non potest, infunditur.

PROPOSITIO II.

Probabilius est, virtutes etiam morales, et dona Spiritus Sancti infundi in justificatione.

Prob. 1a. *pars.* 1.° ex *Augustino*, qui *in Psal. LXXXIII.* de cardinalibus loquens virtutibus inquit: *Illae virtutes nunc in valle plorationis per gratiam Dei donantur nobis.* 2.° ex Catechismo Romano *Part. II. de Sacr. Bapt.* §. 51. ubi ait: *Huic autem gratiae additur nobilissimus omnium virtutum comitatus, quae in animam cum gratia divina infunduntur: Quare cum*

Apo-

Apostolus ad Titum ait Tit. III. 5. *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis, et renovationis Spiritus Sancti, quem effudit in nos abunde* .., D. Augustinus verba illa abunde effudit, *explanans. Nimirum*, *inquit*, *ad remissionem peccatorum*, *et copiam virtutum.*

Prob. II. *utraque pars* 1.° ex auctoritate *S. Thomae* aliorumque Scholae Principum, 2.° etiam ratione Theologica. Homo enim in justificatione Christo inseritur, tamquam membrum capiti, a quo Spiritus Sanctus in omnia membra diffunditur. *Si quis autem Spiritum Christi non habet, hic non est ejus Rom. VIII.* 9. Ergo debet ita disponi, ut ad omnes Spiritus Sancti motus tum ordinarios, tum extraordinarios promtus sit, quemadmodum membra viva corporis capiti adhaerentia. Atqui disponitur ad motus ordinarios per habitus virtutum moralium; ordinarius enim Spiritus Sancti motus est observatio divinae legis, quae omnium praecipit virtutum actus, disponitur vero ad motus extraordinarios per dona Spisitus Sancti. Ergo etc.

Solvuntur objectiones.

Objic. I Qui aliqua virtute pollet, promte, et non sine delectatione opera virtutis exercet. Atqui videmus, recens justificatos non leves pati difficultates in exercitio virtutum moralium, maximas vero, et insuperabiles in exercitio donorum. Ergo non infunduntur in justificatione.

℟. *Dist. ant.* Recens justificati difficultates hujusmodi patiuntur in inferioribus animae potentiis, *transeat* In superiori parte voluntatis, *neg.* Dixi *transeat*, quia etiam in inferiori appetitu nonnulli recens conversi non solum nullam experiuntur difficultatem in exercitio virtutum, verum etiam illas summa cum hilaritate, et delectatione exercent, ut de se ipse testatur Augustinus *Lib. IX. Conf. Cap. I. Quam sueve mihi subito factum est carere suavitatibus nugarum, et quas amittere metus fuerat, jam dimittere gaudium erat! Ejiciebas enim eas a me vera tu, et summa suavitas: ejiciebas, et intrabas pro eis omni voluptate dulcior.* Qui vero hujusmodi patiuntur difficultates, si vere justificati

ti sunt (quod quidem non omnimoda certitudine scire possumus) non eas utique patiuntur in superiori parte voluntatis, alioquin non essent vere ad Deum conversi; sed tantum in inferiori appetitu, propter impedimenta, quae opponuntur a vitiosis habitibus ante contractis: habitus enim illi licet lethale vulnus accipiant in hominis justificatione, ita ut animo non dominentur, tamen nondum destruuntur, sed restant minuendi paulatim per contrarios virtutum actus, donec penitus deleantur.

Inst. Ergo sunt in eodem homine duo contrarii habitus de eodem *objecto*, quod repugnat.

Dist. seq. Sunt in eodem homine duo contrarii habitus diversi generis, et in diversis animae potentiis, nempe alter supernaturalis in superiori parte voluntatis, alter adquisitus in inferioribus potentiis, *conc.* Secus, *neg.* Hoc enim interest inter naturales, et supernaturales habitus; quod illi repetitis actibus adquiruntur, ideoque etiam in inferioribus animae potentiis quamdam agendi facilitatem pariunt, ita ut non possit alter habitus adquiri, nisi destruatur contrarius; isti vero, scilicet supernaturales, a Deo ipso infusi in superiore voluntatis parte, licet lethale vulnus contrariis habitibus infligant, ita ut non dominentur amplius voluntati; non tamen eos continuo destruunt; sed restat adhuc in inferioribus potentiis vetus illa longo usu comparata, et roborata in malos actus propensio, donec paulatim contrariis virtutum actibus destruatur.

Objic. II. Pueri, idiotae, mulierculae etiam post justificationem prudentia carent. Ergo saltem prudentia in justificatione non infunditur.

℟. *Dist. ant.* Carent prudentia naturali earum rerum, quae non sunt ad salutem necessariae, *conc.* Prudentia supernaturali circa ea, quae ad salutem necessaria sunt, *neg.* Nimirum etsi non tanta prudentia polleant, qua sine sapientum consilio possint sibi, et aliis providere; tamen si vere justificati sunt, et curam salutis gerunt, non carent sollicitudine, circumspectione, et docilitate qua cum se impares norunt ad quaedam discernenda, atque eligenda, sapientes consulunt, et sequuntur.

Gaudeat ergo justus in Domino, a quo cum adhuc

in

in peccatis esset, sine ullo merito vocatus per gratiam actualem, efficacem, victricem justificatus est; tantisque exornatus gratiae donis caveat quam diligentissime, ne stolam candidam, pretiosissimam, sanguine Christi dealbatam commaculet. Sed proficiens de virtute in virtutem, et ea quae retro sunt obliviscens, ad ea quae sunt priora extendens seipsum, ad destinatum persequatur, ad bravium aeterna hereditatis in Christo Jesu Domino nostro.

C A P. XXI.

De aeterna praeparatione gratiae efficacis, et gloriae, sive de praedestinatione Sanctorum.

§. I.

Praedestinationis definitio, et existentia ponitur.

Adv. I. CUm inter gratiam, et praedestinationem hoc tantum intersit, quod praedestinatio est gratiae praeparatio, gratia vero jam ipsa donatio, ut ait Augustinus *Lib. de praedest. Sanct. cap.* 1.° nullus visus est commodior de praedestinatione tractandi locus, etsi a plurium Theologorum consuetudine alienus, quam hic, ubi gratiae necessitatem, ac naturam explicavimus. cum et ipse *Augustinus* nonnisi ex controversiis de gratia motus sit ad agendum de *Sanctorum Praedestinatione*, et *de Dono perseverantiae*, quod cum praedestinatione arctissime nexum est. Ceterum ad extremum maxime librum hanc tractactionem eo consilio reservavi, ut si cui fortasse magis vetus arrideat consuetudo Theologorum, is ad *Librum III.* ubi de Deo disputatum est, facile illam transferre possit.

II. In ipso autem nomine *praedestinationis* duo consideranda sunt, ex quibus nomen illud compositum est; nempe praepositio illa *prae*, quae temporis, vel dignitatis antecessum significat, et verbum *destino*, quod hic idem est, ex S. Thoma, ac *transmittere*, sicut sagitta arcu emissa, ad scopum destinata dicitur; ex Augustino vero *Lib. de Praed. Sanct. cap.* 18. idem est, ac pro-

proponere animo, decernere, statuere: Apostolus enim saepe praedestinationem vocat electionem, propositum: *Rom. IX.* 11. *Ut secundum electionem propositum Dei maneret.* et Ephes. *I.* 5. *Praedestinavit nos ..., secundum propositum voluntatis suae.*

II. Definitur autem praedestinatio pro vario sensu, quo verbum *destino* accipitur; ab *Augustino* quidem *Lib. de Dono persev. cap.* 4. *Praescientia, et praeparatio beneficiorum, quibus certissime liberantur, quicumque liberantur*; a S. Thoma vero I. *Part. Q. XXIII. art.* 1. *Ratio transmissionis creaturae rationalis in finem vitae aeternae*, quae definitio ab *Augustiniana* sensu non differt; nisi quod amplior est, et Angelorum, atque hominum, in utroque statu integritatis, et peccati, praedestinationem generatim complectitur; ideoque scopo Angelici Doctoris erat aptior, qui generatim de utraque praedestinatione tractat.

IV. Negarunt praedestinationem non solum *Pelagiani* et *Semipelagiani*, qui ex praedestinatione electorum fatalem induci necessitatem affirmabant, ut constat ex Epistolis *Prosperi*, et *Hilarii* ad *Augustinum*, et ex Libris *Fausti Regiensis* Semipelagiani *de grat. et lib. arb. cap.* 4. verum etiam *Priscillianistae*, qui cum Astrologis totam humanae salutis, vel damnationis rationem ex influxu siderum repetebant; et Manichaei, qui ex dogmate duorum principiorum, quemque hominem fatali necessitate bonum, aut malum, ideoque vel ad salutem, vel ad damnationem agi, somniabant.

PROPOSITIO I.

Recte ab Augustino praedestinatio definitur; praescientia, et praeparatio beneficiorum, quibus certissime liberantur quicumque liberantur.

Explic. def. Primo quidem dicitur *praescientia*, quo nomine non ea venit scientia, quae a Molinistis *media* dicitur, quamque nos supra rejecimus (*a*), sed illa,

(a) Vide etiam *lib.* 3. *cap.* 13. §. 4.

-la, quae a Theologis scientia *visionis* appellatur, qua scilicet Deus ab aeterno praescivit quod ipse in tempore operaturus erat per gratiam in cordibus electorum. *Praedestinatione quippe Deus ea praescivit, quae fuerat ipse facturus*, ut inquit Augustinus *Lib. de praed. sanct. cap.* 10. Hinc in Scripturis *praescire*, ubi de electis agitur idem saepe est, ac diligere, ut in illo Apostoli *Rom. XI.* 2. *Non repulit Deus plebem suam, quam praescivit*: contra vero *nescire* dicitur Deus, quos in poenam peccati rejecit; ut *Matth. VII.* 23. et *XXV.* 12. *necio vos, non novi vos etc.* Quapropter utrumque nomen positum est, *praescientia*, et *praeparatio*, ut ne quis hic praescientiam intelligeret speculatricem, qualis est eorum, quae Deus non facit, uti sunt peccata; sed practicam, scilicet eorum, quae ipse Deus in tempore facturus est. *Praedestinatio sine praescientia non potest esse: potest autem esse sine praedestinatione praescientia*, ut inquit idem Augustinus *loc. cit.*

Additur 2.° *Beneficiorum, quibus certissime liberantur quicumque liberantur*, tum ut distinguatur praedestinatio a providentia naturali, tum ut distinguatur a praedestinatione Angelorum, qui numquam fuerunt in malis, a quibus liberandi essent gratia Salvatoris. Supponit enim praedestinatio originalis peccati praescientiam, unde ab *Augustino* saepe praedestinatio dicitur *discretio a massa perditionis*. Porro beneficia illa, quae praedestinatione praeparata sunt, non solum notant gratiam, qua hic imperfecte liberantur homines a servitute peccati, verum etiam gloriae, qua ab omni miseria perfecte liberabantur in patria, de qua perfecta libertate sunt illa verba *quibus certissime liberantur quicumque liberantur*.

Prob. prop. 1.° Recta est definitio, cum ex *genere*, et *differentia* constat. Talis est Augustiniana praedestinationis definitio. Verbis enim illis *praescientia*, et *praeparatio beneficiorum* explicatur *genus*, in quo praedestinatio cum providentia naturali, et cum Angelorum praedestinatione convenit. Illis vero, quae adjecta sunt *quibus certissime liberantur quicumque liberantur*, differentia ponitur, qua praedestinatio tum a naturali providentia, tum ab Angelorum praedestinatione distingui-
tur

tur, de qua nos hic non agimus, nec Scriptura, neo Patres. 2.° Ideo praedestinationis argumentum tractavit *Augustinus*, ut refelleret Semipelagianos, qui initium fidei, perseverantiam usque in finem non ex Deo, sed ex nobis esse affirmabant, ideoque gratiam, et gloriam docebant secundum merita nostra dari. Atqui Augustiniana definitio dogma illud funditus evertit, ut cuique attendenti est manifestum. Ergo rectissime posita est.

PROPOSITIO II.

Esse in Deo aeternum praedestinationis decretum fide certum est.

Prob. I. *Matth. XXV.* 34. Christus in extremo judicio dicet eis, qui ad dexteram ejus erunt: *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione Mundi.* Sed haec regni preparatio non aliud est, nisi praedestinatio, ut ex definitione constat. Et Apostolus *Rom. VIII.* 29. *Quos praescivit, et praedestinavit, hos et vocavit*: Et *Ephes. I.* 5. *qui praedestinavit nos in adoptionem filiorum per Jesum.* Ergo etc.

Prob. II. ex *Augustino*, cui Patres omnes consentiunt, quique duobus praesertim libris *de praedestinatione Sanctorum*, *et de dono perseverantiae* totus est in asserenda contra Semipelagianos praedestinatione. *Nimiae contentionis est*, inquit *Lib. de Dono persev. cap.* 21. *praedestinationi contradicere, vel de praedestinatione dubitare.* Et *cap.* 23. *Praedestinationis hujus fidem, quae contra novos haereticos nova sollicitudine nunc defenditur, numquam Ecclesia catholica non habuit.* Similia habent *Prosper*, *Fulgentius*, Et Concilia contra *Semipelagianos* in Galliis celebrata. Ergò etc.

Prob. III. Quidquid Deus operatur in tempore, id se facturum praescivit, et praedestinavit ab aeterno. Atqui Deus in tempore gratiam, et gloriam largitur; inquit enim *Psalm. LXXXIII. gratiam*, *et gloriam dabit Dominus.* Ergo ea dona praeparavit ab aeterno *Ista dona sua* inquit Augustinus *Lib. de dono persev. cap.* 17. *quibuscumque Deus donat, procul dubio se donatu-*

turum esse praescivit, *et in sua praescientia praedestinavit* Ergo etc.

PROPOSITIO III.

Varia est praedestinationis divisio.

Prob. Dividitur 1.° ratione *subjecti*, sive eorum, qui praedestinantur, in praedestinationem Angelorum, et hominum in statu naturae lapsae; sicut enim diversa est utriusque status gratia, ita diversus praedestinationis modus, et ratio. Dividitur 2.° in praedestinationem *adaequatam*, quae est ad gratiam simul et gloriam, et *inadaequatam*, quae vel ad solam unice gratiam spectat, vel ad gloriam solam. 3.° in praedestinationem in *intentione*, et in *executione*, alio enim ordine res facienda decernitur *in intentione*, alio ordine perficitur *in executione*. Nam quisquis ratione agit, prius finem cogitat, atque intendit; deinde instrumenta, sive *media* exquirit, et eligit ad finem consequendum: at contrario ordine *in executione* operatur; prius enim adhibet *media*, postea ad finem pervenit; ac proinde finis primus est *in intentione*, postremus *in executione*.

Scholion.

I. Quamquam in Deo intellectus, ac voluntas reipsa non distinguantur; tamen cum distinguantur ratione, quaerunt hic operose Scolastici, utrum praedestinationis essentia ad intellectum, an ad voluntatem natura sua pertineat. Thomistae ad intellectum, Scotistae passim ad voluntatem; Halensis, aliique ad utrumque volunt pertinere. Nobis ea quaestio non magni videtur esse momenti; sed cum praedestinatio in Scripturis *propositum voluntatis* Dei vocetur, eam *formaliter*, sive natura sua ad voluntatem pertinere, verisimilius putamus.

II. Porro ex ea, quam ex *Augustino* tradidimus praedestinationis definitione, refellitur opinio *Ambrosii Catharini*, qui duplicem distinguit sanctorum classem, alteram eorum, qui, eximia sanctitate praefulgent, ut B. Virgo, Apostoli etc. alteram eorum, qui minori dona-

nati sunt sanctitate, et gloria. Illos quidem ait fuisse electos, et praedestinatos ad gloriam per auxilia gratiae specialia, atque efficacissima; istos vero sine hac speciali praedestinatione; per auxilia sufficientia, atque omnibus communia ad salutem pervenire. Sed praeter ea, quae diximus contra hanc sufficientem gratiam, quae ex consensu voluntatis evadat efficax, constat, neminem salvum fore, nisi praedestinatum ad beneficia, quibus certissime liberantur, quicumque liberantur. Nemo enim salvus erit, nisi qui perseveraverit usque in finem; perseverantia autem est speciale, et efficax donum; quod unis praedestinatis largitur Deus, ut infra docebimus. Ergo nemo salvus erit, nisi praedestinatus ad beneficia efficacissima; ac proinde commentitia est altera ista sanctorum classis, quam obtrudit *Catharinus*, eorum scilicet, qui sine speciali praedestinatione salvi fiunt.

III Sequitur etiam hinc, praedestinationem esse certissimam, et certissimum praedestinatorum numerum, cum immutabile sit Dei decretum. Unde ait Christus *Joan. VI. 39. Haec est voluntas ejus, qui misit me; Patris, ut omne quod dedit mihi non perdam ex eo.* Et *Augustinus* de electis ait: *Horum si aliquis perit, vitio humano vincitur Deus, sed nemo eorum perit; quia nulla re vincitur Deus Lib. de Corr. et grat. cap. 7.* Nemo ergo deleri potest de *libro vitae*, si accipiatur pro aeterno praedestinationis decreto, in quo Deus immutabili ratione praescivit electos; quamvis enim praedestinatus libero non careat arbitrio, quo damnari possit; numquam tamen id fiet; imo moraliter impossibile est. Unde Fulgentius *Lib. de fide ad Petrum cap. 35. Firmissime tene . . . . neque perire posse aliquem eorum, quos Deus praedestinavit ad regnum caelorum; nec quemquam eorum; quos Deus non praedestinavit ad vitam, ulla posse ratione salvari.* Quod ergo ait Moyses, *aut dimitte eis hanc noxam, aut . . . dele me libro tuo Exod. XXXII.* 31, ex ardenti zelo, et singulari in Deum fiducia dixit; tamquam conditionem quam sciebat impossibilem. Ceterum si *liber vitae* improprie accipiatur pro praescientia Dei de omnibus justis, quorum multi pereunt, recte dictum est *Psal. LXVIII.*

De-

Deleantur de libro viventium, et cum justis non scribantur.

§. II.

De causis praedestinationis.

Adv. I. Quoniam quaestionem adgredimur inter Theologos celeberrimam, certa primum ab incertis secernenda sunt. Certum igitur est 1.° causam praedestinationis effectricem ipsum esse Deum; nemo enim est adeo insanae mentis, qui putet, aliquid extra Deum esse causam actus, qui in ipso Deo est, ut observat S. Thomas *I. P. Q. XXIII. art.* 5. Certum est 2.° causam praedestinationis *finalem* esse Dei gloriam; *universa enim propter semetipsum operatus est Dominus Prov. XVI.* 4. Unde Apostolus *Ephes. I. Praedestinavit nos*, inquit, *in laudem gloriae gratiae suae . . . . . in laudem gloriae ejus*, Certum est 3.° causam praedestinationis *meritoriam* extra ipsum praedestinatum esse Christi merita. *Praedestinavit nos in adoptionem filiorum per Jesum in ipsum*, inquit Apostolus *loc. cit.* Rursus certum est 4.° causam *meritoriam* praedestinationis *in executione* esse ipsius praedestinati merita per gratiam comparata; *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi*; *esurivi enim, et dedistis mihi manducare etc. Matt. XXV.* 34. 5.° Certum est, praedestinationis ad gratiam *in intentione* nullam esse in hominibus causam *meritoriam*; hoc enim dogma fidei est contra Pelagianos definitum, qui gratiam Dei secundum merita nostra dari affirmabant. 6.° Eadem fide contat, praedestinationem *adaequatam*, quae gratiam simul, et gloriam complectitur, non esse ex hominum meritis. Igitur quaestio restat, utrum praedestinatio *inadaequata*; nempe ad gloriam tantum, sit ex meritis hominum a Deo praevisis ab aeterno; an vero ita praecedat meritorum praescientiam, ut ipsa merita effectus sint praedestinationis.

II. Quoniam Angelis Deus gratiam praebuit *versatilem*, qua adjuti, nonnulli per liberum arbitrium steterunt, per ipsum liberum arbitrium cadentibus aliis; sequitur, praedestinationem Angelorum ad gloriam fuisse ex

ex praevisis eorum meritis. Cum ergo *Molinistae* doceant, eodem auxilio adjuvari homines in statu naturae corruptae, quo Angeli, nempe auxilio *versatili*, ex consequenti, praedestinationem hominum in hoc statu ex praevisis eorum meritis esse docent. Hunc ergo statuunt ordinem decretorum Dei, quatenus ea mens nostra distinguit. 1.° Deus ab aeterno voluit, omnes homines etiam peccato originali infectos nullo discrimine salvos fieri. 2.° Statuit omnibus praebere adjutorium, sine quo salvi esse non possent, non quo *infallibiliter* salvi fierent. 3.° Praevidens per scientiam *mediam* quinam ex hominibus eo adjutorio bene uterentur, et perseverarent usque in finem, eos praedestinavit ad gloriam, reliquos reprobavit. Qui autem *Molinianum* systema circumstantiis congruis temperarunt, in duas divisi sunt partes; alii enim, docent, Deum primo praevidisse, quinam in circumstantiis congruis adjuti perseveraturi essent, deinde eos praedestinasse; alii contra putant, primo Deum nonnullos ad gloriam praedestinasse, deinde eis dare gratiam decrevisse in circumstantiis congruis.

III. Alii Theologi omnes, qui *Molinae* aetatem praecesserunt, et qui post *Molinam* Augustini, et Thomae doctrinam de gratia intrinsecus efficaci tuentur, docent, Deum non ex hominum meritis, sed ex sua misericordia homines praedestinasse; ita ut merita hominum non causa, sed effectus sint aeternae, et gratuitae praedestinationis. Hi autem Theologi rursus dividuntur in classes duas. Nonnulli enim docent, non posse, ne per mentem quidem, distingui in Deo decretum praebendi gratiam a decreto largiendi gloriam, sed uno, eodemque indivisibili actu voluisse Deum praebere *finem*, et *media*, nempe gloriam, et gratiam. Sicut enim *in Deo intelligere causam non est causa intelligendi effectus, sed ipse intelligit effectus in causa, ita velle finem non est ei causa volendi ea, quae sunt ad finem*, ut inquit S. Thomas I. *P. Q. XIX. art.* 5. Alii vero etsi fateantur nullam esse reipsa inter Dei decreta distinctionem, cum uno, ac simplicissimo actu omnia intelligat ac velit; putant tamen, per mentem nostram decretum tribuendae gloriae a decreto largiendi gratiam distingui posse, ita tamen ut ordine prius sit decretum dandi glo-

gloriam, posterius vero decretum largiendi gratiam. Porro cum in priore sententia praedestinatio *aedaequate* consideretur, manifestum, imo fidei dogma est, praedestinationem eo modo consideratam esse gratuitam, minimeque pendentem ex praescientia meritorum. Sed cum quaestio philosophica sit, utrum agnosci debeat, an rejici distinctio virtualis inter decretum gloriae, et gratiae tribuendae, idcirco praedestinatio gratuita adstruenda est etiam posita *virtuali* illa distinctione.

PROPOSITIO.

Praedestinatio hominum ad gloriam in statu naturae lapsae est omnino gratuita, et ante praevisa merita.

Prob I. ex Scriptura, quae bona electorum opera, eorumque perseverantiam ex praedestinatione ad gloriam tamquam ex causa repetit. Sic. 1.° *Joan VI.* 39. ait. Christus: *Haec est autem voluntas ejus qui misit me Patris, ut omne quod dedit mihi, non perdam ex eo, sed resuscitem illud in novissimo die.* Et Joan. X. 27, *Oves meae vocem meam audiunt, et ego cognosco eas; et sequuntur me. Et ego vitam aeternam do eis, et non peribunt in aeternum, et non rapiet eas quisquam de manu mea.* Ubi manifestum est; causam cur vocati audiunt, sequuntur Christum, non cedunt tentationibus, sed usque in finem perseverant, et salvi fiunt, non aliam esse, nisi quia sunt oves Christi, datae ei a Patre, ut non pereant, sed habeant vitam aeternam. Unde Augustinus *Lib. de Corr. et Grat. cap.* 9. *Hi ergo*, inquit, *Christo intelliguntur dati, qui ordinati sunt in vitam aeternam. Ipsi sunt illi praedestinati, et secundum propositum vocati, quorum nullus perit. Ac per hoc nullus eorum de bono in malum mutatus finit hanc vitam, quoniam sic est ordinatus, et ideo Christo datus, ut non pereat, sed habeat vitam aeternam.*

2.° Idem Christus Apostolus alloquens *Joan. XV.* 16, ait: *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos, ut eatis, et fructum afferatis, et fructus vester maneat.* Non ergo electi sunt quia fructum attulerant, et persevera-

ve-

verant, sed ideo fructum permanentem tulerunt, qui electi sunt. Quod ne quis ad solos Apostolos suspicetur dictum, obstat Paulus scribens ad Ephesios *Ephes. I. 4. Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti, et immaculati in conspectu ejus in charitate* Non ergo nos elegit, quia praescivit nos sanctos, et immaculatos futuros, sed elegit, praedestinavitque ut essemus. Unde Augustinus *Lib. de Praedest. Sanct. cap.* 17. *Haec est immobilis veritas praedestinationis, et gratiae: Nam quid est, quod ait Apostolus.* Sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem? *Quod profecto si propterea dictum est, quia praescivit Deus credituros, non quia facturus fuerat ipse credentes, contra istam praescientiam loquitur Filius, dicens: Non vos me elegistis, sed ego elegi vos.* Ergo si electio est causa cur electi sancti, et immaculati sunt, nemo non videt, prius ordine esse praedestinationem, quam praescientiam meritorum.

3.° Apostolus variis in locis, praecipue vero in Epistola *ad Romanos*, totam praedestinationis oeconomiam docet, a sola Dei voluntate, tamquam ab una causa, omne hominis meritum praeveniente, proficisci. Ait enim *Rom. VIII.* 28. *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum* (non omnibus quidem, sed) *iis qui secundum propositum vocati sunt sancti. Nam quos praescivit, et praedestinavit conformes fieri imaginis filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fatribus: quos autem praedestinavit, hos et vocavit; et quos vocavit, hos et justificavit, quos autem justificavit, illos et glorificavit.* En praedestinatio clarissime statuitur causa cur electi vocentur; non quidem ut ceteri, de quibus dictum est: *multi sunt vocati*, sed efficax, atque certissima; ita ut illi sine dubio justificantur, et quamvis gravissimis urgeantur tentationibus, quae fortissimum quemque frangerent, tamen omnia haec electis cooperentur in bonum, et in his omnibus superent propter eum, qui dilexit eos, ita ut sine dubio perseverent, et gloriam adipiscantur. Quaerenti autem, cur eos Deus et non alios praedestinaverit respondet Apostolus, *Id non esse volentis, neque currentis, sed miserentis Dei*, qui tamquam figulus ex eadem massa generis humani per

per peccatum corrupta, fecit vasa quaedam in honorem pro sua misericordia; quaedam in contumeliam pro sua justitia. Imo ulterius quaerenti cur hos, et non illos elegit, aut reprobavit, Apostolus, rejecta Pelagianorum, Semipelagianorum, imo et Molinistarum facillima, et omnibus obvia responsione, ita exclamando solvit quaestionem *Rom XI.* 33. *O altitudo divitiarum sapientiae, et scientiae Dei! Quum incomprehensibilia sunt judicia ejus, et investigabiles viae ejus! .... Quis prior dedit illi, et retribuetur ei? Quoniam ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt omnia.* Quis hic non videt gratuitam, et omnia merita praecedentem praedestinationem ad gloriam?

4.° Causam exponens Lucas *Act. XIII.* 48. cur nonnulli Apostolicae praedicationi fidem habuerint, non aliam fuisse docet, nisi eorum praedestinationem ad gloriam. *Crediderunt*, inquit, *quotquot erant praeordinati ad vitam aeternam.* Non ergo eorum fides causa praedestinationis est, sed praedestinatio fidei.

5.° Addit Joannes I. *Joan.* II. 19. nonnullos ideo a fide defecisse, quia praedestinati non erant; si enim praedestinati fuissent, sine dubio perseverassent. *Ex nobis prodierunt sed non erant ex nobis: nam si fuissent ex nobis, permansissent utique nobiscum.* Ergo etc.

Prob. II. *ex PP.* Et quidem *Augustinus* praedestinationem ad gloriam statuisse gratuitam, negari non potest. Id enim fatetur Molina *Concord. Quaest. XXIII.* et post eum *Petavius*, aliique ejusdem societatis Theologi. Nihilominus quia nonnulli *Molinistae* ne tanto pondere auctoritatis opprimerentur, tenebras luci offundere studuerunt, contendentes, *Augustinum* loqui de praedestinatione ad gratiam, non ad gloriam, paucas ex innumeris ejus sententiis proferemus. Ait ergo in *Lib. de Corr. et Grat. cap.* 7. *Quicumque ab illa originali damnatione istius divinae gratiae largitate discreti sunt, non est dubium, quod et procuratur eis audiendum Evangelium, et cum audiunt, credunt, et in fide, quae per dilectionem operatur, usque in finem perseverant, et, si quando exorbitant, correpti emendantur etc. ... Illi ergo electi, ut saepe dictum est, qui secundum propositum vocati, qui etiam praedestinati, et praesciti. Horum si*

quisquam perit, fallitur Deus. Horum si quisquam perit, vitio humano vincitur Deus, sed nemo eorum perit, quia nulla re vincitur Deus. Electi autem sunt ad regnandum cum Christo. Ergo ex *Augustino* qui ad regnandum cum Christo electi sunt, quorum nullus perit (quales certe non sunt omnes, qui praedestinati sunt ad gratiam; quorum multi pereunt, nec regnabunt cum Christo) ii audiunt, credunt, convertuntur, perseverant, ita ut omnia isthaec gratiae dona, ab eorum praedestinatione ad gloriam, tamquam a causa oriantur.

2.° Addit idem S. Doctor *eod. Lib. cap.* 14. causam, cur nonnulli correpti emendantur, esse eorum praedestinationem ad gloriam; proposito exemplo *Saulis*, et *Davidis*, quos Deus ad regnum Israelis elegerat, ideoque tetigit corda populorum, ut eis subjicerentur. *Si ergo cum voluerit reges in terra constituere, magis habet in potestate voluntates hominum, quam ipsi sunt, quis alius facit, ut salubris sit correptio, et fiat in corde correpti correctio, ut caelesti constituatur in regno?* Vide quam diligenter distinguat electionem ad caeleste regnum; a gratia, qua electus, si corripitur, emendatur; et hanc gratiam ait effectum esse, non causam electionis ad regnum.

3.° Utitur exemplo Christi Domini *Lib. de praed. Sanct. cap.* 15. quem vocat *praeclarissimum exemplar nostrae praedestinationis*; adhibet etiam exemplum parvulorum *Lib. de dono persev. cap.* 9. qui sine ulla praescientia meritorum, quia ad regnum aeternum electi sunt, post baptismum cito rapiuntur.

4.° Ait eis, qui praedestinati sunt; etiam peccata per Dei misericordiam cooperari in bonum, quia humiliores inde redeunt, atque doctiores. Atqui si eorum praedestinatio ex meritorum praescientia esset, non gloriam per peccata, sed poenam aeternam praeparasset illis Deus. Ergo.

Jam vero quod pertinet ad Patres Augustino antiquiores, quos olim *Semipelagiani*, nunc *Molinistae* contendunt, contrariam tenuisse sententiam, a qua *Augustinum* defecisse calumniabantur, patet eos hanc praedestinationem docuisse. 1.° quia catholici omnes, ipsique Summi Pontifices *Innocentius I.*, *Zosimus*, *Bonifacius*, *Cae-*

Caelestinus I. Sixtus III. Augustinum tamquam antiquae fidei acerrimum vindicem laudarunt, ut supra docuimus *Cap. II.* ac proinde si ab avita Ecclesiae doctrina defecisset *Augustinus*, defecisset etiam Ecclesia universa, solis exceptis *Semipelagianis*, quod absurdissimum est, 2.° quia veteres eo ipso quod gratiam efficacem profitebantur, docebantque *in nullo gloriandum, quando nostrum nihil sit*, ut ait Cyprianus *Lib. III. ad Quirin. cap.* 4. eo ipso inquam praedestinationem ad gloriam agnoscebant gratuitam; quod enim facit Deus in tempore, praedestinavit ab aeterno; quod si gratuito ad efficacem gratiam praedestinavit; atque ad perseverantiam, quae ad gloriam sine dubio perducit, utique ad gloriam ipsam gratuito praedestinaverat; unde merito ait *Augustinus*, hanc praedestinationis doctrinam numquam Ecclesiam Christi non habuisse. 3.° Ipsi *Semipelagiani*, ut constat ex *Prosperi* Epistola ad *Augustinum*, fatebantur, se nihil invenisse apud veteres, quod eorum sententiae faveret. Ceterum non opus est, ut eorum scrutemur opuscula, qui priusquam *Pelagianorum* haeresis oriretur, non habuerunt necessitatem in hac difficili ad solvendum quaestione versari.

De Patribus vero *Augustino* posterioribus res est manifesta ex *Prospero Lib. Cont. Collator. et in Respon. ad Cap. Gallor. Caelestino*, qui *Augustino* superstes ejus doctrinam ab omni erroris suspicione liberavit *Epist. ad Episc. Gal*: Hormisda, qui *in Epist. ad Posses.* ex libris Augustini *de Praedestinatione Sanctorum*, *et de Dono perseverantiae* intelligi posse ait, quid Romana, idest Catholica sequatur, et asseveret Ecclesia; denique, ut alios praetermittam, ex *Bernardo*, qui *Serm. LXXVIII. Intuere*, inquit, *nunc mecum in hoc tam magnifico opere nostrae salutis tria esse quaedam, quae sibi vindicat auctor Deus, praevenitque in illis auxiliatores, et cooperatores suos, praedestinationem, creationem, inspirationem*. Et *Serm. XXIII. in Cant.* ait praedestinationem operire peccata electorum, *quoniam etsi qua deliquisse videantur in tempore, non apparent in aeternitate; quia charitas Patris ipsorum cooperit multitudinem peccatorum*, tantum abest, ut sit ex praescientia meritorum.

Prob. III. ex consensu veterum Theologorum instar omnium sit *S. Thomas*, qui non solum Scholasticorum princeps, sed Doctor etiam est Ecclesiae. Ait enim *I. Part. Q. XXIII. art.* 5. *ad* 3. *Quare hos elegit in gloriam, et illos reprobavit, non habet rationem, nisi divinam voluntatem. Unde Augustinus dicit super Joannem: quare hunc trahat, illum non trahat, noli velle dijudicare, si non vis errare.*

Prob. IV. *ratione*. Quicumque ratione agit, prius finem sibi proponit, deinde instrumenta, si haec adeo efficacia sint, ut ad propositum finem certissime perducant: *ex. gr.* nemo ignem paleae admovet, nisi prius paleas comburere proposuerit. Voluntas igitur finis ordine prior est voluntate *mediorum* efficacium. Cum autem gratia ad gloriam perducens efficacissima sit, ut supra docuimus, consequens est, ut si Deus ad hanc gratiam gratuito praedestinavit electos, gratuito etiam praedestinaverit ad gloriam, et ex hac praedestinatione tamquam ex causa secuta sit praedestinatio ad gratiam, et ex praedestinatione ad gratiam praescientia meritorum.

Objecta diluuntur.

Objic. I. Loca Scripturarum, quae supra posita sunt, commode de praedestinatione ad gratiam possunt intelligi. Ergo ad rem non faciunt.

℟. *Neg. ant.* In laudatis enim locis, ut legenti patet, causa cur nonnulli credunt, justificantur, perseverant, ea statuitur, scilicet, quia praedestinati sunt, ita ut omnis illarum gratiarum series ex praedestinatione tamquam ex causa pendeat. Atqui si de praedestinatione ad gratiam tantum sermo esset, falsae essent illae sententiae, multi enim praedestinati ad gratiam non perseverant. Ergo.

Inst. Apostolus et se, et eos, ad quos scribit, dicit esse praedestinatos: *Praedestinavit nos in adoptionem filiorum per Jesum Ephes. I.* 5. Atqui utrum praedestinatus sit ad gloriam, nemo scit, imo ipse Apostolus id se nescire profitebatur, dicens: *Castigo corpus meum, et in servitutem redigo, ne forte cum aliis praedicave-*

rim,

rim, *ipse reprobus efficiar I. Cor. IX.* 27. Ergo semper loquitur de praedestinatione ad gratiam.

℟. *Dist. maj.* Dicit, se, et alios fideles esse praedestinatos, quia ita nos de nobis, et aliis, quos alloquimur, sperare licet, et juvat, *conc.* Dicit esse praedestinatos, absoluta certitudine, *neg.* Alioquin ne de ipsa quidem praedestinatione ad gratiam intelligi posset Apostolus, quia nemo scit absoluta certitudine, utrum ipse, multoque minus utrum alii gratiam sanctificantem acceperint, et ad eam praedestinati sint.

Objic. II. Christus Dominus *Matth. XXV.* 34. haec dicturus est electis: *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis Regnum a constitutione Mundi*; *esurivi enim et dedistis mihi manducare.* Ergo caeleste regnum propter praevisa merita paratum est electis a constitutione mundi.

℟. *Neg. cons.* Verba enim illa *esurivi. et dedistis mihi manducare* referuntur ad principalem sententiam *venite, possidete regnum*, non vero ad verbum illud *paratum.* Sensus ergo est, *in executione* regnum aeternum propter merita retribui, quod nos fatemur. Haec tamen merita effectus sunt gratiae efficacis, quae et ipsa effectus est praedestinationis ad gloriam.

Inst. 1.° *Ex concessis* gloria in tempore meritis tribuitur. Ergo propter merita praeparata est ab aeterno. Sicut enim Deus operatur in tempore, sic ab aeterno praedestinavit.

℟. *Dist. ant.* Retribuitur meritis per auxilia efficacissima comparatis, *conc.* Comparatis per auxilia sufficientia, *neg.* Porro auxilia efficacissima, seu *media*, quae cum fine certissime connexa sunt, a praecedenti ipsius finis voluntate proficiscuntur. Deus ergo ab aeterno ante omnem praescientiam meritorum quosdam ad gloriam perducere decrevit; atque ideo statuit illis efficacia praebere auxilia, quibus ad gloriam mererentur pervenire. *Unde et ipsa vita aeterna, quae meritis praecedentibus redditur, quia eadem merita, quibus redditur, non a nobis parata sunt, sed in nobis facta sunt per gratiam, etiam ipsa gratia nuncupatur, non ob aliud, nisi quia gratis datur, nec ideo quia meritis non datur, sed quia da-*

data sunt et ipsa merita, quibus datur; verba sunt Augustini *Epist. ad Sixtum CV.*

Inst. 2.° Deus ab aeterno gloriam paravit electis ut *mercedem*, *coronam*, *bravium*; his enim nominibus appellatur in Scripturis. Atqui merces, atque corona, ejus est naturae, ut ne intelligi quidem possit sine meritis, ut patet. Ergo etiam *in intentione* Deus gloriam praeparavit ob praescientiam meritorum.

℞. *Dist.min.* Non potest intelligi merces sine meritis, quae sint ipsius praedestinationis effectus, *conc.* Quae sint praedestinationis causa, *neg.* Quia ergo voluit Deus vitam aeternam dare ut mercedem, ideo gratiam praebere decrevit effie cissimam, qua comparentur merita. Quod illustrari potest exemplo divitis, qui non merito pauperis, sed misericordia sua vult illi eleemosynam largiri; ita tamen ut, ne marcescat otio, quaedam opera exerceat ipsi diviti inutilia, quibus eleemosyna praebeatur ut merces. Eo enim in exemplo nemo non videt, solam divitis misericordiam esse causam meritorum, licet eleemosyna parata sit ut merces.

Objic. III. Nonnulli Patres *Augustino* antiquiores, imo etiam juniores causam electionis *Jacob* prae *Esau* fuisse docent praescientiam meritorum. Sic Irenaeus *Lib. IV. cap.* 38. Hieronymus *in Cap. I. Malach. et al.* Chrysostomus vero illud axi matis loco ponit: *Si homines quando eligunt, optima sibi deligunt, multo magis Deus Hom. XVI. in Cap. IX. ad Rom. et Hom. I. in Epist. ad Ephes.* Ambrosius *Lib. V. de fide Quorum merita praescivit, horum praemia praedestinavit* Fulgentius *Lib. I ad Monim. cap.* 24. *Praedestinavit ad regnum, quos ad se praescivit misericordiae praevenientis auxilio reddituros.* Adde *Origenem*, *Theodoretum*, *Theophylactum*, *Oecumenium*, imo et ipsum *Chrysostomum*, qui *propositum*, de quo Apostolus *Rom. VIII.* non Dei, sed ipsius hominis propositum, sive voluntatem esse affirmant. Ergo etc.

℞. *Neg. ant.* Docent enim illi 1.° ante exortam haeresim Pelagianam (ideoque minus caute) contra Manichaeos, ex verbis Malachiae *Jacob dilexi, Esau autem odio habui* non sequi, homines esse natura malos, aut bonos, aut Deum veteris Testamenti esse malum, quia in

in electione *Jacob* ejus merita bona praescivit, utrum autem etiam praedestinâverit, et in praedestinatione ipsa praesciverit, quaerere tunc necessarium non putarunt. Hoc igitur sensu locuti sunt *Irenaeus*, et *Hieronymus*. Imo ipse *Augustinus* acerrimus gratuitae praedestinationis vindex, scribens contra Manichaeos non dubitavit asserere, tunc voluisse hominibus apparere Christum, quando sciebat, quinam credituri essent in eum. Et tamen hanc sententiam suam objicientibus Semipelagianis ita explicavit *Lib. de Praed. Sanct. cap.* 9. *Utrum autem non solum praesciverit, sed etiam praedestinaverit, quaerere, et disserere, tunc non putavi: Potest enim dici, tunc voluisse hominibus apparere Christum; quando sciebat quinam essent praedestinati in ipso ante mundi constitutionem.* Quare si hoc ipsum veteribus fuisset objectum, eodem modo sententiam suam explicassent, quo *Augustinus*, cum praesertim praescientiae nomen ex phrasi scripturarum praedilectionem etiam significet, ut inquit Apostolus *Rom. XI.* 2. *Non repulit Deus plebem suam, quam praescivit.* Unde Augustinus *Lib. de Dono persev. cap.* 19. *Quid prohibet*, inquit, *quando apud aliquos verbi Dei tractatores occurrit praescientiae nomen, et agitur de vocatione electorum, eamdem praedestinationem intelligere?*

2.° Quod attinet ad *Chrysostomum*, is, ut observat Augustinus *Lib. de Praedest. Sanct. cap.* 14. non solum contra Manichaeos, qui in oriente grassabantur, liberum arbitrium debebat asserere; verum etiam in *Homiliis* ad populum totus erat in excitandis fidelibus ad virtutes; quapropter more oratorum opus non habebat de praedestinatione disputare, sed potius commonere auditores, ut facerent quod in se erat, cum etiam Prophetae sic populum hortati sint: *Expectat Dominus, ut misereatur vestri: Convertimini ad me, et ego convertar ad vos, dicit Dominus*: et Apostolus Petrus II. Pet. I. 10. *Magis satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem, et electionem faciatis.*

3.° *Ambrosius*, et *Fulgentius* loquuntur de praedestinatione *in executione*, ut legenti manifestum est. *Origenis* vero opera, saltem ut hodie se habent, corrupta scilicet ab haereticis, de quo *Origenes* adhuc vivens que-

questus est, Pelagianae haereseos semina continent; unde Hieronymus *Ep. ad Ct siph Doctrina*, inquit, *tua Origenis ramusculus est*, quod et supra observavimus; *Theodoretus* autem, *Theophylactus*, et *Oecumenius* Origenis sententias suis commentariis solent inserere. Porro qui ajunt, *propo itum*, de quo loquitur Apostolus, esse hominis voluntatem, quod et ipse docuit *Chrysostomus*, id solum contendunt, nempe Dei vocationem liberum hominis non perimere arbitrium, *quia vocatio non est coacta, nec violenter facta*, ut inquit *Chrysostomus*, quod et nos fatemur. Ceterum cum ait *Homil. de Adam, et Eva*: *A Dei gratia omnia hominis merita provenire*; manifeste docet, praedestinationem esse meritorum causam, non effectum.

Objic. IV. Augustinus *Lib. I. ad Simplician. Quaest. 2. n. 4. Quomodo*, inquit, *est justa, aut qualiscumque omnino electio, ubi nulla distantia est? Si enim nullo merito electus est Jacob, neo omnino eligi potuit, nulla existente differentia .... Non igitur electus est, ut fieret bonus, sed bonus factus eligi potuit.* Et num. 6. *Non electio praecedit justificationem, sed electionem justificatio: nemo enim eligitur, nisi jam distans ab eo, qui rejicitur.* Atqui *Augustinus* non improbavit senior quae scripserat ad *Simplicianum*, ut nonnulli falso opinantur, imo et confirmavit in *Libro I. Retractationum*, ut observat *Vasquez*, qui hunc locum *Augustini* vehementer ur. et. Ergo constanter asseruit, electionem ad gloriam esse ex praescientia meritorum, ideoque cum ait, praedestinationem esse gratuitam, loquitur de praedestinatione ad gratiam.

℟. *Neg. cons.* Scribens enim *Augustinus* junior ad *Simplicianum* ante exortam Pelagianam haeresim, quae ei occasio fuit diligentius, et operosius rimandi sensa Scripturarum circa praedestinationem, et gratiam; putavit, verba illa *electio, proposi um*, sive *praedestinatio*, quibus utitur Scriptura divina, non esse *synonyma*: sed propositum, sive praedestinationem significare aeternum, et ratuitum Dei decretum donandi aliquos gloria; electionem vero decretum illud, quo Deus praesciens eos Dei proposito justificandos, statuit illis regnum aeternum, ut mercedem retribuere, quod Scholastici *decretum executivum* appellant. Unde ait *loc.*

cit. n.4. Non ergo secundum electionem propositum Dei manet, sed ex proposito electio, ubi manifestissime electionem a proposito, sive praedestinatione distinguit; putabat enim tunc Augustinus, ne intelligi quidem posse electionem, sine differentia aliqua inter eligendos. *Nondum diligentius quaesiveram*, inquit *Lib. I. Retract. cap. 3. quid sit electio gratiae, de qua dicit Apostolus: Reliquiae per electionem gratiae salvae factae sunt.* At in posterioribus libris vidit, haec nomina in Scripturis idem prorsus significare; ideoque et ipse propositum, praedestinationem, et electionem sine discrimine usurpat. Ait enim *Lib. de Praed. Sanct. cap. 17. Electi sunt ea praedestinatione in qua Deus sua futura facta praescivit. Electi sunt de mundo ea vocatione qua Deus id quod praedestinavit; implevit ... Elegit ergo Deus fideles, sed ut sint, non quia jam erant . . . Eligendo ergo facit divites in fide sicut heredes regni. Recte quippe in eis hoc eligere dicitur. quod ut in eis efficiat; eos elegit.* Et *Lib. V cont. Julian. cap. 3. Nullum elegit dignum, sed eligendo efficit dignum.* Nihil poterat dici luculentius. Vide Petavium *Lib. IX. Cap. 14. Bellarminum, Berti*, aliosque contra *Vasquesium* disputantes.

Inst. Idem Augustinus *Lib. de Dono persev. cap. 19.* ait: *Hoc scio, neminem contra istam praedestinationem, quam secundum Scripturas sanctas defendimus, nihil errando disputare potuisse*, quibus verbis non obscure innuit, praedestinationem, quam gratuitam defendit, ad fidem pertinere. Atqui praedestinationem ad gloriam non esse ex praescientia meritorum, dogma fidei non est. Ergo loquitur *Augustinus* semper de praedestinatione ad gratiam.

℟. 1.° *Bellarminus Lib. II. De grat. et lib arb. Cap. 11.* aliique Theologi revera ad fidem pertinere putant gratuitam praedestinationem ad gloriam, idque probant tum ex hoc *Augustini* loco, tum ex professione Synodi in Sardinia habitae ab Episcopis Africanis ibi exulantibus, quae extat *Lib. de Incarnat. et grat. in fine*, tum ex Scripturis, et Patribus. Unde concludit: *Haec sententia non quorumvis Doctorum opinio, sed fides Ecclesiae Catholicae dici debet.* Sed quia nostrum non est

[illegible] hae-

haereseos notam contra Sedis Apostolicae praecepta, cujus judicium expectamus, adversariis invehere, quod quidem ex *Bellarmini* doctrina perspicue sequitur, de quo reponere aliquis fortasse poterit, non constare, utrum distinctionem illam rationis agnoverit, de qua supra diximus, inter decreta gloriae, ut gratiae.

℞. 2.° *Dist. maj. Augustinus* ait, praedestinationem, quam defendit, pertinere ad fidem, et ad eam probandam praeter alia argumenta producit etiam illud, quod ex gratuita praedestinatione ad gloriam prono alveo fluit, *conc.* Non adhibet hoc argumentum, nec meminit praedestinationis ad gloriam, *neg. Augustinus* itaque praecipue contra Semipelagianos ut dogma fidei asserebat, gratiam Dei non secundum merita nostra dari, et perseverantiam esse speciale Dei donum. Ideoque praedestinationem ad gratiam esse gratuitam; sed quia gratia semen est gloriae, et perseverantiae donum ita cum gloria connexum est; ut ab ea divelli nequeat; *Augustinus* praeter alia argumenta, quibus directe asserit dogma Catholicum, ex eo etiam probat, totam gratiarum seriem ab initio fidei, usque ad donum perseverantiae esse gratuitam, quia ipsa praedestinatio ad gloriam, ex qua pendet tota isthaec catena gratiarum, gratuita est.

Objic. V. Doctrina haec de gratuita praedestinatione ad gloriam homines ad desperationem impellit, et studium salutis omnino aufert; qui enim praedestinatus est sine ulla dubitatione salvus erit, et quamvis interim scelestè vivat, convertetur tamen antequam moriatur, et in justitia perseverabit: qui vero praedestinatus non est, quantumcumque interim in justitia proficiat, cadet tamen ante mortem, et in peccato suo morietur, et damnabitur. Ergo falsa est, cum nihil verum possit hominis saluti nocere: imo etiamsi vera esset, occultanda tamen esset, non praedicanda fidelibus.

℞. 1.° Has esse objectiones, quibus Semipelagiani contra doctrinam *Augustini*, quae erat Ecclesiae, decertabant, ut videre est in Epistolis *Prosperi*, et *Hilarii* ad *Augustinum*; ut mirum sit, non puduisse adversarios ab haereticis argumenta mutuari jamdiu ab Augustino occupata, et exufflata; hoc enim indicio est doctrinam

nostram non differre, vel recte sequi ab ea, quam illi oppugnabant, cum eisdem nunc argumentis oppugnetur ab adversariis.

℟. 2.° *Neg ant.* Nam 1.° nemo negaverit Dei praescientiam, aut illam dixerit impellere homines in desperationem, et studium salutis auferre, quia id certissime futurum est, quod Deus ab aeterno praescivit, ergo idem ferendum judicium est de praedestinatione; sicut enim libertati nostrae non officit praescientia Dei, ita nec praedestinatio. 2.° Quia magis sperare debet homo, cum audit in manibus Domini esse sortes suas, quam si essent in manibus liberi arbitrii sui infirmissimi, in malum proni, tot tantisque tentationum fluctibus agitati. Hinc Apostolus *Rom.VIII.*31. ex praedestinatione non desperationis, sed firmissimae spei argumenta promit. Ait enim: *Si Deus pro nobis, quis contra nos? .... Quis ergo nos separabit a charitate Christi? ... certus sum, quia neque mors, neque vita etc. poterit nos separare a charitate Dei quae est in Christo Jesu.* Et Augustinus *Lib. de Dono persev. cap.* 22. *An vero timendum est, ne tunc de se homo desperet, quando spes ejus ponenda demonstratur in Deo, non desperaret autem, si eam in seipso superbissimus, et infelicissimus poneret?*

Neque dicas, id quidem esse verum, si certi essemus, nos esse praedestinatos, quod tamen incertissimum esse ex eo patet, quod paucissimi sunt electi. Deus enim sperare jubet, nos esse ex illo numero, et si bene vivere, atque in virtutibus quotidie proficere studemus, per ipsa bona opera certam nostram vocationem, et electionem facimus *II. Pet.I.* 10. hoc est, de ipso cursu nostro bono, rectoque discimus, nos ad praedestinationem divinae gratiae pertinere, ut loquitur Augustinus *loc.cit.* Ex quo vides, tantum abesse quod dogma praedestinationis studium salutis auferat, quin potius illud accendat, cum hoc unicum sit remedium compescendi metum, ne forte reprobi simus, si bonis operibus assidue incumbamus; cum contra stultissimus, et insanissimus sit, qui male vivit, ea fiducia, quod si praedestinatus est, certissime salvus erit: quapropter loco illius dilemmatis, quod non cessant ur-

urgere adversarii: *aut praedestinatus sum, et salvabor, aut non praedestinatus, et damnabor*, satius est si reponant hoc aliud: *aut bene vivo, et salvus ero, aut male, et damnabor.*

Praedicari autem potest praedestinatio populis quando oportet, et quomodo oportet, ne quis inflatus, quasi non acceperit, in se et non in Domino glorietur, quo vitio nullum est fortasse periculosius. Sunt tamen certae regulae, quas ibidem Augustinus tradit, et cuique charitas, et prudentia suggeret, ne aut falsa veris in hac praedicatione misceantur, aut ipsa veritas non opportune, nec modo infirmitati audientium apto proponatur.

Inst. Negari non potest, quin facilius explicetur oeconomia praedestinationis, et difficultas omnis evanescat, posita praedestinatione ex praescientia meritorum. Si ergo non asserimus, dogma praedestinationis gratiae pertinere ad fidem, quidni viam ingredimur faciliorem, et ad excitandam fidelium socordiam aptiorem, qualis est *Molinistarum* doctrina?

℟. *Transeat ant. neg. cons.* Apostolus enim praedestinationis oeconomiam pertinere ait ad *inscrutabilia judicia* Dei. Eo ipso ergo doctrina *Molinistarum* falsa esset, si haec Dei judicia facillime scrutaretur, et explicaret. Dixi autem *transeat ant.* quia nec ipsi *Molinistae* a difficultatibus, quas objiciunt, expedire se possunt, nisi dicant perseverantiam non esse speciale Dei donum, quod quidem aperta haeresis esset, ut infra ostendemus. Si enim fatentur, speciale Dei donum esse perseverantiam, jam ad *inscrutabilia Dei judicia* confugere debent, si ab iis quaeratur, cur illud uni detur, alteri negetur, explicandumque ipsis est, quo pacto dogma illud nec ad desperationem homines adigat, nec salutis sollicitudinem minuat. Licet enim precibus impetrari possit perseverantiae donum, multos tamen videmus illud accepisse sine ullis meritis bonis, ut parvulos, imo post multa merita mala, ut latronem in cruce, et homines alios scelestissimos, ut Magdalenam, cum contra multi homines sancti illud non acceperint, ut Saul, aliique innumeri. Quamvis autem sententiam nostram ut dogma fidei non asseramus; eruitur tamen illa apertissime ex principiis fidei, eamque ad-

versarii impugnare non possunt, nisi detorquendo Scripturas contra eum sensum, quem Patres, et praesertim *Augustinus* constanter tenuerunt, quod regulis Tridentini Concilii adversatur.

Objic. VI. Deus nihil nisi summa cum ratione agit. Debet ergo aliqua esse praedestinationis ratio; idest electorum merita.

℟. *Dist. ant.* Nil agit sine ratione nobis nota, *neg.* Nobis plerumque ignota, ut est praedestinatio, quam perspicuum est, non esse ex praevisione meritorum, *conc.* Sed de praedestinatione ipsa hactenus; nunc de ejus effectibus videamus. Vide haec fusius apud *Gonetum*, aliosque Thomistas. Adde *Bellarminum*, *Berti*, *Petavium Tom. I. Lib. IX.* quamvis, ut sodalibus morem gerct, *Lib. X.* sententiam retractaverit.

§. III.

De effectibus praedestinationis, et praecipue de dono perseverantiae.

Adv. I. Ut aliquid praedestinationis effectus dici possit, duo simul requiruntur, primo quidem ut a Deo fiat, deinde ut ad gloriam certissime ducat. Ex quo fit, ut neque peccata, quae a Deo non sunt, neque gratiae illae temporales, quibus aliquando justificantur et reprobi, qui in accepta justitia non perseverant, dici possint praedestinationis effectus: sed peccata quidem malitiae hominum effectus sunt, licet ea Deus cooperari faciat in bonum electorum: gratia vero temporales effectus sunt supernaturalis providentiae, quae reprobos simul atque electos regit.

II. Cum ergo tres ab Apostolo *Rom. VIII.* numerentur praedestinationis effectus, *vocatio*, *justificatio*, et *glorificatio*, priores autem duo eatenus effectus praedestinationis sint, quatenus cum perseverantia, et cum gloria, quae a perseverantia divelli nequit, conjunguntur; de hoc praecipue dono agendum est.

III. Definitur autem perseverantia ab *Augustino Lib. de Dono persev. cap. I.* *Donum Dei, quo perseveratur usque in finem in Christo.* Dicitur 1.° *donum Dei*, ut osten-

ostendatur, illud esse gratuitum, licet in *executione* possit illud adultus precibus impetrare. Dicitur 2.° *quo perseveratur*, ut significetur, donum illud non esse auxilium, *sine quo* perseverari non possit, sed *quo* certissime perseveratur; licet enim justus per ordinaria gratiae auxilia possit quidem perseverare, minime tamen perseverabit, nisi accipiat efficacissimum adjutorium, quo non solum possit perseverare, sed reipsa perseveret. Nemo autem dum vivit, dicitur habuisse perseverantiam, sed ille solum, qui jam mortuus est in justitia perseverans. *Dicimus quippe castum, quem novimus castum, sive sit, sive non sit in eadem castitate mansurus; perseverantiam vero usque in finem quoniam non habet quisquam, nisi qui perseveraverit usque in finem; multi eam possunt habere; nullus amittere .... Hoc ergo donum cum datum fuerit, contumaciter amitti non potest: Cum enim perseveraverit quis usque in finem, neque hoc donum potest amittere, neque alia, quae poterat ante finem*, inquit Augustinus *Lib. de Dono persev. cap.* 6. Dicitur 3.° *usque in finem*, ut significetur ipse exitus hujus vitae, *in quo tantummodo periculum est, ne cadatur, potiusque hanc perseverantiam habuit unius anni fidelis, et quantum infra cogitari potest, si usque ad mortem fideliter vixit, quam multorum annorum, si exiguum temporis ante mortem a fidei stabilitate defecit Ibid. Cap.* 1.

IV. Porro perseverantiae donum duo complectitur, primo quidem specialem Dei providentiam, qua justus tunc ex hac vita rapiatur cum est in statu gratiae sanctificantis, ut accidit in parvulis, et in adultis, qui repentina morte opprimuntur; quae quidem dici solet in scholis perseverantia *passiva*. Deinde vero subministrationem efficacis gratiae, qua justus tentationes omnes superat usque ad mortem, quae quidem gratia eo major est, quo majoribus justus in exitu vitae jactatur tentationum fluctibus. Haec appellatur in Scholis perseverantia *activa*.

V. Missis *Pelagianis*, qui omnia bona opera ex libero arbitrio repetebant; *Semipelagiani* sicut initium fidei, ita perseverantiam *activam* negabant speciale esse Dei donum. Passivam vero perseverantiam docebant dari

dari secundum merita, in adultis quidem praecedentia, in parvulis vero nec praecedentia, nec futura, sed quae Deus praeviderat futura, si ad aetatem adultam pervenissent. Contra omnes Catholici tenent ut fidei dogma, perseverantia esse speciale Dei donum, hoc est distinctum a gratia habituali, ceterisque eam comitantibus donis; sed non omnes id explicant eodem modo. *Molinistae* solam perseverantiam *passivam* speciale donum agnoscunt: *Thomistae*, et ceteri gratiae per se efficacis assertores utramque, *activam*, et *passivam*. Duvallius *Tract. de gratia Q. I. art. ult.* activam perseverantiam in iis solum putat esse speciale Dei donum, qui diu cum hoste luctantur, et vincunt: non vero iis, qui paulo post justificationem moriuntur.

PROPOSITIO.

Dogma fidei est, perseverantiam usque in finem esse speciale Dei donum. Id vero intelligendum est tum de passiva, tum de activa perseverantia, licet brevissimo tempore quis in certamine perduret usque in finem.

Prob. 1a. *pars.* Ita enim definit Concilium Tridentinum *Sess. VI. can.* 22. *Si quis dixerit, justificatum vel sine speciali Dei auxilio in accepta justitia perseverare posse, vel cum eo non posse, anathema sit.* Praeiverat Concilium Carthaginiense *in Epist. ad Innoc. I.* in qua sic habet contra Pelagianos: *Ex istorum sacrilega disputatione necessario sequitur, ut nec orare debeamus, ne deficiat fides nostra, quod pro Apostolo Petro se rogasse, ipse Christus testatus est.* Et Concilium Arausicanum II. *Can.* 10. *Adjutorium Dei in renatis, ac sanctis semper est implorandum, ut ad finem bonum pervenire, vel in bono possint opere perdurare.* Testimonia autem Scripturarum, et Patrum, quibus ea definitio nititur, mox proferemus in assertione 2ae. et 3ae. partis.

Prob. itaque 2a. *pars. Sap. IV.* 11. de justo, qui praematura morte occupatur, sic habetur: *Raptus est,* ne

ne malitia mutaret intellectum ejus, aut ne fictio deciperet animam illius ..... properavit educere illum de medio iniquitatum. Quod explicat *Nyssenus* exemplo paedagogi, qui puerum a convivio retrahit, se novos cibos intemperantius expetens, sanitatis detrimentum accipiat. Et de justis in fine mundi gravissima tentatione concutiendis ait Christus *Matth. XXIV. 22. Nisi breviati fuissent dies illi, non fieret salva omnis caro, sed propter electos breviabuntur dies illi.* Hoc autem speciale donum maxime elucet in parvulis, quorum aliqui ab impiis geniti parentibus tamdiu vivunt, donec baptismo justificati rapiantur; cum contra alii ex justis, et fidelibus nati, festinantibus parentibus, ministris paratis, citius expirant, quam ut iis per baptismum succurri possint, quod argumentum fuse prosequitur Augustinus *Lib. de Dono persev. cap.* 12. Sed et in adultis cum mortis tempus non ab hominis, sed a Dei voluntate pendeat, manifestum est, speciale Dei donum esse, quod quis eo tempore, quo justus est, moriatur; qui si paulo ante, vel paulo post obiisset, in peccato mortuus esset. Hinc Augustinus *Lib. cit. cap.* 17. *Videte jam*, inquit, *a veritate quam sit alienum negare, donum Dei esse perseverantiam usque in finem hujus vitae; cum vitae huic quando voluerit ipse det finem, quem si dat ante imminentem lapsum, facit hominem perseverare usque in finem.* Ergo etc.

Prob. 3. *pars.* 1.° *Philip. I.* 9. *Qui coepit in vobis opus bonum, perficiet usque in diem Christi Jesu*, ubi sicut initium salutis, ita perseverantia usque in finem Deo auctori tribuitur. Et *v.* 29 *Vobis donatum est pro Christo non solum ut in eum credatis, sed ut etiam pro illo patiamini.* Horum unum pertinet ad initium, alterum ad finem. Quod enim initium verius Christiano, quam credere in Christum? Quis finis melior, quam pati pro Christo? Utrumque autem Dei donum est, quia utrumque dictum est esse donatum, ut inquit Augustinus *Lib. De Dono persev. cap.* 2. 20. *Jer. XXXII.* 4.° *Timorem meum dabo in corde eorum, ut non recedant me*, in quem locum ipse Augustinus *Lib. cit. Cap.* 1. *Post casum*, inquit, *hominis nonnisi ad gratiam suam Deus voluit pertinere, ut homo accedat ad eum, neque nisi*

nisi ad gratiam pertinere, ut non recedat ab eo ... *ac per hoc sicut operatur, ut accedamus, sic operatur, ne discedamus*, 3.° Christus *Luc.XXII*:32. rogavit pro Petro, ne deficeret fides ejus, et *Joan. XVII.* pro omnibus Apostolis; et *Matt. VI.* 13. orare omnes jubet, ne inducantur in tentationem; imo in omnibus fere petitionibus Dominicae orationis perseverantiam postulare docuit, ut post *Cyprianum* observat *Augustinus*. Oratio autem certissima est gratiae testificatio; frustra enim peteremus quod non Dei donum, sed in nostra putaremus esse potestate. Ergo.

His accedit, quod Concilia, et Patres, qui perseverantiam speciale Dei donum esse docent, praecipue de *activa* perseverantia loquuntur, ut patet ex verbis Concilii Carthaginiensis, Arausicani, et Tridentini, nec non ex Epistolis *Innocentii I.* ad Concilium Carthaginiense, et *Caelestini I.* ad Episcopos Galliae. Cum autem sine discrimine loquantur de omnibus, qui perseverant, periculosa est *Duvallii* sententia, qui hanc catholicam doctrinam ad eos tantum coarctat, qui diuturno tempore perseverant.

Prob. iterum 2a. *et* 3a. *pars* ratione duplici. 1.° Quod ex *inscrutabili* Dei judicio uni confertur, alteri negatur, non est utrique commune, sed speciale Dei donum, distinctum scilicet a donis, quae jam uterque acceperat. Atqui hujusmodi est perseverantia, ait enim Augustinus *Lib. de Dono persev. cap.*9. *Ex duobus autem piis* (quorum uterque jam gratiam sanctificantem, et cetera ei adnexa dona acceperat) *cur huic donetur perseverantia usque in finem, illi autem non donetur, inscrutabilia sunt judicia Dei.* 2.° Praedestinatio non est omnibus justis commune donum, sed speciale electorum. Atqui perseverantia praedestinationis effectus est, nec nisi praedestinatis donatur. Inquit enim ipse Augustinus *Epist.CXLIX.n.*22.*al.LIX. ad Paulinum*: *Ne quisquam praesumptor de occultis judicet alienis, quid dicturus est de infantibus parvulis, quorum plerique, accepto baptismate, cum sine dubio pertinerent ad gloriam, si continuo ex hac vita emigrarent, sinuntur crescere, et nonnulli etiam apostatae fieri? Unde? nisi quia non pertinent ad illam praedestinationem?* Et *Lib.*

de Dono persev. cap. 9. postquam ad inscrutabilia Dei judicia retulit, cur huic justo donetur perseverantia, illi non donetur, subdit: *Illud tamen fidelibus debet esse certissimum, hunc esse ex praedestinatis, illum non esse. Nam si fuissent ex nobis, ait unus praedestinatorum* I. Joan. II. 19. *mansissent utique nobiscum.* Viderint *Molinistae*, quomodo haec cum systemate suo concilient Ergo etc.

Objectiones.

Objic. I. *cont.* 1m. *part.* Non est damnata *Duvallii* sententia, qui putat, perseverantiam in iis solum esse speciale Dei donum, qui diu perseverant. Ergo non est dogma fidei, perseverantiam in omnibus esse speciale donum Dei.

℟. *Dist. ant.* Et *Duvallius* loquitur de utraque perseverantia, activa, et passiva, *neg.* fatetur enim, vel fateri debet, saltem *passivam* perseverantiam esse speciale donum Dei. Et loquitur de perseverantia activa, *subdist.* Et ejus sententia saltem minus tuta est, *conc.* Secus, *neg.*

Objic. II. *cont.* 2m. *part.* Mors hominum ex naturalibus oritur causis, quae etiam casu aliquando agere videntur. Ergo perseverantia *passiva* donum Dei speciale non est.

℟. *Dist. ant. quoad* 1m. *part.* Et hujusmodi naturales caussae a Deo ipso ordinatae sunt in salutem electorum, quibus omnia cooperantur in bonum, *conc.* Fato aguntur, aut casu, *neg.* Si enim nec passer cadit in terram sine voluntate Patris nostri, quanto minus homo, praesertim ad regnandum cum Christo praedestinatus ab aeterno? Hinc Augustinus *Lib. de Dono persev. cap.* 12. *Neque enim*, inquit, *fato cogitur Deus illis infantibus subvenire, illis non subvenire, aut res humanas in parvulis* (et adultis) *non divina providentia, sed fortuitis sagi casibus opinabimur ..., quandoquidem nec passer cadit in terram sine voluntate Patris nostri, qui in caelis est.*

Objic. III. Omnis justus jus habet ad vitam aeternam; *si enim filius, et heres*, ut ait Apostolus *Rom.* VIII.

VIII. 17. Et Gal. IV. 7. Ergo jus habet ad perseverantiam, sine qua vitam aeternam consequi non potest.

℟. *Dist. ant.* Habet jus *remotum*. et sub conditione positum, *conc.* Proximum, et absolutum, *neg.* Omnis quidem justus ad vitam aeternam jus habet, ea tamen conditione, si in justitia perseveret. Porro promisit quidem Deus justis perseverantibus vitae aeternae mercedem, sed ipsam perseverantiam non promisit.

Inst. Omnis justus etiam antequam actu perseveraverit, ex ipsa natura divinae adoptionis jus habet ad hereditatem regni caelestis. Ergo jus habet etiam ad ea adjumenta, sine quibus finis ille attingi non potest, qualis est perseverantia

℟. *Distincta antecedenti propositione, ut supra; dist. cons.* Jus habet ad auxilia sufficientia, et omnibus justis communia, quae, si ipse praedestinatus non est, sua culpa reddit inefficacia, *conc.* Jus habet ad auxilia efficacissima, quae nemini Deus promisit, nec debet, imo juste denegat iis, qui suis viribus praefidentes orare negligunt, *neg.* Sine efficaci autem hoc auxilio nemo perseverat.

Objic. IV. Deus sua gratia semel justificatos non deserit, nisi prius deseratur, ut docet Tridentinum *Sess. VI. Cap.* 11 Atqui si justus per communia, et ordinaria auxilia perseverare non posset, desereretur a Deo priusquam Deum ipse desereret. Ergo.

℟. *Neg. min.* Justus enim, qui per sufficientia auxilia posset quidem *physice*, sed non *moraliter* perseverare, deserit ipse prior Deum; quia praefidens liberi arbitrii viribus, orare negligit, ne eum Deus in tentationem inducat, praebendo potentius auxilium, quod Deus paratus est dare, sed ipse pro sua superbia non est aptus ad accipiendum. *Deserunt ergo, et deseruntur*, inquit Augustinus *Lib. de Cor. et grat. cap.* 13. Dimissi enim sunt libero arbitrio, non accepto perseverantiae dono, judicio Dei justo, sed occulto.

Objic. V. Idem Augustinus *Lib. de Corr. et grat. cap.* 17. ait: *Justior videtur excusatio dicentium: non accepimus audientiam, quam dicentium: non accepimus perseverantiam. Quoniam potest dici: Homo in eo, quod acceperas, et tenueras, perseverares, si velles.*

les. Ergo pro certo habet *Augustinus*, perseverantiam justis omnibus esse communem, modo ipsi ordinariis gratiae auxiliis uti velint.

℟. Neg. cons. Nihil enim fingi potest magis adversum doctrinae adeo operose ab Augustino traditae. In hoc ergo minus excusabilis est justus non perseverans, quam infidelis, qui nihil de Evangelio audivit; quod iste nullo pacto fidem comparare, vel mereri poterat; *quomodo enim invocabunt in quem non crediderunt? aut quomodo credent ei, quem non audierunt? Rom X.* 14 ille vero accepta justificante gratia, poterat precibus a Deo impetrare perseverantiae donum, ideoque illud *suppliciter emereri* non *de condigno* scilicet, sed *de congruo*. Quapropter perseverasset, si voluisset. Sed quia perseverantia speciale donum est, idcirco sua quidem culpa noluit, sed certissime noluit perseverare.

Corollaria.

I. Quoniam perseverantia speciale Dei donum est, quod nemini promisit, sequitur, neminem posse illam mereri *de condigno*, cum divina promissio ad meritum illud necessaria conditio sit, ut suo loco diximus. Hinc Apostolus omnibus justis inculcat *Philip. II.* 12. *Cum metu, et tremore vestram salutem operamini*; imo ipse Apostolus tot exantlatis pro Christo laboribus, de seipso dicit *I. Cor. IX.* 27. *Castigo corpus meum, et in servitutem redigo, ne forte cum aliis praedicaverim, ipse reprobus efficiar.* Quis autem aeque ac Apostolus perseverantiam mereri possit, si illa merces esset meriti *de condigno?* Quare Augustinus *Lib. de Dono persev. cap.* 13. *Satis dilucide*, inquit, *ostenditur, et inchoandi, et usque in finem perseverandi gratiam non secundum merita nostra dari.* Cur autem perseverantia uni detur; alteri negetur, non ad hominis merita, sed ad *inscrutabilia Dei judicia* referendum, constanter docet. *Mirandum est quidem, multumque mirandum, quod filiis suis quibusdam Deus, quos regeneravit in Christo, quibus fidem, spem, dilectionem dedit, non dat perseverantiam; cum filiis alienis scelera tanta dimittat, atque impertita gratia, faciat filios suos.*

Quis

Quis hoc non miretur? qui hoc non vehementissime stupeat? Lib. de Corr, et grat. cap. 8. Et Concilium Arausicanum II. *Can.* 10. adjutorium Dei in renatis, ac sanctis semper esse implorandum docet, ut ad finem bonum pervenire, vel in bono possint opere perdurare; quod non esset necessarium, si posset quis de condiguo perseverantiam mereri.

II. Hinc etiam sequitur, neminem scire posse absoluta certitudine, utrum perseveraturus sit, ideoque utrum sit praedestinatus, nisi ex speciali revelatione; quod quidem ut fidei dogma Tridentinum definit *Sess. VI. can.* 15. contra Calvinistas; qui ex falso dogmate, quo tenent, neminem justificari, nisi praedestinatum se esse credat. asseruerunt, unumquemque non solum posse, sed etiam debere certa fide credere, se esse praedestinatum. *Si quis dixerit, hominem renatum, et justificatum teneri ex fide ad credendum, se certo esse in numero praedestinatorum; anathema sit.* Et *Can.* 16. *Si quis magnum illud usque in finem perseverantiae donum se certo habiturum absoluta, et infallibili certitudine dixerit, nisi ex speciali revelatione, anathema sit.* Unde Augustinus *Lib. XI. de Civ. cap.* 12. *Licet*, inquit, *sancti de suae perseverantiae praemio certi sint; de ipsa tamen perseverantia sua reperiuntur incerti, quis enim hominum perseveraturum se certo sciat, nisi ex aliqua revelatione?* Imo cum incerti esse debeamus, utrum in praesenti justi simus, quis adeo desipiat, ut se certo asserat futurum esse justum usque ad mortem? Ceterum possumus conjecturа assequi, imo et *morali certitudine*, nos esse praedestinatos, et perseveraturos, si per bona opera certam nostram vocationem, et electionem faciamus, sollicite caventes veniales maculas, et assidue orantes Deum, ne nos permittat ab eo separari.

III. Ex ipsis argumentis, quibus perseverantiam speciale Dei donum esse probavimus; scilicet ex orationibus, quibus illam instanter postulare debemus, sequitur, nos illam *de congruo* promereri posse. Non enim nos Deus perseverantiam petere juberet, dicens; *Vigilate et orate, ut non intretis in tentationem Matth. XXVI.* 41. *Vigilate, omni tempore orantes, ut digni habeami-*

mini fugere ista omnia, et stare ante filium hominis Luc. XXI. 36. nisi dare paratus esset postulantibus, cum praesertim saepe promiserit: *petite et accipietis.* Hinc Augustinus *Lib. de Dono persev. cap* 6. *Hoc donum*, inquit, *suppliciter emereri potest.* Sunt quidem Theologi, qui docent, non posse recte meritum vocari ne *de congruo* quidem, quod precibus tantummodo constat; operanti enim, non supplicanti merces debetur, nisi forte meritum *de congruo* latiori quadam, et minus propria significatione intelligatur, et videtur etiam *S. Thomas* quodcumque meritum negare, ubi de perseverantia agitur. Sed quaestio de nomine est. Nos *Augustini* verba sequuti sumus, qui non solum perseverantiam, sed quidquid precibus impetratur, secundum merita dari docet; unde arguit contra *Semipelagianos*, quod si precibus initium fidei possemus impetrare, jam sequeretur, ipsum fidei initium, ideoque gratiam Dei secundum merita nostra dari. Porro ex his etiam fit, ut justus alteri perseverantiam, et alios aliquos praedestinationis effectus promereri possit. Unde Jacobus Apostolus nos admonet *Jac. V.* 16. *Orate pro invicem, ut salvemini; multum enim valet deprecatio justi adsidua.*

IV. Porro ex dictis consequens est, duabus veluti alis dum vivimus ad caelestem patriam contendere nos oportere, spe scilicet, et timore. Timore quidem, ne quando irascatur Dominus ob peccata, quae nobis videntur leviora, sed etsi talia fortasse sunt, minuunt tamen charitatem; ob superbiam cui semper resistit Deus; et negligentiam in orationibus, atque ita pereamus de via justa: spe vero firmissima in Dei Omnipotentia, et misericordia, qui ut coepit in nobis opus bonum, ita perficiet usque in diem Christi. Quia ergo spes ista, atque timor maxime salutaria nobis sunt adjumenta; ideo noluit Deus cuiquam perseverantiae donum polliceri, quod dicimus salva profunditate judiciorum Dei, quae adorare quidem, non scrutari debemus.

V. Ex ipsa autem perseverantiae definitione patet, eam non esse sitam neque in gratia habituali, neque in quocumque virtutis habitu, neque in confirmatione in gratia (quae prater perseverantiam usque in finem, effi-

sit etiam immunitatem ab omni gravi culpa in toto vitae cursu, nec omnibus praedestinatis donatur) cum contra multi perseverantes post justificationem in gravia scelera lapsi sint; ut David, Petrus etc. qui tamen ante mortem iterum poenitentes, et justificati sancto fine quieverunt.

Scholion.

Sicut perseverantia usque in finem certissimus praedestinationis effectus est, ita bona omnia supernaturalia divinitus data, quae cum perseverantia conjuncta sunt, vel ad eam disponunt, effectus etiam praedestinationis censeri debent. Inter bona vero naturalia, creatio quidem praedestinationis effectus censeri non debet, cum non sit beneficium ex merito Christi datum, ex quo omnes praedestinationis effectus tamquam ex fonte manant (Christus enim non est mortuus, ut homines nascerentur, sed ut peccatores salvi fierent, ut observat *Augustinus*). Reliqua vero bona, et mala temporalia, per se quidem praedestinationis non sunt effectus, cum non ducant sua natura ad gloriam, et communia sint praedestinatis, ac reprobis; prout tamen a Deo diriguntur, atque ordinantur in electorum salutem, praedestinationis effectus dici possunt; unde Apostolus: *Diligentibus*, inquit, *Deum omnia cooperantur in bonum Rom. VIII.* 28.

Illud tamen disputatum est inter Theologos, utrum permissio peccati possit in electis praedestinationis effectus existimari, cum aliquando, ut observat Augustinus *Lib. XVI. de Civ. cap.* 13. permittat Deus, justum cadere in apertum, manifestumque peccatum, ut inde humilior, et cautior redeat: quod et docet Bernardus *Serm. I. de divers.* Sed verisimilior est eorum sententia, qui docent, bona quidem illa, quae Deus ex sua misericordia occasione peccati efficit in electis, esse praedestinationis effectus; non vero ipsam peccati permissionem, quae semper poena est, a Deo juste ob praecedentem superbiam, et negligentiam irrogata, quam electi maxime exhorrescunt, cum possit Deus alia via, infundendo scilicet uberius lumen, et auxilium, eorum superbiam,

et

et oscitantiam curare. Hinc assiduae justorum preces ad Deum, ne eos sinat in tentationem induci.

CAP. XXII.

De reprobatione, ejusque causa.

Adv. I. ORdinis ratio postulat, ut et de reprobatione quae praedestinationi ex adverso opponitur, breviter disseramus. Est autem reprobatio duplex, altera quidem *negativa*, quae juxta quosdam Theologos est mera *non electio* ad gloriam, juxta alios decretum Dei, quo statuit excludere aliquos a gloria: et *positiva*, quae *adaequata*, et *totalis* dici potest, estque efficax, et aeternum Dei decretum, quo aliquibus poenam aeternam tum damni, tum sensus praeparavit. Prior illa reprobatio dicitur a S. Thoma *Lib. I. ad Annibald. Dist. IV. Q. ult. art.* 3. *voluntas de controdictorio, secundum quam vult Deus aliquem non salvare*: posterior vero *voluntas de contrario, secundum quam vult aliquem damnare.* Variis autem nominibus appellantur in Scripturis ii, quibus aeterna poena parata est. 1.° *Reprobi* I. *Cor. IX.* 27. 2.° *vasa irae apta in interitum Rom. IX.* 22. 3.° *Maledicti Matth. XXV.* 41. 4.° *Filii perditionis Joan. XVII.* 12. et a Patribus et Theologis *praesciti*, ut distinguantur a praedestinatis, quia illorum quidem mala opera praescivit tantum Deus, non praedestinavit; horum vero ideo praescivit, quia praedestinavit.

II. *Joannes Calvinus* post *Zwinglium* impie asseruit, causam reprobationis *positivae*, et *totalis* esse unam Dei voluntatem, qui ante peccatorum praescientiam quosdam ad aeternum exitium destinavit, atque ut illud decretum suo tempore exequatur, necessitate adigit reprobos ad peccandum. *Decretum quidem*, inquit, *horribile, fateor; inficiari tamen nemo poterit, quin praesciverit Deus, quem exitum habiturus esset homo, antequam ipsum conderet, et ideo praesciverit, quia decreto suo sic ordinaverat Lib. III. Instit. cap.* 23. §. 7. Hanc autem *Calvini* blasphemiam ipsi ejus exhorruerunt discipuli, eumque hac in parte deseruerunt: nonnul-

nulli etiam alio sensu ejus verba conantur explicare; sed Æthyopem abluunt, ut fert adagium.

III. *Molinistae* docent, Deum ab aeterno omnes homines nullo discrimine salvos facere voluisse; deinde praevidentem, omnes ob Adae defectionem originali culpae obnoxios fore, omnibus dedisse Redemtorem Christum, atque ejus merito omnes voluisse salvos fieri; ideoque omnibus dare auxilium versatile, quo salvi esse possint. Demum praevidendo, quinam eo auxilio bene usuri essent, et perseveraturi usque in finem, quinam vero auxilio illo essent abusuri, ac morituri in peccato, priores praedestinasse ad gloriam; posteriores a gloria rejecisse, atque ad poenam aeternam destinasse.

IV. Thomistae distinguentes inter *positivam*, et *negativam* reprobationem, putant, reprobationem negativam, seu negationem gloriae, prout est beneficium creaturae indebitum, esse in Deo ante praescientiam meritorum. Ex hac negativa reprobatione Deum permisisse peccatum, seu negasse aliquibus gratiam intrinsecus efficacem, quam et Angelis, et hominibus in utroque statu integritatis, et corruptionis dicunt esse necessariam. Demum ex praescientia peccati quosdam *positive* reprobasse. Differt quidem haec sententia a *Calvini* blasphemia, imo et *Calvinismi* calumniam sibi impactam evidenter Thomistae repulerunt; non enim cum *Calvino* docent, Deum ante praescientiam peccati destinasse homines ad poenam, et multo minus ex hac destinatione impellere homines ad peccatum; nihilominus *Gonetus*, aliique Thomistae ab hac sententia recesserunt, licet ab eorum systemate de necessitate *physicae praemotionis*, et gratiae intrinsecus efficacis in quocumque statu, necessario sequatur.

V. *Augustiniani* Theologi docent primo, Deum omnes rationabiles creaturas ad vitam aeternam capessendam condidisse, nullamque ab ea rejecisse, ideoque dedisse omnibus auxilium, sine quo ad vitam pervenire non poterant, et quod eorum integritati sufficiebat. Deinde praevidentem Deum quosdam ex Angelis peccaturos, et omnes homines Adae peccato obnoxios fore; Angelos quidem sine ulla redemtionis spe a gloria repulisse, et aeternis destinasse poenis; inter homi-

mines vero nonnullos pro sua misericordia voluisse a massa perditionis discernere, et ad gloriam praedestinare; alios vero justo judicio decrevisse in massa perditionis relinquere; idest non praebere iis auxilia efficacissima, quibus a peccato certissime liberarentur, et perseverarent; eoque sensu eos a gloria exclusisse. Denique praescientem eos in peccato morituros destinasse ad aeternam poenam. Itaque tenent, reprobationem utramque tum *negativam*, tum *positivam* esse ex praescientia peccatorum positivam quidem ex praescientia peccati *finalis*, seu in quo quis moritur, sive originale illud sit, sive actuale; negativam vero ex praescientia peccati originalis. Addunt vero aliqui, in iis, in quibus originale peccatum deletum est per baptismum, etiam *negativam* reprobationem esse ex praescientia peccati actualis.

PROPOSITIO I.

Falsum est, atque impium Calvini systema de reprobatione. Est dogma fidei.

Prob. I. ex Scriptura. 1.° Deus nullam e creaturis suis odit ante peccatum. *Sap. I.* 13. *Nec laetatur Deus in perditione vivorum, creavit enim, ut essent omnia.* Et *Cap. XI.* 25. *Diligis omnia, quae sunt, et nihil odisti eorum, quae fecisti.* 2.° Talis est ejus sanctitas, ut non possit creaturas suas ad peccatum impellere. *Psal. V. Non Deus volens iniquitatem tu es.* Et *Jac. I.* 13. *Nemo cum tentatur, dicat, quoniam a Deo tentatur; Deus enim intentator malorum est, ipse autem neminem tentat, unusquisque vero tentatur a concupiscentia sua abstractus, et illectus.* Atqui contrarium statuitur in *Calvini* systemate; Deum scilicet ante praescientiam peccati creaturas aliquas ad aeternum exitium destinasse, et ex hoc decreto eas impellere ad peccatum. Ergo.

Prob. II. *ex PP.* Augustinus (quo auctore falso gloriatur Calvinus *Lib. III. cont. Julian. cap.* 18. *Bonus*, inquit, *est Deus, justus est Deus; potest aliquos sine bonis meritis liberare, quia bonus est, non potest aliquos sine malis meritis damnare, quia justus est.* 2.° Prosper *Resp. ad Capit. Gallor. Cap.* 7. *Horum*

rum lapsum Deo adscribere immodicae pravitatis est, quasi ideo ruinae ipsorum impulsor, et auctor esset, quia eos ruituros propria ipsorum voluntate praescivit; et ob hoc a filiis perditionis nulla praedestinatione discrevit. Idem docent *Tertullianus*, *Justinus martyr*, aliique, quorum testimonia collegit Vossius *Lib. VII. Histor. Pelag. P. 2. Thes.* 12. ita ut traditionem hac in parte constantem agnoverint Magdeburgenses *Centur. II. Cap.* 4.

Prob. III. ex definitionibus Conciliorum. 1.° Arausicanum II, *Can.* 25. *Aliquos*, inquit, *ad malum divina potestate praedestinatos, non solum non credimus, sed etiam si sunt, qui tantum malum crederent, cum omni detestatione illis anathema dicimus.* 2.° Valentinum in causa *Gothescalchi Can.* 3. *Fatemur, praedestinationem electorum ad vitam, et praedestinationem impiorum ad mortem, in electione tamen salvandorum misericordiam praecedere meritum bonum: in damnatione vero periturorum, meritum malum praecedere justum Dei judicium*, 3.° Tridentinum *Sess. VI. can.* 6. *Si quis dixerit, mala opera ita ut bona Deum operari, non permissive solum, sed etiam proprie, et per se; adeo ut proprium ejus opus sit non minus proditio Judae, quam vocatio Pauli, anathema sit.* Et *Can.* 17. *Si quis dixerit, reliquos omnes, qui vocantur, vocari quidem, sed gratiam non accipere, utpote divina potestate praedestinatos ad malum, anathema sit.* Denique Ecclesia semper eam blasphemiam in Marcionitis, et Priscillianistis detestata est. Ergo etc.

Prob. IV. *ratione.* Non potest Deus non amare justitiam, et rectum ordinem. Atqui injustitia, et perturbatio ordinis est, quod poena praecedat culpam, ut saepe Augustinus inculcat (*Vide Lib. III. de lib. arb. cap.* 9. *et al.*) Ergo non potest decernere poenam ante peccati praescientiam.

Neque dicas, *in intentione* quidem decerni poenam ante culpae praescientiam, sed *in executione* eam nonnisi post peccatum infligi, sicut de praedestinatione diximus. Nam, 1.° Sicut recto ordini contrarium est poenam infligere ante culpam, sic eidem recto ordini adversatur destinare aliquem poenae ante culpae praescientiam;

tiam, quae ordinis perturbatio in praedestinatione non occurrit, cum possit Deus pro sua misericordia, et Christi merito aliquos sine ullis meritis a peccati miseria liberare. 2.° Si peccatum esset ipsius reprobationis effectus, et quidem, ut contendit *Calvinus*, necessarius: jam culpa hominis non esset, ideoque nec poena plecti posset: *Usque adeo enim omne peccatum est voluntarium, ut nullo modo sit peccatum, si non sit voluntarium*, ut inquit Augustinus *Lib. de vera Relig. Cap.* 4.

Refutantur objecta.

Objic. I. *Prov. XVI.* 4. *Universa propter semetipsum operatus est Dominus, impium quoque ad diem malum.* Ergo Deus ad hoc creavit reprobos, ut eos ad aeternum exitium perduceret.

℟. *Dist. ant.* Creavit impium quoad ejus naturam, quae bona est, *conc.* Quoad ejus impietatem, *neg.* Omnia ergo Deus in suam gloriam operatur, et dirigit, etiam impium, qui licet proprio vitio naturam suam bonam corrumpat, et legi divinae, Deo permittente, adversetur, non effugit tamen ordinem providentiae, et justitiae Dei, qui illum servando in diem malum, etiam ex ejus impietate, quam justo judicio permittit, gloriam suam elucere facit. Hinc Chaldaica Paraphrasis laudata Proverbiorum verba sic vertit: *Universa propter semetipsum operatus est Dominus; impium quoque, qui servatur ad diem malum.*

Inst. 1.° Atqui Deus impium quoad ejus impietatem operatus est, seu illum ad peccatum impellit. Ait enim Petrus de atrocissimo Judaeorum scelere, quo Christum occiderunt *Act. II.* 23. *Hunc definito consilio, et praescientia Dei traditum per manus iniquorum affigentes interemistis.* Ergo.

℟ *Neg. ant.* Verba enim illa Petri *definito consilio*, non referenda sunt ad verbum *interemistis*, sed ad id, quod proxime sequitur, nempe *traditum.* Sensus ergo est, Deum praescium malitiae Judaeorum, definito consilio redimendi totius humani generis, tradidisse Christum in eorum manus, hoc est permisisse, ut eum interimerent, quod et Apostolus dicit *Rom. VIII.* 32. *Proprio*

filio

filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum.

Inst: 2.° Multa sunt Scripturarum loca, in quibus non solum permissor sceleris, sed impulsor, et auctor dicitur Deus. Sic *II. Reg. XVI.* 10. cum *Semei* David malediceret, ait Sanctus Rex: *Dominus praecepit ei, ut malediceret David ... dimittite eum, ut maledicat juxta praeceptum Domini.* 2.° *Genes. XLV.* 8. loquens *Joseph* de iniquissimo facinore fratrum suorum, qui eum ex invidia vendiderant, ait: *Non vestro consilio, sed Dei voluntate huc missus sum.* 3.° *III. Reg. XXII.* 22. ait Dominus ad Satan qui se decepturum *Achab* per mendacia pseudoprophetarum promiserat: *Decipies, et praevalebis: egredere, et fac ita.* 4.° *Job. I.* 21. Sanctus Job de injustitia Chaldaeorum, qui ei camelos rapuerant: *Dominus*, inquit, *dedit*, *Dominus abstulit.* 5.° *Jerem. LI.* 11. *Suscitavit Dominus spiritum Regum Medorum* ad vastandam Babylonem; qua in re illi injustae dominandi libidini serviebant. Ergo.

℟. *Neg. ant.* Certum enim est, in laudatis Scripturae locis, et aliis, quae proferri possent, Deum permisisse tantum peccata; ita tamen, ut majora inde faceret bona, nec alio sensu praecepisse, nisi improprio: quatenus scilicet dedit impiis nocendi potestatem, nec pravam eorum voluntatem per gratiam refraenavit. Bonum ergo ipsum, quod inde eduxit Deus, definito consilio, et potentiae ejus tribuendum est, malum vero ipsi hominum pravae voluntati. Sic quia voluit Deus punire David, Achab, Babylonem, exaltare Joseph, exercere patientiam Jobi, sicut et martyrum, usus est mala voluntate Semei, Satanae, Regum Medorum, fratrum Josephi, Chaldaeorum, et iniquorum principum, quam quia non refrenavit, improprie impulisse dicitur. Itaque impii in eo ipso scelere, quo sibi contemnere Deum videbantur, ejus voluntati, et consilio serviebant; non quia Deus eos impellebat in malum; sed quia eorum voluntatem proprio vitio malam aeternae suae providentiae, et decretis servire faciebat.

Inst. 3.° Dicitur Deus in Scripturis corda hominum in malum convertere, eaque indurare. *Ps. CIV. Convertit cor eorum ut odirent populum ejus, et dolum fa-*

facerent in servos ejus. Exod IV. 21. Ego indurabo cor ejus, nempe Pharaonis. *Rom. IX. 18. Quem vult indurat.* Ex quibus, aliisque Scripturarum locis concludit Augustinus *Lib. de grat. et lib. arb. cap. 21. His, et aliis divinorum eloquiorum testimoniis manifestatur, operari Deum in cordibus hominum ad inclinandas eorum voluntates, quocumque voluerit, sive ad bona pro sua misericordia, sive ad mala pro meritis eorum.* Ergo non solum permittit, sed et efficit malas hominum voluntates.

℟. *Dist.ant.* Convertit in malum, et indurat permittendo (a), *occasionem* praebendo, et *indirecte*, *conc.* *Positive*, et directe, *neg.* 1.° Ergo Deus convertit cor, et indurat permittendo, quatenus ipso subtrahente gratiam, cor hominis, seu voluntas in malum prona obdurescit, et non secus ac ferrum, recedente igne, eo fit durius, quo majoribus tunditur correptionum ictibus, 2.° Occasionem praebendo, quatenus bona temporalia, quae male impii concupiscunt, vel plenius illis largitur, vel aufert Deus. Si largitur, superbiunt, et in majora scelera prolabuntur; sin aufert, ex odio, et invidia adversus justos, quos bonis vident affluere, in alia peccata, praesertim injustitiae ruunt, ut accidit Ægyptiis. 3.° *Indirecte*, quatenus omnia alia impediendo peccata, praeter unum, quod permittere decrevit, iniquitas hominis qua data porta ruit. Hoc sensu opus Dei dicitur injuria Chaldaeorum rapina, incestus Absalonis; irruptio Regum Medorum in Babylonem, deceptio Achab, et alia, quae in Scripturis leguntur. Hinc S.Thomas *Lect. III. in Epist. ad Rom. Cap. IX. 17. Instinctu quodam*, inquit, *interiori moventur homines a Deo ad bonum, et ad malum: unde Augustinus dicit Lib. de Grat. et lib.arb. Cap. 21. quod Deus operatur in cordibus hominum ad inclinandas eorum voluntates quocumque voluerit, sive ad bona pro sua misericordia, sive ad mala pro meritis eorum . . . . Nam ad bonum inclinat hominum*

(a) Scholast. *Permissive, et occasionaliter.*

num voluntates, directe, et per se, tamquam auctor bonorum; ad malum autem dicitur inclinare, vel suscitare homines occasionaliter, in quantum scilicet Deus homini aliquid proponit vel interius, vel exterius, quod quantum est de se, est inductivum ad bonum: sed homo propter suam malitiam perverse utitur ad malum. Vide haec fusius apud *Bellarminum.*

PROPOSITIO II.

Reprobatio etiam negativa est ex praescientia peccati.

Prob. I. ex Script. Praeter ea loca, quae paulo ante recitavimus, *Sap. I.* 13. *Non laetatur Deus in perditione vivorum. Sap. XI.* 25. *Nihil odisti eorum, quae fecisti*, quae loca valent etiam contra Thomistarum opinionem; addi potest quod ait Apostolus *I. Tim. II.* 43. *Deus vult omnes homines salvos fieri*, et Petrus *II. Pet. III.*9. *Patienter agit Deus propter vos, nolens aliquos perire.* Ergo.

Prob. II. ex Augustino, qui *Ep. CLXXXVI. al. CVI. Haec massa*, inquit, *si esset ita media, utiquemadmodum nihil boni, ita nec mali aliquid mereretur, non frustra videretur iniquitas, si ex ea fierent vasa in contumeliam.* Concinit Augustino S. Thomas *Q. III. de Verit. art.* 2. *ad* 9. *In ipsa electione ratio est divina bonitas, ratio autem reprobationis peccatum originale, ut dicit Augustinus*, ubi manifestum est, loqui Angelicum Doctorem de reprobatione negativa, alioquin si de *positiva* ageret, non originale, sed *finale* peccatum ejus causam dixisset. Et *Lect. IV. in cap.* 9. *ad Rom.* in ea verba Apostoli: *Numquid non habet potestatem figulus luti ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud vero in contumeliam?* quibus Thomistae pro sua opinione utuntur, haec habet: *Humana natura vilitatem habet ex sua materia, quia, ut dicitur Genes. II. fecit Deus hominem de limo, sed majorem vilitatem habet ex corruptione peccati... Et ideo homo merito luto comparatur. Similiter et Deus liberam habet potestatem ex eadem massa corrupta generis humani,*

sicut

sicut ex quodam luto .... quosdam homines facere praeparatos in gloriam, quosdam in miseria relictos. Vides, ubique eum in reprobatione negativa peccati praescientiam statuere.

Prob III. *ratione*. 1.° Non potest ullius reprobatio ante aliorum electionem intelligi; quis enim in ordine decretorum Dei, quae mens nostra distinguit, prius esse reprobationem intelligat, postea electionem? Atqui electio praedestinatorum, in hominibus originale peccatum, in Angelis bonum gratiae usum supponit. Ergo et rejectio reproborum supponit in hominibus peccatum originale, in Angelis peccatum *actuale*. 2.° Reprobatio etiam negativa, *odii* nomine exprimitur in Scripturis, ut in illo Apostoli loco, quo utuntur Thomistae: *Jacob dilexi, Esau autem odio habui*: Atqui non potest ullo pacto fingi in Deo odium, nisi adversus peccatum. 3.° Postquam homo ad vitam aeternam ordinatus est, rejectio ab hoc fine maxima est ejus poena; imo constans est doctrina SS. Patrum, majorem in inferis esse poenam *damni*, quam *sensus*. Ergo si non potest Deus decernere poenam ante peccati praescientiam, non potest ante praescientiam peccati quemquam a gloria rejicere.

Diluuntur objecta.

Objic. I. Apostolus *Rom.IX.* 11. Sicut praedestinationis, ita etiam reprobationis causam ad solam Dei voluntatem refert. Ait enim de Jacob, et Esau: *Cum nondum nati fuissent, aut aliquid boni egissent, aut mali... Jacob dilexi, Esau autem odio habui.* Ergo si ex hoc loco recte infertur, praedestinationem ad gloriam esse ante praescientiam meritorum, recte etiam concluditur, rejectionem a gloria, seu reprobationem saltem negativam praecedere meritorum praescientiam.

℟. *Neg. cons. et parit.* Apostolus enim jam ostenderat, totam hominum vitiatam, et damnatam esse naturam, omnesque homines peccavisse, saltem in Adam, ex quo traxerunt originale peccatum. Igitur antequam quidquam boni, aut mali egissent, hoc est antequam aliquod admisissent *actuale* peccatum, si Deus elegit Jacob

Jacob peccatorem, ante praescientiam meritorum elegit; sed si rejecit Esau peccatorem, pro suo merito rejecit. Nulla in Jacob, et Esau bona, vel mala, sed uterque illi uni obnoxius erat, in quo omnes peccaverunt.

Inst. Apostolus quaerenti reprobationis causam non respondet, quod facillimum erat intellectu, ejus rei causam esse peccatum originale, sed nos ad *inscrutabilia Dei judicia* revocat, et supremam ejus in homines potestatem. *O homo tu quis es, qui respondeas Deo? Numquid dicit figmentum ei, qui, se finxit, cur me fecisti sic? O altitudo divitiarum sapientiae, et scientiae Dei etc.* Unde Augustinus *Lib. de Dono persev. cap.* 8. *Cur in eadem causa me potius, quam illum puniet, aut illum potius, quam me liberabit, hoc non dico. Si quaeris quare? quia fateor, me non invenire quid dicam. Si et hoc quaeris quare? quia in hac re sicut justa est ira ejus, sicut magna est misericordia ejus, ita inscrutabilia judicia ejus.*

℟ *Dist. ant.* Apostolus, et post eum *Augustinus* reprobationis causam ad inscrutabilia Dei judicia referunt, si reprobatio consideretur comparate (*a*), hoc est si quaeratur, cur iste potius, quam ille reprobatus sit, *conc.* Si consideretur in seipsa, et absolute; hoc est si quaeratur, cur iste reprobatus sit, *neg.* Dixerat ergo Apostolus, et post eum *Augustinus*, omnes homines esse in massa perditionis, ac proinde non iniquum esse Deum, qui infert iram; sed in eadem causa, cur hunc potius liberare voluerit, illum relinquere, inscrutabilia esse judicia Dei. Semper tamen certum est, eos, qui relicti sunt, propter peccatum a gloria rejectos.

Objic. II. Permissio peccati non solum *actualis*, sed etiam originalis, nempe primi peccati Adae, imo et peccati Angelorum est effectus reprobationis. Cum enim primum illud peccatum nulla praecesserit culpa, sive causa, cur denegaret Deus efficacem gratiam, quae peccatum impedivisset, necessario hinc sequitur, non aliam

 ob

(a) Scholast. *Comparative.*

ob causam permisisse Deum peccatum Angelorum, atque Adami, nisi quia nonnullos Angelos, et homines ad gloriam non elegerat. Ergo reprobatio negativa praecedit peccati permissionem, ideoque est ante peccati praescientiam.

℟. *Dist. ant.* Permissio primi peccati est effectus reprobationis, si homo, et Angeli ad peccatum illud vitandum indiguissent gratia per se efficaci, ut Thomistae opinantur, *conc.* Si non indiguissent, ut nos cum *Augustino* docuimus, *neg.* Fatemur itaque, posita Thomistarum opinione de necessitate gratiae efficacis in quocumqne statu creaturae rationalis, permissionem primi illius peccati reprobationis effectum esse, ideoque miramur, *Gonetum*, aliosque Thomistas hanc doctrinae suae consequentiam non vidisse. Sed in nostra sententia, quam ex *Augustino* explicavimus, neque causa praecedentis culpae, neque ob praecedens decretum reprobationis primum illud peccatum permisit Deus, sed quia tanta erat sanitas, et rectus ordo illius status, ut digne tantae bonitati, et bene agendi facilitati cum versatili adjutorio perseverandi committeretur arbitrium.

Inst. Negari non potest, quin Deus primum illud peccatum impedivisset, si gratiam efficacem esset largitus. Cur ergo non impedivit nisi quia statuerat, aliquos ad gloriam non perducere?

℟. *Dist. ant.* Impedivisset Deus peccatum per gratiam efficacem, quae tamen illi statui nec necessaria erat, nec conveniens, *conc.* Secus, *neg.*

PROPOSITIO III.

Peccatum, quod est causa reprobationis negativae, est originale.

Prob. I. ex Apostolo, qui universum genus humanum comparat massae luti, ex qua figulus alia vasa in honorem facit, alia in contumeliam. Reprobationis igitur negativae causa est peccatum universo hominum generi commune.

Prob. II. ex *Augustino*, qui constanter docet, 1.° reprobationem negativam esse derelictionem in massa cor-

corruptionis. 2.° *Esau* reprobatum propter originale peccatum. *Quid aliud*, inquit, *oderat Deus in Esau*, *antequam quodquam mali egisset, nisi originale peccatum?* Epist. CXCIV. al. CV. *Uterque* Jacob, et Esau *illi uni* (peccato) *obnoxius erat, in quo omnes peccaverunt* Epist. CLXXXVI. al. CVI. 3.° Hoc sensu *Augustinum* explicat, et sequitur *S. Thomas* locis supra laudatis. Ergo etc.

Prob. III. *ratione* Peccatum originale propter concupiscentiam, qua genus infecit humanum, causa est remota cur ii, quibus Deus auxilia efficacissima non praebet, ad gloriam non perveniant, quamvis possent per auxilia sufficientia pervenire. Ergo peccatum originale est causa *negativae* reprobationis, seu causa est, cur ii, quibus auxilia tantum sufficientia Deus praeparavit, intelligantur a gloria rejecti. Esgo.

Objic. Peccatum originale multis reprobis dimissum est per baptismum, post quem nihil damnationis est in iis, qui renati sunt, ut docet Apostolus *Rom. VIII.* 1. et definit Tridentinum. Ergo absurdum est peccatum originale esse in iis causam reprobationis *negativae*.

℟. 1.° Variae sunt ad hanc, sane non levis momenti objectionem, Theologorum responsiones. Nonnulli enim docent, decretum reprobationis negativae ordine prius esse decreto, quo Deus statuit reprobos quosdam perducere ad baptismum, aliasque temporales gratias, quibus salvi fieri possent, quasque culpa sua abjiciunt. Alii concedunt, in hisce reprobis baptizatis non originale; quod jam deletum est, sed actuale peccatum esse causam negativae reprobationis. Sed cum *Augustinus* nullo discrimine doceat, eos, qui in massa perditionis relicti sunt, ob originalem culpam dimissos esse.

℟. 2.° *Dist. ant.* Peccatum originale multis reprobis dimissum est quoad culpam, *conc.* Quoad infirmitatis reliquias, quae a Theologis dicuntur *poenalitates*, *neg.* Remanent enim post baptismum mors, morbi, calamitates, concupiscentia, et ignorantia. Ex his infirmitatibus, quas Deus remanere voluit ad agonem, et majorem baptizatorum utilitatem, ex culpa reproborum fit, ut auxilia sufficientia, quae iis praebet Deus

effectu careant, ideoque ipsi nequaquam in accepta justitia perseverent. Peccatum itaque originale non est *proxima* causa eorum reprobationis, cùm dimissa culpa, nihil jam in iis remaneat damnationis, sed *remota*, quia per reliquias infirmitatis ex peccato illo sequentes, quas baptismus non aufert, certissime fit, ut idem sit accipere auxilia tantum sufficientia, ac non perseverare, ideoque excidere a gloria caelesti: auxilia vero efficacia, praeterquam quod Deus nulli debet, ob ipsa peccata venialia, quae oriuntur ex originali infirmitate, reprobis illis Deus juste negat.

Corollaria.

I. Quoniam peccatum originale non est reprobationis effectus, sed causa, sequitur hinc, effectum negativae reprobationis esse in parvulis quidem, qui sine baptismo moriuntur, ipsam rejectionem a regno caelesti; in adultis vero permissionem peccati actualis non cujuscumque, sed ejus, quod cum impoenitentia finali conjunctum est. Nimirum ordinarie pro justa superbiae, et negligentiae poena permittit Deus primo, justum cadere in grave peccatum, deinde auferens ei, si diutius vivat, lumen gratiae caelestis, permittit eum excaecari, tum indurari: mox tradit eum in reprobum sensum, quo judicat bonum malum, et malum bonum: denique in impoenitentia finali derelinquit, post quam nulla spes, sed certissima damnatio, quae ultimus est reprobationis effectus, dicente Christo *Matth. XXV. 41. Discedite a me maledicti in ignem aeternum, qui paratus est diabolo, et Angelis ejus.*

II. Cum autem permissio peccati, excaecatio, induratio etc. reprobationis effectus sint, sequitur hinc, 1.° inter ipsos fideles adultos majorem esse reproborum, quam electorum numerum, cum videamus longe majorem esse eorum numerum; qui male vivunt, quam eorum, qui legem servant Evangelicam: rarissima vero sit in exitu vitae poenitentia. Hinc Christus *Matth. VII. 13. Lata*, inquit, *porta, et spatiosa via est, quae ducit ad perditionem, et multi sunt, qui intrant per eam: Quam angusta porta, et arcta via est, quae* da-

ducit ad vitam, *et pauci sunt*, *qui inveniunt eam*! Et *Matth. XX.* 16. *Multi sunt vocati*, *pauci vero electi.* Hinc terribilis illa Chrysostomi sententia Hom. XLIV. *Quot putatis esse in hac civitate* (utique populosissima) *qui salvi fiant? Non possunt inveniri in tot millibus centum*, *qui salvantur*; *quin et de his dubito.* 2.° His fidelibus reprobis si addas infideles, utique ad immensum reproborum numerum exhorresces. 3.° Sed si electis fidelibus adultis addamus etiam parvulos, qui accepto baptismate moriuntur, sive apud catholicos, sive apud haereticos, utrum fidelium electorum numerus major sit, vel aequalis numero fidelium reproborum, incertum est. 4.° Illud etiam incertius, quod ait *Anselmus*, tot salvandos homines, quot Angeli perierunt, vel quot Angeli steterunt, quod opinatur *Gregorius.* Illud tamen tuto affirmare possumus ex *Augustino Ep. CXLIX. CXC. et al.* ex ipsa reproborum multitudine electorum bonum elicere Deum; qui etiam malis bene utitur, non solum ad justitiam suam, sed etiam ad exercitationem, et profectum Sanctorum, ut ex ipsa etiam malorum perversitate boni proficiant, et probentur, et manifestentur, sicut Apostolus ait: *Ut probati manifesti fiant in vobis I. Cor. XI.* 19. omniaque conspirent in laudem gloriae gratiae Christi Jesu, cui laus, et honor, et gloria, et potestas, et imperium in saecula saeculorum. Amen. Etiam. Amen. Veni Domine Jesu. Gratia Domini nostri Jesu Christi cum omnibus nobis. Amen.

Finis Lib. VII.

INDEX CAPITUM.

A. S. E.

IL CARDINALE ARCIVESCOVO DI NAPOLI

PRESIDENTE DELLA GIUNTA PERMANENTE DELLA PUBBLICA ISTRUZIONE.

Gennaro Reale Pubblico stampatore di questa fedelissima Città umilmente espone che desidera ristampare un' opera intitolata *Institutiones Theologicae* per uso della gioventù divisa in 6. tomi dell' Autore D. Gaetano de Fulgore, perciò prega l' Eminenza Sua di accordargli un revisore, e l' avrà ut Deus.

Addì 15 *Gennaro* 1822.

Per disposizione di Sua Eminenza, il Regio Revisore Signor Canonico Lavitrano avrà la compiacenza di rivedere la soprascritta opera, ed osservare se vi sia cosa contro la Religione, ed i dritti della Sovranità, col farne rapporto in iscritto alla Giunta.

Il membro della Giunta Deputato

FERDINANDO CANONICO PANICO

Neapoli die 25 Januarii anni 1832.

Institutiones theologicae a viro doctissimo Cajetano de Fulgure Canonico Aversano conscriptae, et jam a prima editione mihi notae, et probatae, dignissimae sunt, quae novis typis evulgentur. Tanta enim aviditate ab adolescentibus clero adscriptis exoptantur, ut Exemplaria, quae adhuc supersunt, eorum votis sufficere non possint. Accedit doctorum hominum judicium, qui has Institutiones commendant, quum contineant sanam, et Catholicam doctrinam, accuratam theologicae scientiae discussionem, selectam propositionum seriem, quae aut ipsam Catholicam Fidem, aut in rebus non definitis saniores, probatiores, graviores sententias complectuntur. Nihil in iis extat, quod regulis morum, aut regni tranquillitati adversetur. Mihi igitur gratulor, quod expectationem publicam, quam in ipso hujus operis ortu aliquo modo familiari epistola praeoccupavi, publico judicio confirmatam viderim. Teque, Eminentissime, et Reverendissme Praesul, exoro, ut novae huic editioni libenter assentiaris.

Humillimus, addictissimus famulus

CANONICUS JOACHIM LAVITRANO

Napoli 4 Febbrajo 1822

La Giunta permanente per la Pubblica Istruzione.

Veduta la domanda di Gennaro Reale Pubblico Stampatore per dare alle stampe l' opera intitolata *Institutiones Theologicae.*

Veduto il parere del Regio Revisore Signor Canonico Lavitrano; permette che la indicata opera si stampi; ma ordina che non si pubblichi se prima lo stesso Regio Revisore non attesti di aver nel confronto riconosciuta la impressione uniforme all' Originale approvato, e non sia eseguita la consegna ad essa Giunta delle sedici copie ordinate dal Real Decreto de' 24 Dicembre 1817.

Il Presidente = firmato

L. CARDINALE ARCIVESCOVO

Il Segretario Generale, e Membro della Giunta = firmato

ANGELO ANTONIO SCOTTI